

Series II. - « ANALESTA OSBM » - Sectio III.  
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.

---

**S. JOSAPHAT  
HIEROMARTYR**

**DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS  
ET CANONIZATIONIS**

**VOL. I.  
1623 - 1628**

**COLLEGIT ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT NEC NON INTRODUCTIONE AUXIT**

**P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM**

**ROMAE 1952**

**SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3**

**ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI**

**SECTIO III**

Series II. - « ANALECTA OSBM » - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - ( ерія II.

---

*Sectio III:*

DOCUMENTA ECCLESIAE UNITAE  
IN TERRIS UCRAINAE ET BĚLORUSSIAE

CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

**BIO - et HAGIOGRAPHICA**

*S. JOSAPHAT*

Vol. I.

1623 - 1628

ROMAE

Series II. - « ANALESTA OSBM » - Sectio III.  
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.

---

**S. JOSAPHAT**  
**HIEROMARTYR**

**DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS  
ET CANONIZATIONIS**

**VOL. I.**

**1623 - 1628**

**COLLEGIT ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT NEC NON INTRODUCTIONE AUXIT**

**P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM**

**ROMAE 1952**

**SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3**



IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 7-IV-1952.

P. THEODOSIUS T. HALUSCZYNSKYJ OSBM  
*Archimandrita - Superior Generalis*

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 9-IV-1952.

✠ ALOYSIUS TRAGLIA  
*Archiep.pus Caesarien., Vicesgerens*



ΣΤΗΝ  
ΣΤΗΝ  
ΑΥΣ  
ΥΕ  
ΝΗΚΕ

ΙΩΑΝΝ  
ΦΑΤΙ  
ΔΕΧΙΜΕ  
ΠΡΟΣ  
ΙΚΛΗ

P. J. MOKRYCKYJ - PINX.

« Item clara et elata voce testatus est Rev.mus Haliciensis... (Raphael Korsak)... tanquam Protoarchimandrita Ordinis S. Basilii Unitorum per Russiam pro toto Ordine praedictum Servum Dei in Patronum sumpsit, et nomine omnium Religiosorum Unitorum pro canonizatione humillime supplicavit » (*Ex Processu an. 1628, Actio VI-a, die 24. III. 1628*).

ORDINIS . BASILIANI . ALUMNO .  
S AN C T O .  
E T . P A T R O N O .

PRIMITIAE . HAE . « DOCUMENTORUM COLLECTIONIS » .  
D E D I C A N T U R .



## P R A E F A T I O

*Josaphat Kuncewycz, monachus Basilianus, Archiepiscopus, martyr et Sanctus Ecclesiae Universalis! Quanta nomina - tanti tituli, ut initium dent Documentorum Romanorum Ecclesiae Unitae publicationi.*

*Nomen hoc symbolum quasi devenit totius historiae Ecclesiae Unitae in terris Ucrainae et Bëlorussiae et signum cui contradicitur per tria iam saecula. Causa vero saepe saepius ignorantia est simplex vel crassa. At ecce veritas non abscondita manet et nisi ex eo ignoratur, quia documenta et testimonia contemporanea in Archivis latent hucusque maxima ex parte inedita.*

*Occurrere necessitati huic est simul responsum dare omnibus fere obiectionibus, quae motae fuerunt contra sanctum hunc Martyrem nec non contra totam Ecclesiam Unitam, immo Ecclesiam Universalem.*

*Non uno certe volumine documenta haec comprehendere potuerunt. Proin partem hanc primam nostrae Documentorum Romanorum Collectionis sub titulo «DOCUMENTA BIO - et HAGIOGRAPHICA» publici facere iuris studebimus. Nam exhibito Sancto huic honore debito nomina non minus clara Metropolitanarum, Episcoporum aliarumque personarum ecclesiasticarum notitiis biographicis implere conabimur.*

*Parti huic primae temporum successu subsequetur pars alia: «EPISTULAE», dein vero «BULLAE, BREVIA et EPISTULAE PONTIFICUM ROMANORUM», «DECRETA ET ACTA CONGREGATIONUM ROMANARUM» et alia huiusmodi, prout opportunum videbitur, et res ipsa postulaverit.*

*Omnia haec documenta unam in collectionem colligi curae erit Patribus Basilianis, cui collectioni titulus generalis inscribi potest: «DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE UNITAE IN TERRIS UCRAINAE ET BELORUSSIAE».*

*His praemissis et antequam ad ipsam introductionem in volumen praesens accedamus, aliqua saltem notare utile fore duximus, quod spectat ipsum methodum et editionis modum.*

*1. Imprimis notandum est editionem nostram praesentem, et omnes subsequentes inniti praeprimis documentis ipsis, et quidem Romae conservatis vel ad Dicasteria romana spectantibus, quorum textum non nimio apparatu annotationum ornatum publici facere iuris studebimus. Non nobis proinde proponimus de unoquoque documento integram dare scientificam dissertationem, sed laborem hunc ad viros historiographiae studiosos remittimus. Intentio nostra primaria est, ut materia ipsa pu-*



*blici fiat iuris, ulteriori indagatoni et elucubrationi historiographicae apta.*

2. *In singulis dein documentis typis imprimendis non intendimus seriem fere illegibilem dare abbreviationum, quae olim in usu erant, materiae scriptoriae nec non temporis parsimoniae gratia. Non est enim editio nostra fundamentum alicuius indagatoni palaeographicae, sed historicae praesertim veritatis. Ars scriptoria ipsaque scriptura, prout etiam hodie, olim cogitationum expressioni inservire debebat. Aliquas tamen abbreviationes, in titulis praesertim personarum, quae saepe occurrunt, relinquimus.*

3. *Alia crux editoris documentorum antiquorum non parva est usus saepe diversus literarum maiuscularum nec non textus divisionis per commata et puncta scriptoriae modus. Quoniam modo hic procedendum non parva est saepe difficultas editoris, dubiorum plena. In hoc nostro volumine et, Deo adiuvante, sequentibus hanc primariam sequi conabimur rationem, ut textum documentorum hominibus nobis contemporaneis reddamus intelligibilem. Proin non pauca verba et nomina substantiva vel etiam adiectiva, quae olim ab initiali litera maiuscula inchoabantur, hodie characteribus minusculis transcribere necessum videbatur, et e contra. Item alia olim vigeat ratio textus in sententiarum seriem subdivisionis, quae hodie non iam amplius persequi potest.*

4. *Nominum transcriptionem talem sequemur, qualem ipsa monstrant documenta, nisi error evidens irrepsisse apparet, modo speciali in documentis Romae transumptis vel exaratis. Non est ergo mirum, si varietas valde conspicua in uno eodemque documento observari potest. Casus tamen vere dubios notula aliqua explicare contendimus. Ceterum suppleat bona intentio et voluntas tum scriptoris olim, tum editoris hodie. Parum enim interest, modo res ipsa bene tractetur. Non est ergo quaerenda hac in re stabilitas aliqua, quae stabilitas nec in documentis ipsis invenitur.*

5. *Modo generali, nisi aliter adnotetur, omne quod scriptum est scriptura s. d. cursiva nostra est textui additio, ut argumentum, locus, tempus, et aliae circumstantiae indicentur. Tituli currentes solummodo faciliori documentorum consultationi inservire debent.*

6. *Locum documentorum conservationis vel publicationis characteribus minoribus indicamus in ipso documenti initio, brevi argumento praemisso.*

7. *Documenta vere originalia manuque propria subscripta indicantur signo (mp); alia maiori ex parte transumpta sunt contemporanea.*

8. *Conscii nobis sumus nos non omnia documenta, quae existunt, publici posse facere iuris, quia hic et nunc plura nos latent. Nobis proin reservamus temporum successu supplementa diversa typis imprimere.*

9. *Quod spectat Indices notandum est hos a nobis pro unoquoque casu stabilitum iri. In collectionibus tamen, quae plus quam uno constant volumine, eandem rem tractantibus, Indices hi nominum et rerum in fine ponentur ultimi voluminis, ne eadem nomina repetantur, et ut consultatio facilius reddatur. Ideo etiam ea, quae colligi possunt ex documentis, quae S. Josaphat respiciunt, indicibus nominum et rerum indicabimus in fine totius collectionis documentorum romanorum de hoc Sancto tractantium.*

10. *Unicuique volumini Fontes et Bibliographiam ad casum spectantem indicare, in quantum in nobis est, studebimus, non tamen nimis de eiusdem bibliographiae plenitudine curabimus, ne ipse progressus collectionis documentorum et eorum editionis nimis retardetur.*

11. *Brevi Introductione, quam singulis voluminibus praemittimus, explicationes quasdam lectori ad manus dare contendemus, non vero completam materiae publici factae iuris elaborationem, de qua alii historiographiae studiosi suo tempore curabunt.*

*In fine conscii nobis sumus nos aggredi opus momenti non parvi ex una, et durationis non brevis nec non expensarum sat conspicuarum ex alia parte. Certe non est opus redituum, commodi vel facilis et vanae gloriae, sed expensarum, sacrificii, servitii rei communis, laborum et sudorum.*

*Nosmetipsi duabus praesertim ducimur sententiis: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam » (Ps. 113,1) et: « cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus » (Luc. 17, 10).*

Romae, 25. III. 1952.

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO



bus et exemplo Josaphat permotus Joannes Rutskyj monasterium Vilnense ingressus est anno 1607 (1. IX).

Hoc tempore Josaphat, ordinatus Diaconus, vitam suam apostolicam inchoavit, Unionis propagationi consecratam. Dein, Josepho Rutskyj vices Metropolitanani Kioviensis in Lithuania gerente, Josaphat iuvenum monachorum institutioni deditus erat omniaque fere munera monastica adimplebat, cum magna omnium admiratione, Schismaticorum invidia et odio persecutus.

Tandem anno 1613/14 Josepho Rutskyj ad sedem metropolitanam Kioviensem promotus, Josaphat ei in officio Archimandritae Vilnensis successit eoque usque ad annum 1617 potitus est.

Anno 1617, reformatione cleri regularis Ecclesiae Unitae inchoata, a Metropolita Josepho Rutskyj in coadiutorem Archiepiscopatus Polocensis, ad latus Gedeoni Brolnyckyj, nominatus est cum iure successionis privilegioque regio ad dignitatem hanc donatus. Humiliter dignitatem hanc et officium renitentem et fugam meditantem Metropolita aliique Patres spirituales ad onus hoc suscipiendum persuaserunt.

Tandem in episcopum consecratus, ut coadiutor Gedeonis Brolnyckyj anno 1618 (9. 1) Polociam sollemniter ingressus est, et cum magno gaudio omnium exceptus, brevi tempore corda omnium conciliavit.

Hoc eodem anno, Archiepiscopo Gedeone vita functo, ei iure successionis in sede archiepiscopali successit, et brevi tempore corda omnium suae dioecesis fidelium ad Unionem Sanctam convertit. Cleri educationi disciplinaeque assidue invigilabat, regulis eam, constitutionibus, catechismo aliisque libris nec non synodis archidioecesanis ad meliorem statum reducendo.

Anno 1620 contra omne ius ecclesiasticum contraque omnia privilegia regia ad sedem Polocensem consecratus est clam a Theophane patriarcha Hierosymitano Meletius Smotryckyj, monachus Schismaticus Vilnensis, et polemista anticatholicus magnae notae.

Hic, missis litteris ad civitates Archidioecesis Polocensis simul cum aliquibus monachis schismaticis, totam Archidioecesim perturbavit et a Pastore legitimo, Josaphat, avocavit. Et ibi incipit periodus trium annorum valde dolorosa. A grege suo derelictus - Josaphat minis imperterritus ovem perditam recuperare contendebat et multum effecit. Bonitate, persuasione aliisque zeli sui mediis magnam partem suarum recuperavit ovium spiritualium, altera vero pars exacerbata mortem ei minitabat.

Tandem anno 1623, primis diebus mensis Novembris, Archidioecesim suam visitans Vitebscum venit, ubi vultu simulato a civibus acceptus, mox die Dominico, 12 Novembris, in Curia sua archiepiscopali a populo civitatis, instigantibus primariis civitatis viris, occisus est, et corpus eius in flumen Dvyna proiectum, quod per totam fere hebdomadam in aquis quaesitum, tandem inventum, Polociam translatum et in ecclesia S. Sophiae reconditum est.

Hoc tempore, nuntio a Metropolita Kioviensi accepto de tam immani facinore (23. XI. 1623), Nuntius Apostolicus Varsaviensis, Joannes Baptista Lancellotti, Curiam Romanam certiore fecit (7. XII. 1623; cfr. nr. 1, p. 5). Et hic incipit illa documentorum romanorum in causa

S. Josaphat series, in ordine nempe ad determinandum characterem eius mortis et dein in ordine ad Beatificationem et Canonizationem.

## 2. DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS (1623-1628)

Documenta haec Romana in duas naturaliter subdividuntur partes: I. a morte (12. XI. 1623) usque ad Decretum Beatificationis (16. 5. 1643), II. a Beatificatione (1643) usque ad Bullam Canonizationis (29. VI. 1867). Hanc ergo duplicem seriem documentorum, Deo iuvante, tribus absolvere conabimur voluminibus, quorum primus paginis sequentibus publici fit iuris, primum annorum lustrum comprehendens (1623-1628).

Omnia fere documenta huius primi quinquenni convergunt in Processum Beatificationis, qui revera confectus fuit anno 1628 in civitate Polocensi et Vitebscensi, diebus 20.III.-1.IV, et quidem auctoritate apostolica vi litterarum remissorialium S. C. Rituum. Processus hic est documentum principale praesentis voluminis; nunquam etiam antea editus erat, quia suo tempore, post longam discussionem (1629-1634) a S. Congregatione Rituum propter defectum formae reiectus fuit.

Primum documentum romanum, et quidem romanum destinatione, exaratum fuit die 25.XI.1623 a Metropolita Josepho Rutskyj, quod documentum tamen invenire non potuimus. Qualis nam fuit tenor illius epistulae indicant nobis verba Nuntii Apostolici (7.XII.1623; nr. 1, p. 5). Documentis sub nnr. 2 et 3 (cfr. p. 5-17) a nobis positus innittitur tota causa S. Josaphat. Ex « relatione » enim hac de vita et morte Servi Dei Josaphat (nr. 3, p. 8), a Metropolita Josepho exarata, interrogatoria et positiones super vita, morte et causa mortis Josaphat Kuncewycz Romae confecta fuerunt, super quibus postea testes in Processu anni 1628 et 1637 deponebant. Ad primam hanc relationem spectant etiam documenta sub nnr. 4, 5, et 7 (pp. 18, 19, 22). Hucusque prima documenta romana sua destinatione.

Primum responsum a Curia Romana datum fuit die 3.II.1624 (nr. 6, p. 21), quo punitio parricidarum Vitebscensium sollicitatur. De hoc eodem argumento tractat etiam S. Congregatio de Prop. Fide die 7.II. 1624 (nr. 8, p. 24). Huic fini inserviunt etiam Brevia Pontificia ad varias Poloniae et Lithuaniae personas (nnr. 9-18, pp. 24-32), de data 10.II.1624, quibus punitio parricidarum inculcatur, ut « sentiat haeresis non deesse cruentibus sceleribus supplicia » (nr. 18, p. 33).

Revera iam die 9 Decembris 1623 Rex Sigismundus Palatino Vilnensi, Leoni Sapiuha, punitionem civitatis Vitebscensis demandavit (cfr. p. 266, nr. 76), qui simul cum aliis Commissariis civitatem diebus 18-20.I.1624 severiter punitus est, qua de re Metropolita Rutskyj die 11. II. 1624 (nr. 19, p. 33), Nuntius Apostolicus Lancellotti (nr. 20, p. 34) et ipsum « Decretum Commissoriale Vitepscense » (nr. 76, p. 264 ). Tribus mensibus subsequentibus, id est a die 11.II.1624 usque ad diem 30.IV.1624, factum est, ut lectis variis relationibus de vita et morte et causa mortis, nec non de primis miraculis Servi Dei Josaphat (nr. 20-

26, et praecedentes), S. Congregatio de Propaganda Fide die 30.IV.1624 decreverit Processum de vita et morte dicti Josaphat conficiendum esse, « ne res tanti momenti ab Universa Ecclesia ignoraretur, et memoria tanti viri imitatione dignissimi temporum iniuria, oblivioneque periret » (nr. 27, p. 40).

Epistulis hac de re ad Nuntium Poloniae (nr. 28, p. 40) et Metropolitanam Kioviensem (nr. 31, p. 44) scriptis, interea Breve Pontificium (cfr. nr. 29, p. 41) et Instructio (nr. 30, p. 41) praeparabantur. Sed in hoc puncto intervenisse videtur S. Congregationem Rituum, quae ordinavit, ut Processus hic non auctoritate ordinaria, sed auctoritate apostolica conficeretur. Inde Breve, supradictum, non fuit transmissum (cfr. nr. 29, p. 41) et negotium litterarum remissorialium a S. C. Rituum exarandarum decretatum est iam die 31.V.1624 (cfr. nr. 37, p. 48).

Interea Metropolita Rutzkyj sua ex parte explicite hoc ipsum sollicitabat: « desideremus vehementer, si Sua Sanctitas declararet ipsum esse Martyrem, prout S. Stanislaus declaratus fuit Martyr... » (nr. 33, p. 45-6); Regi Poloniae gratiae agebantur pro exemplari punitione civitatis Vitebscensis (nnr. 34-36, 38-39, pp. 46-47, 48-49), et S. C. de Prop. Fide petitionem de Processu fabricando a SS. D. N. Urbano VIII subscribi curavit, quam petitionem « Sanctitas Sua hilari vultu... uti iustissimam admisit » (nr. 37, p. 48); litterae remissoriales inde in S. C. Rituum preparari coeperunt, prout Metropolitanae Kioviensi scriptum erat die 25. I.1625: « SS. mus D. N. supplicationem piae memoriae Josaphat Archiepiscopi signavit et nunc in Sacra Rituum Congregatione de articulis, et literis remissorialibus agitur, quae omnia, ut citius expediantur, Abbas Victorius Scialach, Maronita, Patris Raphaelis amicus sollicitanda suscepit » (nr. 46, p. 58).

Revera ne res ista oblivioni daretur Romae non pauci adlaborabant. Ita praeter Alumnos Korsak et Podbereskyj, qui de scripturis praeparandis curabant, qui septem Urbis ecclesias obibant, commendando Domino Deo hoc et alia negotia, prout eis Metropolita iniunxerat (p. 46, nr. 33), die 12. IX. 1624 Alumnus Collegii Graecorum, Thomas Xenicepulos orationem habuit in Collegio Romano, coram delecto auditorio, qua laudes vitae et morti, nec non virtutibus Servi Dei Josaphat cecinit (nr. 40, p. 49-55) et quam hunc in modum absolvit: « spes est, ut tanti viri virtus tanquam exemplum omnibus imitandum publice proponatur debitisque honoribus excipiatur... » (nr. 40, p. 55).

Hoc idem procurabatur imagine Servi Dei Romam transmittenda (cfr. nr. 41, 43, pp. 55, 56), Vita eius a Josepho Velamin Rutzkyj conscripta (nr. 3, p. 8) et ab Episcopo Volodimiriensi edita Romanoque Pontifici dedicata (nr. 44, p. 57).

Ut patet ex ulterioribus documentis in Bëlorussia et Ucraina interea tumultus timebantur ex una parte (nr. 42, p. 56), ex alia vero timor decretis regiis incussus apud Schismaticos aperte sentiebatur (nr. 45, p. 58). Denique diebus 26-28.I.1625, Polociae, Servus Dei Josaphat solemniter tumulatus sepulchroque suo impositus est, qua de re optime retulit Raphael Korsak, Archimandrita Vilmensis (nr. 47, p. 58), Alumnus olim Collegii Graecorum (rediit 28.XII.1624), qui festivitatem et triumphum potius hunc Servi Dei describens dicit: « per omnes Polo-

censes tam Ruthenorum quam Latinorum ecclesias festivus campanarum sonus tanto fragore exaudiebatur, ut Polocia tota super victoria Josaphat triumphans campanam ad exhibendam victori celebritatem induisse videretur » (nr. 47, p. 61).

Interea litterae remissoriales instanter sollicitabantur a Metropolita (nr. 48) tum etiam a S. C. de Prop. Fide (nr. 50, 51), quae « iussit sollicitari remissoriales pro p. m. Josaphat » (p. 62). Tandem, prout constat ex ipsa introductione ad Processum an. 1628, ubi documenta principaliora transumpta sunt, die 25 Septembris 1625 ad ipsam iam subscriptionem litterarum remissorialium Romae in aedibus S. C. Rituum deventum est (cfr. p. 88). Quando tamen litterae hae transmissae fuerunt Polociam non satis apparet ex ipsis documentis romanis (cfr. nr. 52, p. 64). Certum tamen est eas mense februario 1626 Varsaviam nondum pervenisse (cfr. nr. 52). Tantummodo post Synodum Provinciam Cobrynensem (mense Septembri, 1626) Antonius Sielawa Polociam reversus litteras has domi invenit, quibus Processus auctoritate apostolica fabricandus ei aliisque Episcopis commendabatur, nempe Episcopo Vilnensi Eustachio Wołłowicz, prout Iudici remissoriali, et Ep. Haliciensi, Raphaeli Korsak, prout causae Procuratori (cfr. nnr. 54-57, pp. 65-68).

Sed, proh dolor, res ista per duos fere annos exspectata et sollicitata executioni mandari non potuit, propter gravissimas Magni Ducatus Lithuaniae circumstantias politicas, quibus Episcopus Vilnensis, ut Regni et Ducatus Senator, ad alia negotia distractus erat: « Novis enim in dies recrudescentibus bellorum malis Ill.misque Antistitibus, quibus gravissimum hoc negotium demandatum, in varia distractis, sed et longissime ab Archiepiscopatu meo distantibus fit, ut vix ac ne vix quidem hac hieme illud, quod vellemus et deberemus, exequi valeamus » (nr. 55, p. 66-67).

Quatuor epistulis ad varias personas S. Sedis datis ab Antonio Sielawa supplicabatur, ut negotio huic gravissimo remedium aliquod procuraretur (nnr. 54-57). Insimul Archiepiscopus Polocensis, visis novis miraculis et devotione Polocensium, S. Sedi supplicabat, ut facultatem sibi concederet altare erigendi super sepulchro Servi Dei in civitate Polocensi, ut ita devotioni populi et desiderio Nobilium satis fieret (nnr. 54-57), qui « notabilem contribuere summam pecuniae pro altari ad tumulum erigendo » (nr. 55., p. 67). Sed res visa est Sanctae Sedi adhuc praematura et extra eius modum procedendi similibus in casibus (cfr. nnr. 62, 64, 65). Ideo Archiepiscopo concessa fuit tantummodo facultas ut « possit vota, tabellas, imagines, candelas, lampadas, et alia huiusmodi in testimonium gratiae, quae ad sepulchrum praedicti Josaphat offerentur, recipere, factis tamen peculiaribus eorum notis, et causarum per quas offerunt, per notarium publicum, in libro ad hunc effectum parando, describendis » (nr. 64, p. 73). Difficultati vero Processum hic et nunc conficiendi ut obvenirent decretum fuit per novas litteras remissoriales ad effectum, ut « bellorum Poloniae impedimentis vigentibus, possit per unum ex delegatis in causa praedicti Josaphat ulterius procedi » (nr. 64, p. 73). Alia vero gratia in hoc consistebat,



quod Sanctitas Sua « processum dicti Archiepiscopi Josaphat cum Romam transportatus fuerit, statim aperiri iubebit, cum alii similes per aliquot annos ex Sanctitatis Suae Decreto in Archivio clausi conservari debeant » (nr. 65, p. 74).

Alio documento proponebatur, ut Archiepiscopus Polocensis solus ad Processum conficiendum procedere posset (nr. 66, p. 75). Interea Metropolita Rutzkyj Sanctae Sedi conversionem Meletii Smotryckyj, Pseudo Archiepiscopi Polocensis, ad fidem catholicam nuntiavit his verbis: « ego nulli alteri quam sanguini Servi Dei Josaphat hanc concessionem adscribo, sicut e converso mortem eiusdem tanquam causae originali Rev.mo Meletio cum voce poluli attribuo » (nr. 67, p. 75).

Tandem secunda, ut videtur, anni 1627 medietate aliae litterae remissoriales Roma expeditae fuerant, sed ecce novum evenit impedimentum: « tardissima necdum absoluta Rev.mi Episcopi Methonensis consecratio », Georgii videlicet Tyszkiewicz, Suffraganei Vilmensis (nr. 68, p. 76: die I. XII. 1627). Et tamen Deus Optimus Maximus novis gratiis ad preces Servi Dei rem ipsam urgebat, prout sanatio ducis Alexandri Zasławski et exstinctio incendii in civitate Zamoscensi monstrant (cfr. nr. 68, p. 76).

Tandem aliquando die 2 Martii 1628 Episcopus Vilmensis Eustachius Wołłowicz litteras patentes triplices edidit, tempus et locum Processus intimando, diem nempe 20 Martii anni currentis in civitate Polocensi (cfr. nr. 71, 101-103). Sua pro parte et pro sua Archidioecesi idem fecit Archiepiscopus Polocensis Antonius Sielawa, die 12 Martii 1628 (ibid., p. 103-104). Hoc modo deventum est ad Processum Polocensem anni 1628, auctoritate apostolica fabricatum (nr. 71, pp. 79-221).

De Processu hoc plura dici possunt, prout de fonte biographico et hagiographico primario testimonioque fide digno, etiamsi hic Processus propter formae praescriptae inobservantiam, ceterum culpae non obnoxiam, a S. C. Rituum reiectus fuit. Sed reiecta forma, nondum reiectae erant pretiosae notitiae, prout ex diversis documentis iam Romae elaboratis in decursu nostrae Collectionis clare patebit (vol. II).

Processus an. 1628, qui hodie in Archivio S. C. Rituum conservatur, quod Archivum sua ex parte collocatum est in Archivio Secreto Vaticano, est transumptum notarile Processus originalis, et proinde habet valorem textus originalis, cuius collocatio nobis ignota est. Transumpta talia revera tria adsunt (nr. 2285, 2286, 2287), sed diversae scripturae et claritatis. Nos in nostra editione sequemur volumen 2287, quae copia omnium clarior est.

Pars introductoria nihil aliud est, nisi processus verbalis aperiitionis Inquisitionis Polocensis (p. 79-86) et transumpta litterarum remissorialium (p. 82-100) nec non patentium (p. 101-104), simul cum argumento totius Processus et elencho testium (p. 105-113). Hic explicatur etiam methodus procedendi in examine testium (p. 104-105, 106, 113-114). Dein post descriptionem triumphalis ingressus Servi Dei Polociam anno 1618 (9. 1) sequitur immediate Actio prima in civitate Polocensi, in qua Actione testimonia sua tulit Nobilitas civitatis et Palatinatus Polocensis, quae hac occasione Polociam accederet (p. 122).

Sed antequam ipsa testimonia, oralia praesertim, excepta fuerunt,

Procurator Causae, Raphael Korsak, praesentavit Actum Officii Episcopalis Volodimiriensis, auctoritate ordinaria confectum, de nativitate, baptismo et educatione christiana Servi Dei in civitate Volodimiriensi, ex quo Actu sex testes oculati citati erant, omissis aliis testibus auctoris, utpote concordantibus in omnibus cum praecedentibus (p. 121).

Primus testis auctoritate apostolica examinatus est Ill. mus D. Alexander Tyszkiewicz (p. 122), quem subsequuti sunt alii 20 plus vel minus insignes. Non est nostrum hic ne paucis quidem verbis eorum depositiones referre, notitiis biographicis repletas, ne introductio nostra nimis protrahatur. Testimonia haec debent sane legi in extenso, ut eorum valor bene aestimari possit. Excepto uno alterove haeretico in hac prima Actione testes ex utroque Ritu numero quasi pari deposuerunt. Notandum omnes hos testes fuisse viros graves, maturos, fidedignos, ceteroquin sub iuramento deposuisse et coram toto populo. Hoc eodem modo, praevaletibus semper testibus ritus Rutheni, in aliis etiam Actionibus res actae sunt, et quando ad simplices cives devotum est soli fere fideles ritus Rutheni deponebant. Actione secunda deposuerunt sua testimonia Magistratus Polocensis, aliique cives Polocenses. Testimonia 34. usque ad 37. sunt revera extractus ex libris officialibus Magistratus Polocensis de gratiis intercessione Servi Dei acceptis (p. 140).

Die Mercurii, 22.III.1628, in Actione tertia Polocensi excepta sunt testimonia « omnium et singulorum ex statu spirituali » (p. 145). Depositiones hae virorum spiritualium, quae incipiunt cum teste 53, R. P. Stanislao Kosinski, Rectore Collegii Polocensis Soc. Jesu, abundant notitiis tum hagio-tum biographicis. Fuerunt testes, qui Sanctum per tempus longius bene cognoscebant. In fine huius Actionis tertiae « datus est locus testimonio personarum Deo dicatarum sexus feminei utriusque itidem ritus » (p. 160), et quidem « vocatae fuerunt in medium moniales Ordinis S. Basilii » (p. 160), quae unanimi voce per Superiorissam suam, Alexandram Wołkowna, « Pastorem optimum, sanctum, iustum, omniumque virtutum plenum esse confessae sunt » (p. 160).

In Actione vero quarta (23.III.1628) « Patres... ad testimonia per seipsos de Servo Dei ferenda accesserunt » (p. 161). Et ita inchoando ab Archiepiscopo Polocensi, Antonio Sielawa, usque ad ultimum Notarium huius causae, omnes testimonia vere pretiosa fecerunt (p. 161). Praesertim testimonium Antonii Sielawa (testis 68) maximi est momenti, nam ille « in Monasterio Vilnensi... ingressus, anno 1612, statim in Patrem spiritualement, et Directorem Servum Dei Josaphat habuit » (p. 161). Et inde, incipiendo ab his ipsis initiis usque ad gloriosum eius martirium et miracula eius intercessione patrata Servum Dei ante oculis praesentium coloribus vivissimis depinxit. Postea Episcopus Haliciensis (test. 69, p. 166) sat plenum dedit argumentum orationis Leonis Creusa, habitae in funere Servi Dei, anno 1625, mense Januario, quod argumentum 18 constat punctis, totam vitam Servi Dei tractantibus.

Omnium longissimum fortasse testimonium sub iuramento sacerdotali deposuit Hegumenus Monasterii Polocensis, Adm. R. P. Gennadius Chmelnycy, Ordinis Basiliani, « tanquam Servi Dei contempo-



raneus, et qui a confessionibus in Polocensi iam Episcopatu agenti fuerat » (p. 174, testis 71), et Servum Dei iam anno 1599 cognoverat, qui tunc annum circiter 17 agebat, ipse vero vigesimum (p. 174). Descripta vita Sancti fusius de virtutibus Servi Dei egit, ut monachi et Archiepiscopi. Impossibile fere est breviter verba testis istius valde concisa referre; ipse textus consuli debet (p. 174). Est nempe testimonium fundamentale. Ideo iam testis subsequens, Rev. mus Hegumenus Mohilovien- sis, P. Gervasius Hostyłowskyj, audito testimonio praecedenti, « nolens longius longissimam et omnibus notissimam rem protrahere, omnia quae de Servo Dei supra dicta sunt... verissima esse testatus est » (p. 185), et proinde potius in eius virtutibus describendis commorabatur (test. 72, p. 185). His testimoniis et aliis brevioribus aliorum Patrum Actio haec conclusa est tempore matutino, die 23.III.1628, feria quinta.

Actio Polocensis quinta tota dedicata fuit revisioni corporis et sepulchri Servi Dei, de qua revisione agitur etiam in litteris remissoria- libus (p. 87). Sed iam in principio ob diversas rationes (p. 191) « conclu- sum est, corpus Servi Dei non modo secundum instructionem Sedis A- postolicae privatim aliquibus, sed publice pluribus ostendendum esse » (p. 191). Ratio primaria, excepto desiderio plurimorum virorum gra- vissimorum, haec fuit, quod « plurimi ex hostibus Ecclesiae Dei... idem ambiebant, alias solam statuam illic occultari dicturos se fatebantur, vel in pulveres omnino redactum » (p. 191). Ideo vocatis multis ex variis Officiis et populo in ecclesia assistente, sepuchrum apertum est et cor- pus extractum, recognitum, novis vestibus vestitum et demum populo ad videndum expositum. Excepto vestitu episcopali putrefacto « corpus, manus, pectus, pedes, uno verbo totum corpus ita fuit tractabile, ut quilibet articulis in suam partem flecti posset » (p. 191). Corpore ante altare maius exposito « clara voce revisum est, et quid relictum claris- sime intimatum, atque ad acta praesentia illatum » (p. 193). Deinde, re- posito corpore in sepulchro, revisa sunt imago Servi Dei, et votiva ad eius sepulchrum. (p. 193).

In Actione sexta, die 24 Martii, peracto S. Missae sacrificio, ponti- ficaliter celebrato, Archidiaconus Albae Russiae, sermone ad populum habito, Schismaticorum pravitatem Servum Dei calumniantem redarguit. Dein totus populus in ecclesia congregatus interrogatus est, an eadem de Servo Dei sentiret, quae supra exposita erant, et « unanimi voce universus affirmative respondit populus » (p. 194). Denique Archiepis- copus Polocensis, Episcopus Haliciensis, Rector Collegii Polocensis Ser- vum Dei Josaphat in Patronum suarum Dioecesis, Ordinis, et Collegii sumpserunt, et pro canonizatione humillime supplicarunt (p. 194). Idem fecit etiam Magistratus Terrae et civitatis Polocensis (p. 194).

Obsignato sepulchro, promulgatis sanctionibus contra omnes qui auderent sepulchrum obsigillatum aperire, aliisque necessariis perac- tis, in ipsis iam aedibus archiepiscopalibus excepta sunt testimonia in- signiorum Iudaeorum Polocensium, qui pulchrum sanctitati Servi Dei testimonium dederunt (p. 195).

Hisce sex Actionibus, quinque diebus peractis (20-24.III.1628), In- quisitio Polocensis absoluta est, 80 testimoniis constans.

Deinde, feria fortasse secunda (27.III.), Polocia relicta, Commissa-

rii Apostolici Vitebscum venerunt (29.III.) statimque citationes civibus ad comparendum die sequenti (30.III.) expedierunt.

Actio septima, Vitebscensis prima, locum habuit in ecclesia parochiali B.mae V. Mariae, prout etiam aliae tres. Iuramento praemisso oculati vitae et mortis Servi Dei testes testimonia sua deposuerunt, et quidem Catholici, Schismatici et Haeretici, clerici et laici, simplices cives, et officiales Magistratum. Omnium una erat de eius vita et morte vox et opinio: Sanctus in vita, martyr in morte.

Tota Inquisitio absoluta est tandem die 1 Aprilis 1628, Actione decima, Vitebscensi quarta, pomeridiana, in qua loca martyrio Servi Dei Josaphat sanctificata visitata sunt. Die vero Dominico, 2-a Aprilis, tota civitas, sub ductu Vicepalatini, absolutionem sceleris sui a Commissariis Apostolicis expetivit et revera confessarios obtinuit (p. 217). Dein, exceptis etiam testimoniis praecipuorum Iudaeorum Vitebscensium, Commissarii Polociam redierunt, visitato in itinere D. Samuele Mirski, Iudice Terrae Braclaviensis, et Vicedapifero Terrae Polocensis, Martiano Giedroyc, Calvinista primo, et Schismatico secundo, qui testimonia sua de Servo Dei dederunt (p. 218).

Hisce Processus absolutus est quoad testium depositiones. Diebus proinde ulterioribus triginta testimonia haec Polociae radacta sunt in formam prout nunc habentur, scilicet « in brevem res redigenda videbatur ordinem contractis verbis, eo quod ipsum latius esset corpus » (p. 114). Quoad ipsum methodum huius contractionis videnda sunt verba Notarii, Alberti Brannicki: « sed et illud immerito praecavendum, quare ipsi testes suis testimoniis manum non subscripserint. Id enim factum est ideo quod res ipsa historico more videbatur referenda, ut quidem mors fert patriae similia excipienda testimonia, et non per interrogationes, aut manuum subscriptiones... Praeterea multi ex testibus nonnisi in vulgari scribere sciverant, latine penitus ignari.. demum aliqui ex testibus propria manu scripserunt sua testimonia, et subscripserunt, sed vel ex vulgari idiomate in latinum necessario transferenda erant cum ipso nomine, vel latina testimonia in ipsum corpus Inquisitionis inferenda, cum propria subscriptione in utroque casu abolitione, sed et Notarii Apostolici nonnisi in fine totius Inquisitionis sese subscripserunt et sigilla sua apposuerunt infra manum Rev.morum Commissariorum, quia cum tota Inquisitio propria mea Alberti Brannicki... scripta fuerit manu, eandem in diversis apponere locis superfluum videbatur... » (p. 114).

Excepta omissione iuramenti expressi quoad aliquos testes insigniores in hoc modo « historico » rem referendi principalis consistebat difficultas et obiectio, propter quam Processus hic reiectus est, et nova Inquisitio intimata.

Etiamsi Processus hic postea valore suo iuridico destitutus est, tamen historicum suum valorem semper conservavit, ex eo praesertim, quod plus quam 150 (prout in elencho pp. 105-113) vel plus quam 110 (secundum adnotationes marginales) testium testimonia conservaverit, et quidem testimonia recentissima, primo lustro ab ipso martyrio data.

Defectus huius valoris iuridici in causa erat cur Processus hic, etiamsi consultatus (praesertim a Dom A. GUEPIN, *Saint Josaphat...*), nun-

quam tamen editus hucusque fuerit. Non est proinde mirum, si nostri voluminis partem constituit principalem (pp. 79-221).

Processui huic anni 1628 adnexa fuerunt nonnulla documenta, quorum existentia colligitur ex ipso textu, quorum tamen copia romana, in unum collecta fasciculum, non habetur. Proinde appendicem hunc ex diversis fontibus colligere debuimus.

In primo loco (nr. 72) ponendus erat Catechismus a S. Josaphat pro suis praesbyteris compositus (p. 221-234). Catechismus hic diversis iam vicibus editus est, ultimis vero temporibus in ephemeride «Kovčeh» et «The Ark» (1951) in textu ucrainico et anglico. Cuius valor hic nostra minime interest.

Deinde (nr. 73) positae sunt Regulae et Constitutiones item pro sacerdotibus Archidioecesis Polocensis destinatae, numero 48 regularum et 9 constitutionum. Etiam hoc documentum non est novum, imo aliquibus iam vicibus editum, et ante canonizationem ab Alphonso Guépin notis illustratum, quae notae postea in libro eiusdem auctoris de S. Josaphat publicae factae sunt iuris (vol. I: pièces justificatives). In nostris adnotationibus cum parvis mutationibus sequimur hunc doctum auctorem.

Sub numero 74 posuimus epistolam Leonis Śapieha, Magni Cancellarii Lithuaniae, scriptam ad sanctum Virum die 17 Martii 1622, stylo valde acerbam, et argumento penitus iniuriosam. Epistula haec S. C. Rituum et Sanctam Sedem Apostolicam non latuit inde ab ipsis principiis inquisitionis de vita et morte Servi Dei. Nostrum textum habemus tamen ex copia secundi Processus Polocensis (an. 1637).

Ipsae editiones huius epistolae nec non discussio de eius valore interno brevem iam habent historiam, quae in duas dispescitur partes, quarum una dat semper textum plenum, nihil addendo, nihil minuendo, et explicat eam secundum responsum datum ab ipso Sancto (cfr. nr. 75, p. 255, de data 22.IV.1622), altera vero aliqua detrahit iniuriose, vel mutat false explicatque semper in partem peiorem.

Ita iam Bantyś-Kamenskij (anno 1805), nescitur cur, epistolam hanc anno 1793 a D. Tumanskij in traductione rossiaca editam, in quibusdam rebus brevioram fecit, quam abbreviationem postea alii in linguam polonicam traducendo (Linde, Wiszniewski) conservarunt, vel etiam sensu omni falso alterarunt (V. Kudryk, 1948). Non est nostrum hic apologiam aliquam textus originalis instituere, qui textus originalis (in lingua bėlorussica huius temporis) conservabatur olim in Bibliotheca Academiae Vilmensis. Sed, videamus modum pravum, quo etiam verba Sancti insidiosae alterata sunt. Ita Leo Śapieha citat verba S. Josaphat, quae postea in suum modum commentat: «Ergo licitum est illis submergere, decollare Unitos etc.», quibus Sanctus alludit ad eventus Kioviensis, et Sarogrodenses ann. 1620-21. Haec verba Bantyś-Kamenskij hunc in modum traduxit: «continuatis: licitum est vobis Unitos submergere, decollare etc.»; similiter Linde et Wiszniewski, unde V. Kudryk sensum, immo verba alterando, hoc modo vertit: «adducitis: licitum est vobis non-Unitos submergere, decollare etc.». O, perfidam iniquitatem, quae sibi etiam titulum praesumptuosum «historicae dissertationis» usurpavit! Simples lectores tali modo fortasse de-



cipi possunt. Insuper qui prae manibus textum huius epistolae non habet falsificationem facile revelare non potest. Sed verba Sapiehae subsequenter, quibus querelam Sancti commentat nobis clare dicunt: non agi de aliquo « iure » decollandi et submergendi non-Unitos, quod ius S. Josaphat sibi vindicaverit, sed agitur de eventibus historicis oppressionis Unitorum ex parte Schismaticorum, de qua oppressionis utpote impunita Sanctus lamentatur, quasi de aliquo iure Schismaticorum.

Sed videamus aliud exemplum. Alio loco eiusdem epistolae Leo Sapieha citat verba Sancti hunc in modum: « Itaque fides catholica Romana et relinquenda et ex Regno propulsanda etc. » (p. 251). Et de quonam agitur patet ex ipso commentario Sapiehae ad haec verba Sancti, qui conquestus est hic, quod tota politica et eventus eo tenderent in Regno Poloniae, ut Unio reliqueretur vel tandem violenta manu Cosaccorum omnino ex Regno propulsaretur. Nunc vero hunc sensum ex contextu et ex ipsis verbis omnino clarum nostri traductores ita reddunt: « Hi vero, scribitis, qui Unionem non accipiunt, omnino prohibendi et propulsandi ex Regno etc. » (V. KUDRYK, *op. cit.* p. 68). Et talis traductio datur sub titulo « dissertationis historicae! » Ecce cum quibusnam adversariis pugnare debeat veritas, quae falsa dicere non potest. Sed ad confundendos inimicos sufficit veritas ipsa, modo clare proponatur. Et revera proposita erat iam ab ipsis initiis, non vero ut dicit famosus Kudryk: « Primus epistolam hanc invenit inter scripta Kuncevicii monachus graeco-catholicus et biographus Kuncevicii, Kulčynskij » (cfr. KUDRYK, *op. cit.*, p. 73). Iam anno 1628 epistula haec in linguam latinam traducta, Romam missa fuit simul cum Processu Beatificationis, altera vero vice anno 1637, vivente adhuc Leone Sapieha (+ 7. VII.1633), et quidem nihil addendo, nihil minuendo. Nam si aliquis voluisset omnes obiectiones contra sanctum Virum suppressere, certe vel totam epistolam delere debuisset, vel eam omnino mutare. Si vero transmissa est, prout nunc habetur, concludendum est: eam in nulla re mutatam fuisse, quia omnibus notum tunc temporis erat obiectiones has nullum habere in re ipsa fundamentum.

De hac epistula L. Sapiehae in genere dicedum est eam esse epistolam hominis mere politici, qui, in temporibus difficillimis positus et potentia Cosaccorum nec non minis Moscoviae perterritus, tergiversare voluit et stylo epistolae aspero ostendere conatus est Gubernium Regni Poloniae nullam habere culpam et non deesse eidem erga Schismaticos bonam voluntatem. Nam fortasse et hae litterae destinatae erant ut in manus Schismaticorum caderent, prout et aliis vicibus id factum est, ut patet ex verbis, quibus excusatur contra similem obiectionem S. Josaphat: « Et licet quidem copiae literarum mearum ad manus Schismaticorum devenirent sum certus quod illae ipsae praeberent testimonium neque Sacram Regiam Maiestatem, neque Senatores, neque Rempublicam dedisse occasionem talium, quae a Schismaticis contra praedictos status aguntur quaerelarum, sed S. D. abusus auctoritatis... » (p. 248). Textus hic omissus est iam apud Bantyš-Kamenskij (ed. 2, p. 74), omissione saltem tribus designata punctis, quae omissio apud alios nullo omnino signatur signo. Certe talis modus veritati cognoscendae inservire non potest. Sed haec dicta sufficiunt. Ceterum

legatur ipsa epistula in copia contemporanea, quam nostra editio praebemus, collustrata responsione S. Josaphat, quae datur sub numero sequenti (nr. 75) nostri appendicis.

Textum responsionis duplici habemus in copia: una ex anno 1628, quam hic publici facimus iuris (nr. 75, p. 255-264), aliam vero ex anno 1637, quam adiunctam Processui an. 1637 typis imprimi curabimus. Inter se sola linguae latinae elegantia differunt, quod duplicem traductionem indicat. Responsum hoc est mere ecclesiasticum, non politicum prout epistula Sapiehae, et obiectiones Cancellarii optime solvit, optimamque dat difficultatum Regni Poloniae solutionem, quae difficultates non a Catholicis, sed potius ab insolentia Cosaccorum ex agitatione hominum extraneorum provenerunt.

Quinto loco Decretum Commissionis Vitebscensis ponendum erat (nr. 76, p. 264-281), quo poena civitati parricidae inflictata fuit. Decretum hoc eiusque argumentum est quasi retractatio calumniarum, quae Leo Sapieha in sua epistula (nr. 74) contra sanctum Virum fecit anno 1622, nam ipse Leo Sapieha, Palatinus Vilmensis, primus erat Commissarius huius expeditionis. Quod spectat ipsum textum optimum est documentum eorum, quae Polociae et Vitebsci annis 1618-1623 evenerunt. Recordari debemus Decretum hoc esse documentum contemporaneum. Primam editionem huius Decreti, ex Actis Civitatis Vitebscensis, curavit Ignatius Stebelskyj, OSBM, anno 1781 in Appendice ad suam « Chronologiam ». Est textus in lingua polonica, cum brevi introductione in lingua alboruthena. Textus a nobis publicatus est traductio latina ex anno 1637, quae, ut supponimus, eadem est ac illa anni 1628.

Inter textum Ig. Stebelskyj et nostrum difficultatem parit transscriptio nominum. Noster textus sequitur morem latinizantem sui temporis. Aliqua nomina non solum quoad transcriptionem literarum latinizata sunt, sed etiam translata in linguam latinam. Ideo in notis indicamus etiam nomina secundum editionem Ignati Stebelskyj, ob meliorem textus consultationem.

Denique sequitur ultimum documentum appendicis, famosa illa Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj « attestatio », quae etiamsi tanti est valoris, nunquam tamen, in quantum nobis constat, in sua lingua originali, latina, edita est. (nr. 77, p. 281).

« Attestatio » haec ex verbis ipsius Metropolitae complementum solummodo est illius « relationis » (nr. 3, p. 8), iam supranominatae, et depositionum aliorum testium. Proinde versatur potius in praehistoria tragoediae Vitebscensis, eventus commemorando praesertim annorum 1608-9. In fine « attestationis » Metropolita aliqua miracula intercessione Servi Dei patrata adduxit, quorum testis erat de visu (p. 290-294).

Hisce additis Processus an. 1628 absolutus est etiam quoad ipsam formam. Documenta alia, eiusdem anni 1628, iam potius de ipsa Processus Romam transmissione tractant. Exinde proveniunt aliquae epistulae Suffraganei Vilmensis (nr. 79, p. 295), Archiepiscopi Polocensis (nr. 81-83, p. 297-299), Palatini Trocensis - Tyszkiewicz (nr. 84) nec non ipsius Metropolitae Rutskyj (nr. 85-88, p. 301-4).

Hisce ex documentis colligimus, cur forma S. C. Rituum in Pro-

cessu Polocensi an. 1628 non fuerit quoad omnia observata, nam, ut scripsit A. Sielawa Secretario S. C. de Prop. Fide: « uno enim circiter mense post absolutam inquisitionem reddita est » (10.VI.1628, nr. 83, p. 299). Scimus ex. gr. quod « attestatio » Metropolitae tantummodo die 5 Augusti 1628 transmissa fuit Varsaviam (nr. 87, p. 302). Totus vero Processus Romam portatus est fortasse a Methodio Terleckyj, qui mense Septembri, ut videtur, ad « limina Apostolorum » nomine Metropolitae et aliorum Episcoporum profectus erat (nr. 88, p. 303). Nam mense Novembri Processus hic iam Romae in S. C. de Prop. Fide aderat et die 24 Novembris ad S. C. Rituum remissus est (nr. 89, p. 304), ut aperiretur et examinaretur. Qua de re tum Archiepiscopus Polocensis (nr. 90, p. 305), tum Suffraganeus Vilmensis (nr. 92, p. 306), tum etiam Metropolitae Kioviensis (nr. 91, p. 305) a S. C. de Propaganda Fide certiores facti sunt die 2 Decembris 1628.

Hoc documento (nr. 92) finem posuimus praesentis voluminis qui annos 1623-1628 comprehendit.

Volumine sequenti, incipiendo ab ipsa Processus aperitione, alia documenta usque ad ipsum Breve Beatificationis Papae Urbani VIII (die 16.V.1643) colligere conabimur.

Restat, ut aliqua saltem verba faciemus de ipsis fontibus horum documentorum tum existentiae tum etiam conservationis.

### 3. DE FONTIBUS DOCUMENTORUM

Prima res, quae nobis videtur adnotanda, est, quod nulla invenitur in Archivis Romanis collectio horum documentorum generalis, sed singula documenta in variis locis dispersa collegi debuerunt. Fons documentorum tum existentiae tum conservationis est duplex: a) Sacra Rituum Congregatio, b) S. Congregatio de Propaganda Fide. Fere omnia documenta ad hunc duplicem fontem spectant tum provenientia, tum demum destinatione sua, etiamsi eorum praesens collocatio in alio loco inveniat.

Ex natura rei omnia documenta pertinent ad S. C. Rituum, revera tamen in Archivo huius Congregationis pauca tantum conservantur, in specie in Archivo recentiori, in ipsa sede Congregationis collocato.

Praeter litteras remissoriales omnia fere documenta huius lustris in Archivo S. C. Prop. Fideveniuntur, quae causam hanc promoverat. Incipiendo tamen ab anno 1629, id est post transmissionem Processus ad S. C. Rituum, res fere exclusive tractata fuit in S. C. Rituum, et inde in S. C. de Propaganda Fide pauca tantummodo documenta, potius transumpta, adsunt, praesertim quia volumen secundi Processus Polocensis an. 1637 cum aliis documentis connexis translatum est in Archivum Musaei Nationalis Ucraini Leopoliensis (nr. 157).

Quod spectat Archivum S. C. Rituum pars complectens antiquos Processus Beatificationis et Canonizationis collocata est in Archivo Secreto Vaticano, sub proprio titulo: « Archiv. S. C. Rituum », ubi et noster Processus an. 1628 triplici in copia invenitur. Acta ipsius S. C. Ri-



tuum, Decreta, Memorialia et Positiones, quae hodie, etiam quoad partem antiquam, in propria sede S. C. Rituum conservantur, ex tempore ante transmissionem dicti Processus ad hanc S. Congregationem nihil hac de causa habent; omnia documenta, etiam, ut videtur, registra litterarum remissorialium vel deperdita sunt, vel saltem nondum inveniri potuerunt, etiamsi nobis accessus ad hoc Archivum Superiorum benigno permissu concessus fuit.

Archivum S. C. de Prop. Fide, in propria sede, nondum modo sufficienti ordinatum est, et inde non tam facile consultari potest. Inquantum notitiae hoc Archivum spectantes (Smurlo), indicationes Rev.mi Archivista et propria indagatio nobis permisit, documenta ad causam S. Josaphat pertinentia in hoc Archivo colligimus. Et quidem consulere notuimus cum fructu sectiones: Scrittura riferite nelle Congregazioni Generali, Scrittura riferite nei Congressi: Polonia, Moscovia, Ruteni, Acta S. C. de Prop. Fide, Decreta, Lettere latine et volgari, Istruzioni diverse della S. Congregazione, Miscellanea, Congregazioni particolari.

Ex Archivo Secreto Vaticano indicari debet Nunziatura di Polonia, et pars, quae denominatur: Epistolae ad Principes, ubi saltem aliqua colligere potuimus.

Quia vero tota haec causa tractata est tempore Urbani VIII, ex familia Barberini, et eodem tempore duo cardinales eiusdem familiae in regimine ecclesiastico partem principalem habuerunt (Franciscus, Antonius), consulendum nobis erat etiam Archivum eiusdem familiae Barberinae, quod hodie in sectione manuscriptorum Bibliothecae Apostolicae Vaticanae conservatur, sub titulo: Codices Barberini Latini. Et revera praeter varia transumpta documentorum iam aliunde notorum, multa invenimus in hoc Archivo.

Ratione duorum documentorum, quae alioquin invenire non potuimus, quae tamen ad hanc sectionem romanam pertinent, consulendum nobis erat Archivum Abbatiae Grottaferratensis, ubi inter scripta Rev.mi Abbatis Nicolai Contieri (scr. XXIV) invenimus nonnulla, quae nostrum praesens lustrum spectant.

Praeterea ex favore nobis concesso in nostram collectionem duas epistulas inserere potuimus ex Codice Familiae Santacroce, qui codex hodie conservatur in Archivo Musaei Nationalis Ucraini Leopoliensis. In statu praesenti solis transumptis uti necessum erat.

Haec de fontibus ineditis. De editis nil amplius dicendum; satis est si ipse elenchus consuletur. Tum fontium editorum, tum nondum editorum pauca tantummodo volumina adnotata sunt in nostra fontium collectione, quod nullomodo signum est quantus labor hic necessarius erat. Nam hoc in campo procedere debuimus methodo eliminationis, scil. fontium, ubi documenta haec non inveniuntur. Ut fructus huius laboris eliminatorii haec pauca volumina remanserunt.

Nobis conscii sumus, quod labor hic eliminatorius nondum absolvi potuit, spectato praesertim numero voluminum in Archivo Vaticano et in Archivo S. C. de Propaganda Fide, necdum absoluta horum Tabulariorum ordinatione. Semper proinde possibilitas remanebit temporis progressu aliquod documentum separatum adhuc inveniri posse. Utinam tamen hoc quam saepissime eveniat! Non nobis solummodo.

sed omnibus, qui hac in re inquirunt. Si aliquando hoc successerit, in Appendice ad tria S. Josaphat dedicata volumina documenta talia libenter publici faciemus iuris.

Omnes proinde Lectores et Studiosi, si quid hac de re invenerint, benigne rogantur, ut boni communis gratia nobiscum communicent, ut tempestive consilia ac documenta colligi possint.

Nihil aliud nunc iam nobis remanet, nisi ut ad ipsum FONTIUM tum editorum tum non editorum elenchum procedamus.

## FONTES ET ABBREVIATIONES

### I. Fontes

#### A. Fontes inediti

##### 1. ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM

- a) *Archiv. S. C. Rituum*, vol. 2285, 2286, 2287, 2291.
- b) *Nunziatura di Polonia*, vol. 174 A.
- c) *Epistolae ad Principes*, vol. 37, 38.

##### 2. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

- a) *Acta S. Congregationis P. F.*, vol. 3, 4, 6.
- b) *Lettere latine della S. C. de Prop. Fide*, vol. 1.
- c) *Lettere volgari* » » » » , vol. 3.
- d) *Scritture riferite nelle Congreg. Generali*, vol. 56, 57, 67, 69, 182, 336, 337.
- e) *Istruzioni diverse*, vol. 1 (1623-1638).

##### 3. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS RITUUM, *Memoriali* 1629.

##### 4. ARCHIVUM ABBATIAE GROTTAFERRATENSIS, scr. XXIV.

##### 5. ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, vol. 10759.

##### 6. BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

*Barberinus latinus*, vol. 2193, 6226, 6583, 6648.

##### 7. BIBLIOTHECA « TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK » POSNANIAE, vol. A/23/I-II.

#### B. Fontes editi

BANTYŠ-KAMENSKIJ N., *Istoričeskoje izvēstije o voznykšej v Polše Uniji*, Petrogradii 1806; ed. 2 Vilnae 1864.

BOCIAN J., Epp-us, *Sermo panegyricus... Thomae Xenicepuli*, 12.IX.1624; (« *Nyva* » XIX (1924): Homiletyčna časťyna, p. 1-6, trad. ucrainica).

CONTIERI Nicolaus, *Vita di S. Giosafat*, Romae 1867.

DOROŽYNSKYJ D., *Materijaty do istoriji žyttja i smerty sv. svjaščenomučenyka Josafata Kuncevyča archiepiscope polockoho*:

I. *Katechyzm*, Leopoli 1911,

II. *Pravyla dlja svjaščenykiv*, *ibid.*,

III. *Ex Actis Processus Canonizationis Gloriosi Martyris Josaphat Kuncevicii*, *Archlep. Polocensis* (in « *Opera Theologicae Societatis Ucrainorum* » Leopoli 1925, vol. I).

GUÉPIN A., Domi OSB., *Saint Josaphat archevêque de Polock, martyr de l'unité catholique et l'église greque unie en Pologne, par le R. P. Dom Alphonse Guépin, Bénédictin de la Congrégation de France*, Poitiers-Paris 1874, vol. I-II; ed. 2 vol. I-II Paris-Poitiers 1897-98, sub titulo mutato: *Un Apôtre de L'Union des églises au XVII siècle. Saint Josaphat...*

HOFMANN Georg, S. J., *Der hl. Josaphat*. I. *Zu Josaphats Blutzeugnis* (in « *Orientalia Christiana* », nr. 6), II. *Zu Josaphats Selig-und Heiligsprechung* (*ibid.*, nr. 12), III. *Josaphats Reliquien und Bildnisse* (*ibid.*).

- Katychyzys sčynen ot sviaščennomučenyka Josafata Kuncevyč Archyepyskop polockyj, i pobolharen ot Obščestvo-to na O. O. ot Vskresenie-to na H. N. I. Chr.*, Caryhrad 1877.
- KOJALOVIČ M., *Litovskaja cerkonnaja Unija*, Petrogradii 1861, vol. II.
- KULCZYNSKI Ig., OSBM., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Romae 1733; 2 ed. a J. Martinov, S. J., Bruxeliis 1859.
- Przegląd Poznański. Pismo sześciotygodniowe*, XXXIV (1862), pp. 21-50, 129-271: *Dokumenta do dziejów błogostawionego Józafata Kuncewicza głównie list Kanclerza Lwa Sapiehy, odpowiedź Arcybiskupa i uwagi tudzież objaśnienia spisane przez ks. Pawła Szmańskiego.*
- Rocznik Towarzystwa Historyczno-Literackiego*. Rok 1868, p. 7-59: *Acta Commissionum Apost. 1637, Attestatio Rutskyj (polonice).*
- SAPUNOV A., *Vitebskaja starina*, Vites 1883 et 1888, vol. I et V.
- SKRUTEŃ J., OSBM., *Prima biographia S. Josaphat* (in « *Analecta OSBM* », Ser. I, vol. I, fasc. 2-3, pp. 314-363), Zovkva 1925.
- , *Duae biographiae S.ii Josaphat* (ucr., polonice), (in « *Analecta OSBM* », Ser. I, vol. I, fasc. 4, pp. 569-575), Zovkva 1927.
- , *Relacya o zamordowaniu bł. Józafata*, (in « *Analecta OSBM* » Ser. I, vol. III, fasc. 3-4, pp. 403-431), Zovkva 1930.
- STEBELSKI Ign., OSBM., *Dwa wielkie światła na horyzoncie połockim z cieniów zakonnych powstające czyli żywoty śś. Panien i Matek Ewfozyny i Parascewii, zakonnicy i hegumenij... z Chronologią i Przydatkiem*, Vilna 1781; 2 ed. Leopoli 1866-1867, vol. I-III.
- SUSZA Jacobus, Ep.pus, *Cursus vitae et certamen martyrii B. Josaphat Kuncevicii*, Romae 1665; 2 ed. a J. Martinov, S. J., Bruxeliis 1865.
- THEINER Aug., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae...*, Romae 1863, vol. III.
- TUMANSKIJ Th., *Rosijskij Magazin*. Čast I-III, Petrogradii 1792-1794; pars II (Augustus), pp. 473-497: *Pismo Kanclera grafa Sapęgi k jepiskopu Połockomu Joasafu Kunceviču* (o vředě i nestrojeniji ot vvedenija Uniji) /trad. rossiaca/.
- WISZNIEWSKI M., *Historja literatury polskiej*, Kraków 1851, vol. VIII.
- ZOCHOWSKYJ Cyprianus, Metropolita, *Colloquium Lubelskie między bracią narodu ruskiego*, Leopoli 1680: Zamość 1680.
-

## II. Siglae et abbreviaciones

A.R.P.	= Admodum Reverendus Pater
APF	= Archivum S.C. de Propaganda Fide
ASV	= Archivum Secretum Vaticanum
<i>Barb. lat.</i>	= Barberinus latinus (codex)
BIBL. VAT.	= Bibliotheca Apostolica Vaticana
Col.mo	= Colendissimo
D.D.	= Dominus Dominus (vel Domini)
DD.	= Domini
D.O.M.	= Deus Optimus Maximus
D.V.	= Dominatio (-nes) Vestra (-ae)
DD.VV.	= Dominationes Vestrae
Ill.mus (-i)	= Illustrissimus
Ill.ris	= Illustris
L.S.	= Locus sigilli
(mp)	= Manu propria
Oss.mo	= Osservantissimo
Rev.mus (-i)	= Reverendissimus (-i)
R.D.	= Reverendus Dominus
R.P.	= Reverendus Pater
S.C.	= Sacra Congregatio
Scrit. rif. n. Congreg. Generali	= Scritture riferite nelle Congregazioni Generali
S.D.N.	= Sanctissimus Dominus Noster
S.R.M.	= Sacra Regia Maiestas
V.B.	= Vestra Beatitudo
V.S.	= Vostra Signoria

# INDEX DOCUMENTORUM VOL. I.

## Documenta Beatificationis ante an. 1628

1. Epistula Nuntii Varsaviensis, 7.XII.1623 . . . . .	5
2. Epistula Metropolitae Rutskyj, 23.XII.1623 . . . . .	6
3. « Relatio » Metrop. Josephi Rutskyj, 1623/24 . . . . .	8
4. Josephus Rutskyj Card. Bandino, 27.I.1624 . . . . .	18
5. Episcopi Rutheni S. C. de Prop. Fide, 30.I.1624 . . . . .	19
6. Ex Secretaria Status ad Nuntium Varsaviensem, 3.II.1624 . . . . .	21
7. Ex litteris ad Alumnos Collegii Graecorum, 4.II.1624 . . . . .	22
8. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 7.II.1624 . . . . .	24
9. Urbanus VIII Sigismundo, Regi Poloniae, 10.II.1624 . . . . .	24
10. Urbanus VIII Episcopo Vilnensi, 10.II.1624 . . . . .	26
11. Idem Episcopo Luceoriensi, 10.II.1624 . . . . .	27
12. Idem Episcopo Posnaniensi, 10.II.1624 . . . . .	28
13. Urbanus Episcopo Chelmensi, 10.II.1624 . . . . .	29
14. » » Camenecensi, 10.II.1624 . . . . .	29
15. » » Kioviensi, 10.II.1624 . . . . .	30
16. » Castellano Cracoviensi, 10.II.1624 . . . . .	31
17. » Christophoro Zbaraski, 10.II.1624 . . . . .	32
18. Urbanus VIII Sigismundo III, 10.II.1624 . . . . .	32
19. Rutskyj ad Card. Praef. S. C. de Prop. Fide, 11.II.1624 . . . . .	33
20. Nuntius Varsaviensis ad S. Sedem, 22.II.1624 . . . . .	34
21. P. Nicephorus OSBM. ad Alumnos Coll. Graecorum, 3.III.1624 . . . . .	35
22. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 26.III.1624 . . . . .	36
23. Nuntius Varsaviensis ad S. Sedem, 9.IV.1624 . . . . .	37
24. S. Sedes ad Nuntium Poloniae, 13.IV.1624 . . . . .	38
25. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 17.IV.1624 . . . . .	38
26. S. C. de Prop. Fide ad Nuntium Poloniae, 20.IV.1624 . . . . .	39
27. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 30.IV.1624 . . . . .	39
28. S. C. de Prop. Fide Nuntio Poloniae, 4.V.1624 . . . . .	40
29. De Breui mittendo, nota, . . . . .	41
30. Instructio de Processu fabricando, 1624/25 . . . . .	41
31. S. C. de Prop. Fide Metropolitae Kioviensi, 4.V.1624 . . . . .	44
32. S. C. de Prop. Fide Archiepiscopo Kiovensi, 4.V.1624 . . . . .	44
33. Metropolita Rutskyj ad Alumnos, 6.V.1624 . . . . .	45
34. Urbanus Regi Poloniae, 11.V.1624 . . . . .	46
35. S. Sedes Nuntio Poloniae, 14.V.1624 . . . . .	47
36. Nuntius S. Sedi, 18.V.1624 . . . . .	47
37. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 31.V.1624 . . . . .	48
38. Nuntius S. Sedi, 31.V.1624 . . . . .	48
39. Nuntius Poloniae S. Sedi, 21.VI.1624 . . . . .	49
40. Oratio Thomae Xenicepuli, 12.IX.1624 . . . . .	49
41. Metropolita Rutskyj Alumnis, 16.IX.1624 . . . . .	55
42. Nuntius Poloniae S. Sedi, 21.IX.1624 . . . . .	56
43. Rutskyj ad S. C. de Prop. Fide, 1.XII.1624 . . . . .	56
44. Rutskyj ad Alumnos, 1624 (sub fine an.) . . . . .	57
45. Ex articulis Metrop. Rutskyj, 1624 (sub. fine an.) . . . . .	57
46. S. C. de Prop. ad Metropolitam, 25.I.1625 . . . . .	58
47. Raphael Korsak ad Franc. Ingoli, 24.IV.1625 . . . . .	58
48. Rutskyj ad S. C. de Prop. Fide, 30.IV.1625 . . . . .	61
49. Relatio in S. C. de Prop. Fide, VII-VIII, 1625 . . . . .	61



50. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 22.VIII.1625 . . . . .	62
51. S. C. de Prop. Fide Metropolitae, 30.VIII.1625 . . . . .	62
52. Korsak ad S. C. de Prop. Fide, 10.II.1626 . . . . .	63
53. Petita Episcoporum Ruthenorum, 6.IX.1626 . . . . .	63
54. Antonius Sielawa ad Urbanum VIII, 20.XII.1626 . . . . .	65
55. » » ad S. C. de Prop. Fide, 20.XII.1626 . . . . .	66
56. » » ad Card. Bandinum, 20.XII.1626 . . . . .	67
57. » » ad Fr. Ingoli, 20.XII.1626 . . . . .	68
58. Korsak ad Fr. Ingoli, 1.II.1627 . . . . .	69
59. Korsak ad Fr. Ingoli, 17.II.1627 . . . . .	70
60. Relatio epistolae Raphaelis Korsak, 1627 . . . . .	70
61. Rutskyj ad Card. Praefetum, 12.V.1627 . . . . .	71
62. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 1627 . . . . .	72
63. » in S. C. de epistulis A. Sielawae, 1627 . . . . .	72
64. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 21.V.1627 . . . . .	73
65. S. C. Archiepiscopo Polocensis, A. Sielawa, 29.V.1627 . . . . .	74
66. S. C. de Prop. Fide Card. Millino, VI.1627 . . . . .	75
67. Metropolita Rutskyj Fr. Ingoli, 10.VII.1627 . . . . .	75
68. Korsak Fr. Ingoli, 1.XII.1627 . . . . .	76
69. Decisio Urbani VIII de Processibus, 15.I.1628 . . . . .	77
70. Ex epistula Korsak ad Fr. Ingoli, 12.III.1628 . . . . .	78

### Documenta Beatificationis an. 1628

71. Processus Beatificationis Polocensis an. 1628 (20.III) . . . . .	79
72. Appendix ad Processum: Catechismus (1618-1623) . . . . .	221
73. » » : Regulae et Constitutiones (1618-23) . . . . .	234
74. » » : Epistula L. Sapiehae, 17.III.1622 . . . . .	246
75. » » : Responsum S. Josaphat, 2.IV.1622 . . . . .	255
76. » » : Decretum Vitebscense, 22.I.1624 . . . . .	264
77. » » : Attestatio Metrop. Rutskyj, 1628 . . . . .	281

### Alia Documenta Beatificationis anni 1628

78. Attestatio de duobus miraculis, . . . . .	295
79. Georgius Tyszkiewicz ad S. C. de Prop. Fide, 1.V.1628 . . . . .	295
80. Rutskyj ad Nuntium Poloniae, 12.V.1628 . . . . .	296
81. A. Sielawa ad S. C. de Prop. Fide, 10.VI.1628 . . . . .	297
82. A. Sielawa ad Card. Praefectum, 10.VI.1628 . . . . .	298
83. A. Sielawa ad Fr. Ingoli, 10.VI.1628 . . . . .	299
84. Janusius Skumin Tyszkiewicz ad Urbanum VIII, 24.VI.1628 . . . . .	299
85. Rutskyj ad Card. Praefectum, 28.VI.1628 . . . . .	301
86. Rutskyj ad S. C. de Prop. Fide, 28.VI.1628 . . . . .	301
87. Rutskyj Nuntio Varsaviensi, 5.VIII.1628 . . . . .	302
88. Rutskyj Card. Fr Barberino, 30.VIII.1628 . . . . .	303
89. Relatio in S. C. de Prop. Fide, 24.XI.1628 . . . . .	304
90. S. C. de Prop. Fide Archiep. Polocensi, 2.XII.1628 . . . . .	305
91. S. C. de Prop. Fide Metropolitanae Kiovensi, 2.XII.1628 . . . . .	305
92. S. C. de Prop. Fide Suffraganeo Vिल्nensi, 2.XII.1628 . . . . .	306

DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS S. JOSAPHAT

VOL. I.

# JOSAPHAT KUNCEWYCZ

## MARTYR

*Vitebsci, 12. XI. 1623.*

« ...JOSAPHAT CUNCEVITIUS, ARCHIEPISCOPUS POLOCENSIS...  
VITEBSCI 12 NOVEMBRIS ANNO PRAESENTI 1623, DIE DOMINICA, POSTQUAM EX OFFICIO MATUTINO EX ECCLESIA ANTE DILUCULUM EXIIT, ET DOMI SUAE AD SACRUM MISSAE OFFICIUM, QUOD PONTIFICALITER ILLA DIE CELEBRATURUS ERAT, DISPONERE SE COEPIT, A PLEBE ILLIUS CIVITATIS TRIBUS FERME HORIS HOSTILITER CUM BOMBARDIS ET ALIO TELORUM GENERE IN DOMO SUA EPISCOPALI OPPUGNATUS, TANDEM EXPUGNATUS ET CRUELISSIME TRUCIDATUS EST ».

*(Iosephus Velamin Rutskyi, Minsei 23. XII. 1623)*

## BEATUS

*Romae, 16. V. 1643.*

« URBANUS VIII. AD PERPETUAM REI MEMORIAM...  
NOS ITAQUE PIIS VLADISLAI REGIS, CARDINALIUM, METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM, PALATINORUM, PRINCIPUM, CLERI, MONACHORUM ET POPULI PRAEFATORUM VOTIS HUIUSMODI... BENIGNE ANNUERE VOLENTES, HUIUSMODI SUPPLICATIONIBUS INCLINATI... UT IPSE DEI SERVUS JOSAPHAT INPOSTERUM BEATUS NUNCUPARI ... VALEAT APOSTOLICA AUCTORITATE TENORE PRAESENTIUM LICENTIAM ET FACULTATEM CONCEDIMUS ET IMPARTIMUR... »

*(Breve Beatificationis, Romae 16.V.1643)*

## SANCTUS

*Romae, 29. VI. 1867.*

« PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI...  
... AD HONOREM SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS, AD EXALTATIONEM CATHOLICAE FIDEI ET CHRISTIANAE RELIGIONIS INCREMENTUM ET DECUS, AUCTORITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, AC NOSTRA, MATURA DELIBERATIONE PRAEHABITA, DIVINA OPE SAEPUS IMPLORATA, AC DE VENERABILIUM FRATRUM NOSTRORUM S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIUM, PATRIARCHARUM, PRIMATUM, ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM CONSILIO, PRAEDICTUM B. JOSAPHAT KUNCEVICIUM EPISCOPUM POLOCENSEM RUTHENICI RITUS EX ORDINE S. BASILII MAGNI SANCTUM ESSE DECREVIMUS, DEFINIVIMUS, AC SANCTORUM MARTYRUM ALBO ADSCRIPSIMUS ».

*(Bulla Canonizationis, Romae, 29.VI.1867)*

## DOCUMENTA BEATIFICATIONIS ANTE AN. 1628

### I.

Varsavia, 7. XII. 1623.

*Nuntius Apostolicus Varsaviensis S. Congregationem de Prop. Fide certiore facit de eventu luctuoso Vitebscensi.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 6583, fol. 111 rv (orig.), 118.

APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, 316<sup>rv</sup>.

GUÉPIN, *Saint Josaphat...*, II, p. 512.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, N. 6, (1923), p. 304.

Ill.mo et Rev.mo Signor. Patrono Colendissimo.

Il metropolita Chioviense<sup>1</sup> mi avvisa con una sua delli 25 del passato che l'Arcivescovo Polocense Rutheno, persona esemplare, e molto zelante de progressi dell'unione, è stato ammazzato ultimamente in Vitebsco, sua residenza, in un tumulto popolare, concitatoli contro da certo prete scismatico da lui prima carcerato e poi rilasciato. Fu assalito detto Arcivescovo nella propria casa da alcuni scismatici, li quali havendo ammazzato con esso lui parte de servitori e gl'altri feriti lo strascinarono poi per la città nudo, rimanendoli solamente addosso un'aspro cilitio, con che soleva andar tutto coperto; con questo che riempirono poi da sassi, sommersero il corpo in una parte più profonda del fiume Duna facendosi hora diligenza da alcuni per ritrovarlo.

---

<sup>1</sup> Josephus Velamin Rutskyj, natus 1573-4 parentibus nobiles, sed haereticis Calvinistis, studuit Vilnae, Praegae, Herbiopoli et Romae, in Collegio Graeco. Anno 1603 in Patriam reversus ideam concepit adiuvandi Ecclesiam Ruthenam Unitam reformando monachos Ruthenos. Inde ingressus in monasterium Vilnense Basilianorum SS. Trinitatis (IX, 1607), sollemniter professus (1. I. 1608) et Archimandrita creatus, mox electus fuit Vicarius Metropolitae Kioviensis pro parte Lithuanica eiusdem Archidioecesis. Deinde electus fuit Coadiutor Metropolitae Hypatii Potij (1611) et consecratus episcopus cum titulo episcopi Haliciensis. Post mortem Hypatii Potij (18. VII. 1613) ei in sede metropolitana successit et plus quam viginti annos in Unione defendenda insudavit (1613-1637). Anno 1615-6 Romae plurima privilegia a Paulo V obtinuit, monachos suae Archidioecesis in unam Congregationem congregavit et reformavit (1617). S. Josaphat iam ab anno 1603-4 cognovit, eique in vitae sanctitate laboribusque intimus evenit amicus, quo Vitebsci necato (1623) multum doluit et ipse dissolvi et cum illo esse desiderabat. Plenus laboribus, meritis et doloribus iste « Russiae Athanasius », « Unionis Atlas » et « Ecclesiae Columna » (Urbanus VIII) in odore sanctitatis mortuus est anno 1637, die 5 februarii, in monasterio Dermanensi, in Volhinia. Corpus Vilnam translatum incorruptum remansit et tandem a Moscovitis asportatum fuit Moscoviam anno 1655.



Il caso ha commosso grandemente Sua Maestà,<sup>2</sup> la quale però haveva commandato, che andassero colà alcuni commissarii a farne severo resentimento; ma è stata poi ritenuta da certi senatori con metterle in consideratione esser bene d'aspettar quattro o cinque settimane per haver prima miglior informatione del fatto. Io nondimeno dubito, che soprastando le feste del Natale, poi le Diete private e finalmente la Dieta generale intimata per li 6. di febbraio prossimo, habbiano mira con questo detti senatori di prolongar tanto l'andata de' commissari, che la crudeltà de' scismatici resti forse impunita, mostrando in ciò il loro poco affetto verso l'Unione. Con tutto ciò con prossima occasione farò ogni più caldo offitio appresso Sua Maestà acciòche venga sollecitato il castigo ne' malfattori, et a Vostra Signoria Ill.ma<sup>3</sup> faccio humilissima riverenza.

Di Varsavia li 7 decembre 1623.

Di V.S. Ill.ma et Rev.ma

Il nuntio di Polonia<sup>4</sup>

## 2.

Minsk, 23. XII. 1623.

*Josephus Velamin Rutskyj, Metropolitae, Urbanum VIII certiozem facit de martyrio Archiepiscopi Polocensis, Josaphat Kuncewycz.*

APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, f. 182rv. (orig.); fol. 251r-252v (copia).

SUSZA I., *Cursus vitae... B. Josaphat Cuncevicii*, ed. I. Martinov, Parisiis 1865, p. 149-150.

KULCZYŃSKI, *Specimen...*, p. 231-232.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, N. 6 (1923), p. 305; imago photograph. p. 308.

Sanctissime ac beatissime Pater.

Primus annus summi Pontificatus Beatitudinis V.<sup>5</sup> coronatur martyrio magni antistitis Russiae Josaphat Cuncevitii Archiepiscopi Po-

<sup>2</sup> Sigismundus III, rex Poloniae (1587) et Suetiae (1592), natus est an. 1566, ut fil. Joannis, principis Finlandiae, et nepos Gustavi Vaza, regis Suetiae. Anno 1587 (19. VIII) electus fuit rex Poloniae et post mortem patris devenit rex Suetiae (1592, 21. V), non sine difficultatibus ex parte variarum factionum et candidatorum. Optimus fuit catholicus, Unioni Ecclesiarum favebat et sic dictam Unionem Berestensem (1595-6) promovebat. Regnum eius valde difficile erat, ob plurima bella Suetiaca, Moscovitica, Turcica, Cosatica et ob tumultus internos Regni. Libertatibus Magnatorum et Nobilium Regni Poloniae voluntas eius bona valde ligata erat. Mortuus est tandem Varsaviae anno 1632 (30. IV) et sepultus Cracoviae anno 1633 (4. II). Ei successit filius eius maior Vladislaus IV, electus in Comitibus Regni 1632-3.

<sup>3</sup> Videtur epistolam scriptam fuisse ad cardinalem Fr. Barberini, Secretarium Status Urbani VIII.

<sup>4</sup> Joannes Baptista Lancelotti, Nuntius Apostolicus Varsaviae ab an. 1623 (2. XII) usque ad an. 1627 (16. 4.).

<sup>5</sup> Urbanus VIII ex familia Barberini, florentinus. Educatus in Colleg. Soc. Jesu; poeta, latinista, favior artium et litterarum. Sub Clemente VIII Nuntius Apost. in Vestfalia, deinde in Gallia (sub Paulo V), denique Legatus Apostolicus Bononiae. Matthaeus (Maffeo) Barberini electus fuit in Summum Pontificem die 6. VIII. 1623, post mortem Gregorii XV, anno vitae suae 57, obiit vero mense Julio an. 1644, anno vitae suae 78. Ecclesiae Ruthenae et Unioni Ecclesiasticae vere

locensis. Is in visitatione suae dioecesis, quam in propria persona faciebat, Vitebsci<sup>6</sup> 12. novembris anno praesenti 1623, die dominica, postquam ex officio matutino ex ecclesia ante diluculum exivit, et domi suae ad sacrum missae officium, quod pontificaliter illa die celebraturus erat, disponere se coepit, a plebe illius civitatis tribus ferme horis hostiliter cum bombardis et alio telorum genere in domo sua episcopali oppugnatus, tandem expugnatus et crudelissime trucidatus est.

Postea in corpus archiepiscopale iam exanime miris modis saevitum, pedibus etiam a mulieribus calcatum, per aream domus raptatum, fune ligatum et per plateas ad ripam Dunae fluminis pertractum et submersum est.

Archidiaconus<sup>7</sup> ipsius et alia familia domestica, quae tunc penes ipsum erat, multis vulneribus confecta adhuc quidem vivit, sed archidiaconus et ex saecularibus praefectus domus<sup>8</sup> non sperantur supervicturi.

Doleo ex hac parte, quod a me corporaliter ablati sit is, qui mihi dextra manus erat; quod tamen per tam gloriosam mortem ablati, gaudeo plurimum;<sup>9</sup> certam quippe spem habeo potentius pro nobis operaturum in coelo, quam operari potuisset in terra.

Et quia pro gloria Dei, pro sancta Unione, pro auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae sanctus iste Martyr vitam suam posuit, Tibi Summo Sacerdoti hanc hostiam vivam et immaculatam praesentamus, per Tuam Beatitudinem Deo Omnipotenti in sacrificium offerendam, ut ipse det incrementum huic negotio, quod nos sudoribus nostris plantamus et sanguine rigamus, tunc, quando erit beneplacitum ipsius.

Nos porro sicut ad hos labores promptiores mortibus patrum et fratrum nostrorum efficitur, ita operarios novos submitti per modum a Sancta Congregatione de Propaganda Fide interveniente approba-

favebat et operibus suis monstravit. Eius famosum dictum: « Per vos, mei Rutheni, Orientem convertendum spero » hoc clare demonstrat.

<sup>6</sup> Archiepiscopus Polocensis erat insimul Episcopus Vitebscensis et Mstislaviensis.

<sup>7</sup> Dorotheus Lecikowicz, Basilianus, Archidiaconus Archiepiscopi Polocensis, Josaphat Kuncewycz. Natus in Berest Lytovskyj circa an. 1585; filius Basillii et Annae Skibianka, Basilianus ab an. 1612. (cfr. Processus Polocensis an. 1637, fol. 139-140).

<sup>8</sup> Emmanuel Cantacuzenus, maior domus Josaphat. Proveniebat ex familia graeca; filius Andreae et Marinae Rhali. Anno 1623 aetatis fuit annorum 43. Venit ex Moscovia simul cum Patriarcha Ignatio. Catholicus factus, fuit in servitiis Josephi Rutskyj; postea vero administrabat domum S. Josaphat.

<sup>9</sup> Fortasse iam ante annum 1603 Joannes-Josaphat Kuncewycz et Joannes-Josephus Rutskyj sese cognoscebant. Sed initium historicum huius amicitiae ponendum est an. 1604, quando Rutskyj reversus est Roma in patriam et Kuncewycz ingressus est in monasterium Vilnense SS. Trinitatis. Ab anno tandem 1607 in uno degunt monasterio, Superiore Josepho Rutskyj, et mox Archimandrita Vilnensi, cui Josaphat in hoc officio et dignitate successit, Josepho in metropolitam Kioviensem assumpto (1614). Tandem Josephus, Metropolitae Kioviensis factus, amicum suum sibi ad latus in regimine Ecclesiae Ruthenae assumpsit pro Archiepiscopatu Polocensi (an. 1617), eiusque mortem pro Ecclesiae Unitate et Primatu Romani Pontificis valde doluit corona martyrii amici sui congaudens.

tione Beatitudinis Vestrae conclusum,<sup>10</sup> ne postea defectu operariorum Dei negotium pessum eat, rogamus, obsecramus.

Deus Opt. Max. sub pedes Beatitudinis V. subiiciat omnes hostes Ecclesiae suae et vitam concedat longissimam omni genere bonorum cumulata.

Datum Minsci<sup>11</sup> die 23 decembris anno 1623.

Beatitudinis V. indignus filius et servus

Josephus Velamin Rutschi metropolita Chioviensis totiusque  
Russiae (mp).

retro: Sanctissimo ac Beatissimo Patri D.D.N. Clementissimo. (L.S.)

### 3.

Minsk, 1623/24.

Relatio Metrop. Josephi V. Rutskyj de vita et morte S. Josaphat.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 337, fol. 235-238rv.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, N. 6 (1923), p. 307-312 foll. 236v-238).

SKRUTEN J., *Prima biographia S. Josaphat*, (in « *Analecta OSBM* ». Ser. I, vol. I, fasc. 2-3), p. 315-347.

#### VITA ET MORS ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS RUTHENI A SCHISMATICIS OCCISI ANNO 1623.<sup>12</sup> (f. 235)

Josaphat Kuncewicz Archiepiscopus Polocensis erat vir ab ado-

<sup>10</sup> Modus iuvandi erat fundatio Seminarii Pontificii in Russia. Pro loco Seminarii designata fuit civitas Minsk. S. C. de Propaganda fide subsidium promisit, et Episcopatus Eccl. Ruthenae suum contributum in Synodo Kobrynensi (anno 1626) dedit. Sed ante mortem Metropolitae Rutskyj non videtur Seminarium fuisse plene constitutum, secundum eius mentem et desiderium, sed potius in statu initiali et imperfecto remansit.

<sup>11</sup> Minsk - sedes olim unius ex principibus Russiae Kioviensis, postea Palatinatus eiusdem nominis caput (ab an. 1549); nostro tempore (1620-1630) fuit civitas satis conspicua, sed secunda medietate saec. XVII combusta et destructa nec non variis pestibus devastata fuit. Jam tempore Metropolitae Rutskyj existabat in hac civitate monasterium Basilianorum et Basilianarum, aliorumque Religiosorum ritus latini. Ipse metropolita Rutskyj in hac civitate saepe saepius commorabatur.

<sup>12</sup> De auctore huius « *relationis* » una est hodie doctorum sententia, ex ipsis contemporaneis testimoniis bene probata. Ex. gr. ex adnotatione Secretarii Congregationis, Francisci Ingoli, ad epistolam ad Nuntium Poloniae: « Se li manda anche una copia della vita di detto Arcivescovo mandata dal metropolita di Russia » (*Scrit. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 337, fol. 308, Nr. 5), vel ex ipsius Metropolitae Rutskyj testimonio in causa beatificationis S. Josaphat: « De Servo Dei Josaphat Archiep. Poloc. ea tantum dicturus sum quae non dixerunt alii coram Commissariis Apostolicis. Sed nec illa repetam quae in prima relatione mea statim post necem illius a me scripta ad S. C. de Prop. Fide transmissa » (Ex Proc. an. 1628 et 1637).

Quaestionem aliam posuit Rev. P. Josaphat Skruten OSBM in suo articulo « *Prima biographia S. Josaphat* » (cfr. « *Analecta OSBM* », Ser. I, vol. I, fasc. 2-3, p. 314-363), ubi triplicem huius « *relationis* » textum dedit, quaestionem proponendo: quinam textus provenit ex manibus Metropolitae Rutskyj, et qualis nam est relatio trium horum textuum ad invicem. Conclusiones auctoris ut iustae debent agnosci. Addi tamen potest, quod secundum nostram opinionem Metropolita ipse scripsit fortasse lingua polonica (vel etiam ecclesiastica huius tempo-

lescentia<sup>13</sup> sua, cum adhuc in saeculo degeret, singularis in Deum religionis et vitae probitatis; assiduus in ecclesia S. Trinitatis Unitorum Vilnae, nullum ex Officiis Divinis, quae singulis diebus in illa ecclesia more monastico peragebantur, Matutinum etiam, quod ante diluculum decantatur, omittebat. Et licet ab hac ecclesia Schismatici illo tempore quo incipiebat Unio abstraxissent fere omnes, ut die etiam festo vix 20 personae sexus utriusque in dicta ecclesia numerarentur, et ex Clero unus tantum erat monachus titulo Archimandritae insignitus,<sup>14</sup> nullum habens penes se monachum — unde magna erat in monasterio solitudo, in ecclesia vero et venientibus ad eam desolatio; e contra apud Schismaticos magna multitudo hominum, quam ecclesia<sup>15</sup> capere non poterat, ornamenta ecclesiastica splendida, et alia quae homines allucere naturaliter solent, in magna copia — nihilominus bonus Juvenis ab ipso Deo immediate edoctus, neque enim tunc qui eum doceret ea quae erant Unionis ex Unitis Vilnae reperiebatur ullus, ab ecclesia non discedebat. In dicta igitur ecclesia ipse erat Cantor, ipse Lector, ipse denique non infrequenter Campanator, quae omnia libenter praestabat et gratis, et cum dispendio suarum occupationum, quibus distinebatur inserviens cuidam civi Vilmensi, mercatori.<sup>16</sup> Non tantum domi sed etiam in officina mercatoria lectioni librorum spiritualium intentus erat magis quam ut ad emendas merces invitaret transeuntes, quod in more est mercatoribus.

Unde secutum est quod Anno 1604, viginti et aliquot annos natus, monasticam vitam sub Regula S. Patris Basilii in Ritu Graeco Catholico Vilnae ad ecclesiam SS. mae Trinitatis amplexus fuerit. Cuius eiusmodi quidem fecit initia, ut per aliquot annos non alio potu quam naturalis aquae uteretur; nec fortassis toto vitae suae tempore ab hoc coepto destitisset, ni obedientem defectus graves ventriculi, qui ex potu

---

ris), et postea Alumni Collegii Graecorum de Urbe, Korsak et Podbereskyj, textum hunc in linguam latinam traduxerunt et S. C. de Prop. Fide praesentaverunt. Aliam traductionem ex eodem originali textu polonico fecit Episcopus Volodimiriensis, Joachimus Helias Morochowskyj, olim Metropolitanus Rutskyj in Collegio Graecorum socius, quam etiam typis excussit et Urbano VIII dedicavit. Ipse, praeter Metropolitanam, ad hoc opus perficiendum solus fere aptus fuit. Inde parvae illae differentiae in ipsis textibus et praesertim in discrepanti elegantia linguae Latinae (cfr. *Analecta OSBM*, Ser. I, vol. I, fasc. 2-3, p. 314-63).

<sup>13</sup> Natus est anno circiter 1580, Volodimiriae in Volhonia, ut patet ex depositionibus testium et communi sententia historiographorum.

<sup>14</sup> Series Archimandritarum Vilmensium ab Unione inita haec esse videtur: Sophonius 1597, Gelasius Rusowskyj 1603 (resignavit), Samuel Siencyzko 1604-1609 (depositus), Josephus Velamin Rutskyj 1609-1614 (in metropolitanam promotus), Josaphat Kuncewycz 1614-1617 (ad Archiepiscopatum Polocensem promotus), Leo Kreuza 1617-1625 (promotus in Episcopum Smolenscensem), tandem Raphael Korsak 1625 et alii.

<sup>15</sup> Ecclesia et monasterium S. Spiritus, Vilnae, primum ex ligno postea vero ex muro constructa fuit anno 1605, sumptibus Confraternitatis schismaticaе eiusdem nominis. Penes ecclesiam inveniebatur xenodochium, schola et typographia. In schismate perduravit toto tempore, quo Unio in Lithuania florebat (usque ad an. 1839).

<sup>16</sup> Nomen mercatoris fuit Hyacinthus Popowicz, civis et Consul Vilmensis (cfr. depositionem Hegumeni Polocensis, Gennadij Chmielnicki, in Processu anni 1628, fol. 57v).



hoc suborti erant, et Superiores eius, quibus haec omnia probe innotuerant, cohibuissent. Si cohibuerunt tamen, et non ad maiores, ac multo plures corporis mortificationes, ut cilicia, disciplinas, ieiunia et vigiliis, quibus toto postea vitae suae tempore usus est, stimularunt. Accessit ad haec quod in continua semper fuerit meditatione de Divinis, non minus autem in librorum lectione, qua tantum profecit, ut brevi tempore cum omnium aedificatione et stupore populo ex ambone praedicare coeperit. Quod autem longe maiori admiratione dignum est, haec eadem assidua lectio librorum, non aliorum quam sclavonicorum et polonicorum (cum latinam linguam vel aliam quampiam praeter suam vernaculam nullam caluisset), id effecit quod tantam acquisiverit peritiam oppugnandi et confutandi errores Schismaticorum et Haereticorum, tantum donum cum ipsis conversandi, ut Theologus licet doctissimus in hac parte cum ipso comparari vix aliquis potuisset, nullus Haereticus aut Schismaticus resistere. Atque hinc processerat, quod a Catholicis flagellum Schismaticorum et Haereticorum, a Schismaticis vero loco Josaphat mutato nomine « Duszochwat », quod Raptorem animarum vulgo significat, meruerit appellari. Jam vero tam foelicis vir fuit ingenii, ut subtilissimas quasque theologicas difficultates, quales sunt circa mysterium SS. mae Trinitatis, et alia huiusmodi, facilius ipse potuerit capere, quam subtilissimus quisque eidem explicare. Quid vero de mirabili memoriae illius foelicitate dicere quis sufficiat? qua id solum non tenuit, quod nusquam legit, vel audire ab ullo potuit. Chronica alia vel omnium librorum, praecipue vero SS. m Patrum, diceres thesaurum.

Neque his tantum singularibus animi a natura sibi concessis contentus fuit vir dotibus, ad omnia bona natura comparatus, insuper ipsis assiduum in omni genere virtutum iungebat exercitium, quo tantum profecit, ut facile omnium iudicio dignus sit indicatus qui poneretur in candelabro ut luceret omnibus. (f. 235v) Hinc postquam modernus R. mus totius Russiae Metropolita Josephus ex Archimandritia Vilnensi in Metropoliam assumptus est, ille quoque in locum ipsius successit. Et quia tunc dictum monasterium in initio adhuc reformationis erat, nec nisi iuvenes tantum monachos, ac proinde ad gubernationem monasterii aliasque res gerendas necdum sufficienter idoneos, quique studiis et scholarum frequentationi dabant operam, continebat, monachi autem antiqui non reformati licet ad haec omnia invenirentur aptissimi, quia tamen iam liberiori vitae assueti erant, non recipiebantur, Vir praedictus non Archimandritae solum officium, sed etiam Concionatoris ordinarii, et Confessarii publici, monachorum, monialium et saecularium utriusque sexus, in ecclesia Protopsaltis, et Oeconomi domi, per annos aliquot maxima omnium in omnibus cum satisfactione officia sustinebat; pauperum et viduarum, pupillorum et a potentioribus oppressorum erat certum perfugium, in componendis discordiis dexter et foelix, in cura animarum vigilantissimus.

In ipsis initiis Congregationis nostrae, in qua duo tantum erant Sacerdotes, ille Diaconus tunc existens collegit multos rusticos in foro, et duxit pro confessione ad monasterium. Unus Sacerdotum abfuit, alter qui erat praesens excipere confessiones tam multorum nolebat. Bo-

nus Diaconus totus resolutus in lachrymas hunc et illum ex fratribus, qui ne quidem Diaconi tunc erant, orat ut rogent cum ipso Sacerdote, et lachrymis suis obtinuit ut audiret eorum confessiones dictus Sacerdos.

Multorum postmodum Filiorum effectus est Pater, quos ex Schismate ad ovile S. Petri reduxit. In laboribus adeo indefessus, ut conditionem humanam superare videretur. Non rarum ipsi erat 6 continuis horis sedere in confessionibus et ordinarium a 3<sup>a</sup> hyeme, aestate a 2 post medium noctis hora, surgere, et per campanam domesticam omnes excitare etiam tunc, quando erat Superior. Incipiendo autem ab illa hora in continuis occupationibus esse usque ad noctem profundam erat ordinarium. Antequam excitaret alios, semper praecedebat disciplina; et hoc in quantum notatum est fere singulis diebus erat ordinarium. Excipere confessiones hominum erat ipsi singularis delectatio. Unde per viam, quocumque discendebat, ubicumque noctabat, vel subsistebat in meridie, aliquorum confessiones excipiebat, aliquando integras domos eorum apud quos hospitabat, cauponum etiam, qui alias difficulter confessiones sibi persuadent; quandoque etiam eos quos ad pocula sedentes, et genio in tabernis indulgentes inveniebat, a poculis abstrahere, et bonis documentis instinctos et contritos in domos proprias remittebat. Unde praeter solitum morabatur in via, alios data pecunia inducebat ad confessiones.

Semel ob difficultatem traiectus in flumine principaliori Lituaniae dicto Chrono, lingua nativa Nemen, commorari debebat una die et amplius, glacies enim dissolvebatur, nec transitum per se praebere, vel curru vel navigio. Multos ibi homines reperit, multi postea antequam transitus pateret supervenerunt, tantum laboravit in illis, ut omnes confiterentur. Nec transire voluit, donec omnium confessiones finiret; huic quippe intentus obliviscebatur omnium aliorum, quae ipsi in hac via peragenda erant.

Et tandem cum iam ductos sicut palma effloruit, et plurimos laborum piorum fructus protulit, e vivis decedente Gedeone Archiepiscopo Polocensi, idem vir in locum demortui, in Archiepiscopatum scilicet plane desolatum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, post annos 15 et amplius vitae suae monasticae, ab hinc ante quinquennium suffectus fuit. Est hic Archiepiscopatus in Alba Russia in confinibus Moschoviae; Archiepiscopatus dictus non quod Archiepiscopus eius Episcopos aliquos sub iurisdictione sua habeat (talis enim qui ipsi subsit est nemo), sed quod ab antiquo primum locum post Metropolitanum Archiepiscopum inter alios Ruthenos Episcopos habuerit. Satis ampla est huius Archiepiscopatus Dioecesis, continetque in se inter alias plures minores istas tres civitates praecipuas, Polociam scilicet (a qua et nomen habet) Vitepscum et Mscislaviam, quae omnes ab antiquiore tempore titulo Palatinatus a Serenissimis Poloniae Regibus sibi indito gaudet. Per hanc universam suam Dioecesim vel maxime in praecipuis eius civitatibus reperit Antistes late grassantem pestem Schismatis, et Deo auxiliante intra duorum fere annorum spatium (f. 236) ea qua pollebat in hac parte industria et dexteritate sic omnium animos et ingenia coepit, ut vix tantum aliqua Schismatis man-

serint vestigia. Reperit quoque Clerum omni ex parte inordinatum et informem; ecclesiam Archiepiscopatus sui Polocensem cathedralem, S. Sophiae nuncupatam (ut multas alias per universam Dioecesim eius missas faciam), fere collapsam. Et illum quidem, Clerum scilicet, per Synodos quas annis singulis cogebat, et per visitationes locorum et ecclesiarum in illis, quas in propria persona non sine maximo incommodo valetudinis peragebat, nullis parcendo laboribus reformavit. In defendendo patrimonio Ecclesiae suae, et in iis, quae per diversos ex Nobilibus ablata erant, bonis Ecclesiae recuperandis fuit tam vigilans et felix, ut medietatem Episcopatus a multis annis ablatam, per annos 5 quibus Episcopatu praefuit, iure mediante, receperit; ad quod alias non videbatur aptus, quippe totus speculationi deditus. Praedia Episcopatus valde desolata instauravit; domos et integras Curias aedificavit; inprimis autem ecclesiam cathedralem tam ingentibus sumptibus in tam eximiam pulchritudinis formam, cuius modo est, a fundamentis fere ipsis erexit, ut vix triplo maioribus illius Archiepiscopatus annuis redditibus tam brevi tempore tantam molem instaurari posse quispiam crederet.

Haec vigilantissimus Antistes cum ageret, Erro quidam, Patriarcham Hierosolymitarum se vocitans,<sup>17</sup> in fines Regni Poloniae ex Moscovia venit. Pseudo Metropolitam pro Metropolia Chioviensi, et Pseudo Episcopos pro omnibus Episcopatibus nostris Ruthenis, quos nos Uniti legitime tenemus, singulos pro singulis nominavit inter caeteros autem et pro Polocensi Meletium Smotricium creat. Is confestim per totam Polocensis Archiepiscopatus Dioecesim ad recens adhuc ad Unionem conversos, et nec dum perfecte in ea firmatos scribit literas, exhortando et iubendo, ne suo Pastori, alias legitimo, tanquam illegitimo, Haeretico, Papistae praestent amplius obedientiam, sed sibi potius vere orthodoxo et legitime a legitimo Pastore ordinato. Mittit cum his ministros Sathanae, monachos quosdam, et saeculares sacerdotes qui rudem plebeculam novi Episcopi publicatione inter turbarent, et ab obedientia veri Pastoris avocarent. Neque irritus fuit conatus eorum namque omnes fere (tunc bono Antistite Varsaviae in Comitibus Ecclesiae et Unionis firmandae gratia commorante) per totam Dioecesim turbant; omnes ab Unionem ad Schisma, veluti canes ad vomitum redierunt; vix aliquis mansit qui sequeretur David, omnes post sybam abierunt, omnes Smotricio obedientiam praestitere, eum in Episcopatum ad se venire desiderantes, hunc pellere constituentes. Audit triste nuncium Antistes, accursit ad ovile, et a lupis devastatum, et dispersum invenit. Quid tandem? magnanimus animo non cadit verus Pastor, non deserit oves, sed quaerit, deperditas repetit, ab initio quod iam finiverat orditur, et per civitates Dioecesis suae iterum discurrit, exhortatur, monet, revocat errantes, pertinaces edictis regalibus redire cogit,

<sup>17</sup> Theophanes, patriarcha Hierosolymitanus. Anno 1620 Moscovia rediens, Kioviae constitit, ubi a Confraternitate et Cosacis bene acceptus Episcopos schismaticos in sedes episcopales legitime occupatas consecravit, ianuis clausis et solus, mense videtur augusto, contra ius ecclesiasticum et ius patronatus Regum Poloniae.



lupum Smotricium, procul ne ipse in ovile irrumpat, arcet. Sed his omnibus lassatus, licet Polociae, ubi sedes ipsius Archiepiscopalis est, profecit multum, in aliis tamen civitatibus et praecipue Vitepsci parum, quin immo quod nusquam alia civitas attentare fuit ausa, haec sola contra omnem spiritualem et saecularem totius Regni potestatem attentavit, synagogas duas scilicet, omnes enim alias ecclesias Uniti tenebant, extruxit, in quas Sacerdotes Schismaticos, ab illo Pseudo Episcopo Smotricio quasi ordinatos, introducit, qui populum contra legitimum Pastorem turbaverint, et Unionem labefactantes in Schismate continerent.

Hoc audito, infractus laboribus et imperterritus contra tot pericula Antistes promovere visitationem Ecclesiae instituit, et Vitepscum imprimis ad inobedientes et rebelles suas oves, volens eas ad ovile suum iterum reducere, proficiscitur. Venientem laeti et gratanter cives suscipiunt (sed falso), constituunt eundem quarundam inter se dissensionum arbitrum; laborat in hoc libens Vir, semper alias in pacificando foelicissimus ut vel hoc animos sibi infensos reconciliaret. Ipsi vero quid interim? Mortem pacificatori suo intentant, et quem semper habuerunt schismatica suae pravitatis oppugnatorem acerrimum, hoc diabolico modo e medio tollere cogitant. Instruunt igitur Sabbatho XI Novembris Sacrificulum Baal, Sacerdotem suum Schismaticum,<sup>18</sup> qui contumeliose convitiis insectetur Antistitem, ubicunque eius familiam obviam haberet. Hunc in modum intra (f. 236v) se cogitantes: quod, inquit, possibile non est ut huiusmodi convicia et contumelias famuli Episcopi contra Dominum suum iactas patienter ferant, sed procul dubio illum Sacerdotem sic malis verbis eos tractantem vel ad carceres, qui sunt in domo episcopali, rapient, vel verberibus aut aliqua alia contumelia afficient. Quodsi fecerint, nos quasi Sacerdotis iniuste percussi, vel incarcerati iniuriam vindicantes in episcopalem domum irruemus, et ipsum Episcopum veluti pacis publicae violatorem hac occasione, ne nos amplius cum sua Unione infestet, opprimemus. Et quidem sic apud se statuentes tota nocte ante diem Dominicam, quae erat XII Novembris, nihil de hoc ipsorum nefando consilio sciente Episcopo, pro hoc perpetrando facinore se praeparabant. Et summo mane ante diluculum quando Religiosus et Sanctus Antistes pro Matutino ad ecclesiam ivit, dictum suum Sacerdotem ut eis condicto quod cum ipsis habuit, occasionem tumultus daret, ante domum episcopalem mittunt, qui iniuriose satis Antistitem, absentem licet, et famulos eius, qui tunc domi erant, tractavit. Et diu quidem tolerata fuit haec ipsius insolentia. Tandem ab aliquibus raptus est, et non in carcere, sed in culina reclusus. Fit subito tumultus; campanas ubique pulsant modo peculiari qui vim denotat; irruunt in Curiam Episcopi absente Episcopo; oppugnant eam, sed a familia Episcopi fortiter reiecti sunt. Quaerit adhuc in ecclesia Antistes quaenam sit causa huiusmodi campanarum strepitus et tantae commotionis in populo. Et Sacerdotis comprehensionem esse intelligens, eundem dimitti sine mora iubet ipseque (erat autem ea die pontificaliter celebraturus) ex

<sup>18</sup> Helias, sacerdos schismaticus Vitebscensis.



ecclesia domum suam per medios hostes transiens redit; transeuntem ne tetigerunt; domum autem vix ingressum maximo cum impetu agrediuntur Curiam episcopalem, a qua per familiam Episcopi etiam tunc repulsi fuissent; habebant enim sclopeta; sed quia misit ad eos Episcopus, ut non globos sed chartam exploderent, vel si globos, supra homines dirigerent non intra eos, videntes invasores charta non globis rem peragi, tanto ardentius insistere coeperunt; ac inprimis portam maiorem in ingressu domus effringentes, famulos Episcopi qui violentiae eorum se opposuerant invadunt et plerosque eorum tum bombardarum globis traiciunt tum gladiis gravissime vulnerant, et pellunt. Duo qui defendebant maiorem portam globis traieci, et isti non sperantur supervicturi.<sup>19</sup>

Duo vero prae omnibus aliis maxime gladiis vulnerati et fustibus gravissime caesi, qui vivunt quidem sed non sperantur diu victuri. Archidiaconus Dorotheus, hic ter fustibus, positus in terra, verberatus: primum in atrio, post occisum Archiepiscopum, eo usque donec ab immanibus illis hominibus, si digni sunt nomine hominum, putaretur mortuus; sed quando notatus est ab aliquibus quod viveret, extractus in aream, caesus iterum eodemmodo usque ad mortem; sed et tunc a curiosis observata sunt signa vitae, caesus ergo in caemeterio tertio gravissime, nec reliquissent ipsum, nisi putassent iam vere exspirasse. Miraculo certe ab omnibus adscribitur, quod vivat, naturaliter enim supervicturum nullus qui vidit eum dixit. Alter Emanuel Cantacusaenus, Superior domus, natione Graecus, ex Ill.ma familia Constantinopolitana Cantacusaenorum dicta, qui post captam Regiam Moschoviae a Serenissimo Rege Poloniae Sigismundo III cum Patriarcha Moschoviensi viro optimo, Ignatio nomine, itidem natione Graeco, multis relictis possessionibus, quas Avunculus eius Graecus ex familia nobilissima Rali (qui oppressus a Turcis in Moscoviam transierat) ipsi reliquerat, ultro in has partes venit, et nobiscum per annos iam circiter 13 commoratus est. Vir omni ex parte omni laude dignissimus, ante omnia autem optimus Catholicus, de quo indubitatum a fide dignis habemus testimonium, quod sit vere ex illa imperiali olim Cantacusaenorum familia. Hi, inquam, duo ad conclave iam Antistitis appropinquantibus sicariis in atrio ipso restiterunt, tandem ab iisdem circumcincti sunt, et gravibus ac pene innumerabilibus vulneribus sunt affecti.

Ad tam crudelem inflictionem vulnerum et clamorem familiae suae Antistes ex oratione quam in quodam penetrali domus illius, provolutus in terram, tunc faciebat, uno penes se relicto, tanquam ex somno quodam expergefactus e conclavi ad sicarios prodit, et ut innocentibus famulis suis parcent, se ipsum furori ipsorum obiicit (f. 237). Primum ergo signo Crucis signavit eos, postea dixit: « cur sic affligitis meos famulos homines innocentes! Si aliquid habetis contra me, adsum ». Obstupuerunt omnes, et cessatum a caede quasi per moram unius Pater noster; nullus enim ausus est loqui, nedum manum movere ex circumstantibus. Duo tandem, vi facientes sibi viam de foris, irruunt sacri-

<sup>19</sup> Nomina famulorum nobis sunt ignota. Nemo tamen ex illis mortuus est ob vulnera accepta.

legi parricidae et omnibus aliis relictis in solum Antistitem manus iniiciunt. Unus ex ipsis fuste praecusto in fronte Pontificem supra oculum percutit, adeo ut pedibus consistere non valens, in parietem primum, post in terram conciderit; secundus securi oblonga, berdysz vulgo dicta, caput sacrum dissecat. Denique alii omnes qui prope aderant, quibuscunque armis usi fuerant, totum corpus Antistitis confoderunt et contuderunt, caput vel maxime, ut vix aliqua forma hominis in facie remanserit. Neque hic finis immanitatis fuit; cum enim, putantes esse mortuum, manus ab ipso amovissent, et ad alios furorem suum convertissent, movit Episcopus manum, forte ut signaret se signo S. Crucis; in instanti arripiunt ipsum scelerati homines, extrahunt ex atrio in aream, et ibi duplici globo bombardae in capite traiectus est, postea miris modis fustibus pulsatus, sed in ictu bombardae exspiravit. Erat autem canis Antistitis, qui latratu et morsu suo a corpore Domini sui istos sacrilegos arcebat; hunc quidam ex ipsis arreptum, et corpori superimpositum in partes dissecuerunt, et sanguine canino in maius ludibrium S. Corpus defoedarunt. Post haec illum extra Curiam in viam publicam extraxerunt, et ibi relicto sacro corpore iverunt ad suppellectilem episcopalem quam diripuerunt, similiter ex penuariis. Ex cellariis autem multas tonnas mulsi et cervisiae extractas in aream domus exportarunt, atque ipsi in terra consistentes biberunt, quodlibet dolium evacuatum cum summis clamoribus ex monte altissimo, in quo Curia episcopalis sita est, in fluvium detrudebant. Interim cum impii homines genio indulgent corpus S. Martyris ad omnes irrisiones et opprobria expositum fuit in via publica, ad quod accurrentes non tantum viri, pueri, sed etiam faeminae et vetulae pedibus calcabant, barbam et capillos capitis evellebant, in faciem spuebant, supra S. Corpus sedentes vinum, quod ipsi vocant crematum, bibebant. His et aliis modis usque ad saletatem debacchati sunt in sanctum Episcopum, et discesserunt.

Et ecce supervenit nubes atra a fluvio Vidbla, et stetit supra corpus S. Episcopi in cuius nubis medietate apparuit radius lucidus. Quo spectaculo permoti plurimi accurrebant ad dictum locum, non tam Episcopum occisum spectantes, quam illum radium, qui elevando se paulatim ascendit sursum, et evanuit.

Tandem accurrerunt, evacuatis doliis, helluones temulenti; tunc denudarunt corpus venerandum usque ad cilicium, et cilicium indusii loco inventientes, Episcopum se occidisse non credunt, sed alium quempiam monachum, dicentes Episcopum tenuibus indusiis, ex telo factis, uti consuevisse. Adducunt ergo nonnullos eius famulos, quos captos tenebat, quaerentes ex ipsis, num Dominus ipsorum esset, quem occiderunt, et quem cilicio indutum invenerunt. Affirmant famuli non alium nisi Dominum esse, eumque semper tota vita sua tali indusio uti consuevisse. Non credunt uni, vocant alium, et iterum alium, pulsant baculis ut dicant veritatem, quibus constanter et uno ore Dominum esse suum dicentibus, non credunt nihilominus, sed pavementum totum quod in conclavi eius tabulis stratum erat eruunt, et sub ipso Episcopum quaerunt, minime credentes eum a se occisum esse. Tandem cum iam aliqui ex ipsismet vere Episcopum esse quem occiderant cognovissent, alli-

gato fune ad pedes Martyris per plateas civitatis sacrum corpus, solo cilicio tectum, contumeliose trahebant, ut totum nudum penitus oculis spectantium obiiceretur. Ac denique ad supercilium eiusdem montis alti et valde ardui, ut nullus per illum ascendere vel descendere possit, et ex quo antea dolia evacuata, ut dictum est, deiciebant, ex eodem S. Martyris corpus deiecerunt, clamantes: « firma te, Episcopo, firma te », et ut in lingua nostra vulgari dicitur: « Teneas te ». Post montem illum per sinuosos anfractus euntes ad ripam fluminis Duna, quod est unum ex maioribus et navigabilibus huius Regni fluviis, impositum in scapham, non contenti profunditate quavis, quae ubique est in hoc flumine, in locum quem sciebant esse profundissimum deportarunt, atque appenso cilicio, quod lapidibus, sacci in modum, repleverant, ad collum martyris, et uno grandi lapide ad pedes submerserunt, propterea, ut nullus inde postea extrahere corpus martyris posset. Redeuntes turmatim ad Curiam episcopalem, omnia devastarunt, fenestras vitreas comminuerunt, fornaces diruerunt, mensas, fores, scamna, vasa lignea omnia secuerunt, et nihil plane intactum reliquerunt. Quibus omnibus confectis quilibet triumphans domum suam se recepit.

Magistratus Castrensis et alii pii magnam fecerunt diligentiam per 5 dies ut Corpus S. invenirent, et quia ipsi locum determinatum non sciebant, correptis illis qui praesentes erant submersioni investigabant, sed et hoc modo inveniri non potuit, donec, ut dicitur, lumine fulguris instar ex aquis emicante divinitus locus indicatus, ex quo ad perpetuam Schismaticorum confusionem, omnium autem Catholicorum laetitiam, sexta a submersione die extractum est, et honorifice in ecclesia Arcis murata per Magistratum Castrensem collocatum.

Inde octiduo post per Clerum (f. 237v) ecclesiae cathedralis Polocensis et Nobilitatem illius districtus secundo flumen Duna vectum, comitante magna caterva hominum, infoelicitatem huius civitatis deplorantium, inter quos plurimi ex illis, qui ipsi necem intulerant, erant. Hoc etiam non minori admiratione dignum est, quod minister haereticorum Calvinistarum cum suis aseclis idem sacrum corpus deducebant cum magna scantione doloris ex ecclesia ad navigium. Denique Iudaei, Iudaeae, senes, iuvenes et pueri ipsorum ex domibus suis certatim prosilientes occurrerunt S. Martyri fletibus effusissimis condemnantes infoelices Christianos; iidem famulis Episcopi vulneratis omne genus obsequii impendebant, edulia parando, condimenta et bellaria ipsis offerendo, idque totum gratis et cum affectu. Movebat plurimum res ista frigidus Christianos, etiam illos sacrilegos, ut compungerentur. Tandem Polociam advectum. Cui occurrit ingens hominum multitudo, omnis aetas et sexus in lachrymas effusus, planctu et eiulatu implens aëra. Praeferebantur S. Martyris corpori instrumenta martyrii eius, cilicium, lapides et funis quo per plateas raptatus, et in flumen demergendus ligatus erat. Nullus erat qui siccis hoc spectaculum intueretur oculis; scindebantur corda omnium, nullus Schismaticorum tunc vel hiscere audebat. In ecclesia cathedrali, ab eodem fere a fundamentis erecta, collocatus, et omnibus ad videndum expositus ferme per 10 dies; nullus aspectu eius satiari poterat, nullum horrorem aspicientibus etiam illis, qui exhorrescunt corpora mortuorum, dabat; color

faciei erat rubeus. Multa contigerunt circa mortem et post mortem Sancti Martyris, quae adhuc exactius examinanda sunt; illud, quod certo liquet, hic ponitur.

Discedens Polocia Vitepscum, quasi a Deo praemonitus, districte praecepit, ut ante reditum ipsius sepulchrum in ipso templi pariete excaveretur. In via, et Vitepsci quotidianus ipsi et frequentissimus sermo de morte erat usque ad fastidium audientibus. Unde dum semel ad coenam cum gustu et diutius quam ferre potuerant aures audientium de morte loqueretur, tandem Archidiaconus ipsius prorupit in haec verba: « semper D. V. de morte loquitur, ad minimum permittat nunc nos comedere ».

Eadem die et ferme hora, qua S. Martyr occubuit, a Polocensibus (quae civitas distat Vitepsco 24 leucis polonicis) visa est columna lucida supra Vitepscum. Quod plurimi homines se vidisse sub iuramento affirmant.

Post submersionem Martyris, postquam parricidae redierunt ad domos suas, Magistratus Castrensis timens ne noctu irruerent in ecclesiam Curiae episcopali adiunctam, et in ea diriperent res ecclesiasticas, descendit eo. Cista in qua res ecclesiasticae erant, clavi propria illius cistae nullum impedimentum habente, et ab eo qui illam solebat operire nullo conatu aperiri potuit; tandem sic clausam duobus satellitibus ad arcem ferendam dederunt. Hi satellites dum transibant locum, in quo S. Martyr raptus fuit, et in quo loco per horam iacuit, ac sanguine terram respersit, excidit cista e manibus eorum parte superiori versus terram; ultro sine manibus se aperuit. Ex qua exiit calix et stetit rectus in ipso loco in quo fuit sanguis, sicut solet locari in altari, et penes ipsum patina, stella, et Crux, quodlibet in suis locis. Obstupuerunt omnes, et ipse Vicepalatinus, licet haereticus Calvinista, confessus est hanc veritatem, et nunc dicit coram omnibus, et cum ipso erat magna multitudo hominum.

Polociae infans duorum annorum, dum nullus adhuc sciret de nece sui Episcopi, expergefactus a somno ante diluculum dixit suo Patri: « Occisum esse Deum ». Vox ista risum movit audientibus. Cum idem ingenuinaret puer, vix alias loqui potens, quaesitum quisnam esset ille Deus qui occisus est, repondit: « Is qui ecclesiam aedificavit ». Nec hoc habuit pondus apud parentes, licet intelligerent quod puer loquebatur de ecclesia cathedrali, paulo ante mortem ipsius finita, nisi post aliquot horas, quando rumor volitare coepit Archiepiscopum Polocensem esse occisum. Vivunt parentes pueri, et omnibus ista palam dicunt. Alia quae a multis referuntur, visiones scilicet diversarum personarum, non plane examinata sunt.

(f. 238v) Vita et Mors D. Josaphat Archiep. Polocensis.



## 4.

Novogrodek, 27 . I . 1624.

*Josephus Metropolitae refert de morte Archiepiscopi Polocensis, ad Octavium Bandinum, Praefectum S. C. de Prop. Fide, scribens.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 303rv (copia).

SUSZA J., *Cursus vitae... B. Josaphat Kuncevicii*, ed. J. Martinov, Parisiis 1865, p. 151-2.

KULCZYNSKI IG., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, ed. J. Martinov, Parisiis 1859, p. 232-34.

Cardinali Octavio Bandino,<sup>20</sup> Protectori Russiae.

In regno christiano sub rege catholico schismatici tantum facinus perpetrare ausi sunt, ut Vitebsci pastorem suum Archiepiscopum Polocensem, Josaphat Kuncevicium trucidaverint, instinctu procul dubio Pseudoepiscoporum, qui Kioviae sub patrocinio Cosacorum impune delitescunt, et suos per universum regnum hinc inde mittunt, ut homines non tantum avertant a nobis, sed etiam concitent contra nos. Die 12 Novembris, anno proxime elapso, qui erat dies Dominicus, ipso diluculo, quando bonus Antistes ex ecclesia, post absolutum Matutinum, domum se receperat, ut ad Sacrum pontificaliter illo die celebrandum sese disponderet, plebs civitatis illius, Magistratu connivente, signo per campanam Praetorii et omnium ecclesiarum dato, expugnarunt scelerati homines domum archiepiscopalem, et virum sanctissimum omni veneratione dignum trucidarunt, ac postea in sacrum corpus jam examine diris modis saevierunt, de quibus omnibus in particulari visum est potius in alia charta, quam in his litteris scribere.<sup>21</sup> Omnium nostrorum Unitorum copiose in hac tanti Antistitis inopinata morte effusae sunt lachrymae, maxime vero Vilnensium, apud quos toto fere vitae suae tempore vixit; vixit autem sanctissime, et promovendae Unioni unice erat necessarius, indefessus quidem in laboribus, inperterritus in periculis, faciebat tot et tanta, quae prudentia humana in praesenti rerum statu non suaderet: unde admirationi fuit omnibus. Licet ergo de tali homine a nobis corporaliter avulso communis omnium fuerit tristitia, tamen in promptu est magni gaudii occasio, martyrium eius gloriosum, quod animo forti subiit. Unde certi sumus quod plus pro sancta Unione operabitur in coelis, quam operari potuisset in terris. Mihi certe in omnibus tribulationibus meis, quae frequentes sunt per gratiam Dei, ipse fuit unicum solamen et levamen; unde nunc tanquam turtur orba socio gemam in hac misera peregrinatione mea, expectando horam, qua trahet me post se; et utinam dignus sim trahi tali fune, quali ipse tractus est!

Antequam tamen hoc fiat, mearum partium erat proponere Emi-

<sup>20</sup> Bandini Octavius, Cardinalis, florentinus, ab anno 1596 cardinalis praesbyter S. Sabinae, Episcopus Ostiensis ab an. 1626, et decanus Collegii Cardinalium. Mortuus est Romae anno 1629, anno vitae 71. De illo dicebatur uti de «vecchio venerando», «delizio del S. Collegio» (cfr. MORONI, *Dizionario*, vol. 4, col. 90-92).

<sup>21</sup> Agitur de nota iam «relatione» de vita et morte S. Josaphat, prout sub nr. 3. (p. 8).

mentiae Vestrae et simul commendare haec duo. Primo, ut quamprimum Seminarium in Russia perducatur ad finem, et committatur Domino Nuntio Apostolico hic residenti, ut convocet nos Episcopos, et exigit a nobis annuam contributionem pro eodem Seminario; dabunt alii libenter, alii reverenter. Secundo, Sua Sanctitas, seu Congr. sacra de Propag. Fide scribere dignetur ad Serenissimum Regem nostrum, ut Pseudo Metropolitam et Episcopus eiusdem farinae, ante biennium<sup>22</sup> contra nos legitimos Episcopos, contra iura divina et humana ordinatos, auctoritate sua regia submovere dignetur; ab illis enim veniunt istae populorum seditiones, sacerdotum, immo et Episcoporum mortes. Quod reliquum est, Deus Opt. Max. E. V. Ecclesiae sanctae ac reipublicae christianae servet diutissime incolumem.

Novogrodeci, 27 Januarii 1624.

(*Josephus Velamin Rutschi Metropolita  
Kioviensis totiusque Russiae*)

### 5.

Novogrodek, 30 . I . 1624.

*Episcopi Rutheni litteris communibus S. C. de Prop. Fide de nece Archiepiscopi Polocensis Josaphat certiozem faciunt.*

*Nota Secretarii-Ingoli de rescripto.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, f. 301r, 308v. (orig. corruptum aliquantulum).  
KULCZYNSKI IG., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, ed. J. Martinov, Parisiis 1859, p. 235-36.  
SUSZA J., *Cursus vitae...*, B. Josaphat Kuncevicii, ed. J. Martinov, Parisiis 1865, p. 156-157.  
HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, N. 6, p. 313.

Ill.mi ac Rev.mi DD. et Antistites Sanctae Congregationis de Propaganda Fide.

Occasio tam funestae atque vix unquam auditae caedis Deo dilecti fratris nostri Josaphat Archiepiscopi Polocensis, quam schismatici in virum vere sanctum ob hoc unicum, quod primatum Sanctae Sedis Apostolicae ac proinde fidem catholicam defenderit semper strenue, ausu nefario perpetrarunt, id effecit, ut ad Rev.mum Josephum Metropolitanum nostrum Kioviensem et totius Russiae Novogrodecum, ubi sedes ipsius est, in communi negotio promovendae sanctissimae unionis convenerimus omnes; a quo quia multas easque maximas ab hac sacra Congregatione de Propaganda Fide praesertim vero nunc nobis undique afflictis praestari audivimus, aequum id esse duximus, ut gratos nos tantorum vel per litteras saltem declararem beneficiorum, quae quandoquidem tanta sunt, ut nos ad maiora etiam quam nunc passi fuerimus pro nomine Christi et fide catholica perferenda stimulent.

Maius gratitudinis signum erga hanc Sanctam Congregationem de Propaganda Fide exhibere non possumus, quam vitam nostram cum sanguine prouti iam unus ex nobis profudit pro fide catholica profundero paratissimos nos offerentes.

<sup>22</sup> Consecratio Hierarchiae schismatica locum habuit Kioviae anno 1620, mense, ut videtur, augusto.

Vos tantum, Patres Ill.mi, per Deum, cuius honorem defendimus, obsecramus, prout coepistis, pergite et nobis sub onere gementibus si non collabentibus manum auxilii submittere, collapsas res nostras in hoc ritu, qui quondam cheu tanta sanctitate et doctrina resplenduit, erigite.

Quod reliquum est, Deus Optimus Maximus Ill.mas D.nes V. conservet in annos plurimos pro gloria sua sancta et incremento Ecclesiae catholicae.

Datum Novogrodeci, 30 Januarii anno 1624.

Ill.marum ac Rev.marum D.num V. humiles servitores:

Josephus Velamin Rutschi, metropolita Chioviensis Haliciensis totiusque Russiae (*mp*).

Joachimus Morochovski,<sup>23</sup> episcopus Wlodimiriensis et Brestensis (*mp*).

Athanasius Pakosta,<sup>24</sup> episcopus Chelmensis et Belzensis (*mp*).

Hieremias Poczapowski,<sup>25</sup> episcopus Luceoriensis et Ostrogiensis (*mp*).

Anastasius Sielawa,<sup>26</sup> episcopus Polocensis Vitebscensis et Miscislavien-  
sis (*mp*).

Gregorius Michałowicz,<sup>27</sup> episcopus Turoviensis, coadiutor Pinscensis (*mp*).

*retro fol. 308v*: Sacrae et Ill.mae Congregationi de Propaganda Fide.  
Dominis nostris Colendissimis.

(L. S. - 6).

---

<sup>23</sup> Morochovskij Helias Joachimus. Studuit Romae simul cum Joanne Josepho Rutskyj. In patriam rediit anno 1603. Erat Secretarius Regis, sed anno 1612 ingressus est in monasterium Vilmense, et iam anno 1613 consecratus est a Metropolita Hypatio Potij in Episcopum Volodimiriensem et Brestensem, quem episcopatum ipse Metropolita hucusque obtinebat, una cum Archidioecesi metropolitana. Obiit anno 1631. Inter opera, quae ei attribuantur, nominanda sunt: *Paregoria albo utulenie lamentu uszczypliwego mniemaney cerkwie świetey wschodniej zmyślonego Theophila Orthologa*, Vilnae an. 1612, et prima biographia S. Josaphat, edita Zamosci an. 1624 (cfr. hac de re notam 12).

<sup>24</sup> Pakosta Athanasius, Episcopus Chelmensis et Belzensis ab anno 1620 ad 1625, quo anno obiit.

<sup>25</sup> Poczapowskyj Hieronymus, Episcopus Luceoriensis et Ostrogiensis 1621-1637. In Chronica Collegii Graecorum de eo adnotatum est: « 239. Hieronymus Poczaposchi, Ruteno, monaco di San Basilio, si parti Theologo, et ritornato nel convento fu fatto Vescovo in Russia di Luceoria; e di bellissimo ingegno » (fol. 43).

<sup>26</sup> Sielawa Anastasius Antonius. Studuit Romae. In patriam reversus varia obibat officia monastica et ecclesiastica. Anno 1624 consecratus est Archiepiscopus Polocensis, post martyrium S. Josaphat. Post mortem Raphaëlis Korsak (VIII-IX 1640) ei in Sede metropolitana Kioviensi successit, retento Archiepiscopatu Polocensi. Anno 1642 electus fuit Protoarchimandrita Ordinis Basiliani. Tempora eius officii metropolitani difficillima fuerunt pro Ecclesia Unita. Mortuus est anno 1655 in Tykocin (Podlachia), fugiens invasionem moscoviticam.

<sup>27</sup> Michałowicz Gregorius. Electus fuit coadiutor Episcopi Pinscensis Paisii an. 1624, cum tit. Episcopi Turoviensis. Coadiuto in sede successit anno 1626 (13. V). Partem habuit in funere S. Josaphat Polociae, die 28. I. 1625. Mortuus est anno 1632.



*Nota Secretarii, Fr. Ingoli, de modo rescribendi:*<sup>28</sup>

Letta die 30. aprile 1624. - Al Nuntio di Polonia che se li manda un Breve di Nostro Signore cum facultate subdelegandi con l'istruzione necessaria acciò che si faccia il processo della vita e morte de l'Arcivescovo Polocense unito e in specie della causa per la qual è stato ammazzato da scismatici per mandarlo poi authentico al Papa et che quanto prima puo mandi un'immagine di detto Arcivescovo a Sua Beatitudine essendo paruto bene alla S. Congregazione di non lasciar questo fatto sepolto nell'oblivione. Se li manda anche una copia della vita di detto Arcivescovo mandata dal metropolita di Russia per instruttione sua e di chi farà il processo. Certioretur metropolita latine de praedictis.<sup>29</sup>

## 6.

Roma, 3. II. 1624.

*A Secretaria Status sollicitatur Nuntius Varsaviensis, ut advigilet iustae punitiōni parricidarum Vitebscensium.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 6226, fol. 12rv. (reg.).  
ASV, *Nunz. di Polonia*, v. 174A, 13.

Più che crudele, empia, e barbara azione è stata quella della morte (12v) data da scismatici all'Arcivescovo Polocense Ruteno, e degno di quell'esemplar castigo, che si deve aspettare dalla molta pietà, e giustizia del Rè. L'andata di Commissarii destinati a tal effetto da S. Maestà tanto più deve esser sollecitata, quanto che si sospetta, che chi ne procura la dilatione vi habbia il disegno accennato<sup>30</sup> da V. S., e la lentezza in questi casi opera sempre cattivi effetti. Toccherà a V. S. di riscaldarne il Rè per questa miglior via, che potrà; desiderando N. Signore che non tardi la Maestà S. di far apparire al mondo quanto le pesi un eccesso così grave, il quale non venendo punito, come merita, produrrebbe maggiori mali, e implorerebbe la potentissima vendetta Divina. Io di cuore mi offero a V. S.<sup>31</sup>

Roma 3 Febbraro 1624.

*Consequenter ad aliam epistulam de data 17. II. 1624 scriptum est.*  
« Con X Brevi, e X Copie ».<sup>32</sup> (fol. 14v).

<sup>28</sup> Nota haec publici facta est iuris a P. G. HOFMANN in suo articulo « *Der hl. Josaphat* » (cfr. *Orientalia Christiana*, vol. III (1925) 12, p. 235, n. 3). Litterae, de quibus adnotatio, scriptae fuerunt tum ad Nuntium Poloniae (4. V. 1624) tum ad Metropolitam Rutskyj (eodem die); (cfr. N.Nr. 28 et 31).

<sup>29</sup> Franciscus Ingoli fuit primus Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide eiusque per 30 fere annos anima. Ecclesiae Ruthenae vere favebat, prout ex eius actis et documentis Archiviorum Romanorum patet.

<sup>30</sup> Sub die 7. XII. 1623 (cfr. Nr. 1).

<sup>31</sup> V. S. significat hic Joannem Baptistam Lancelotti, Nuntium Poloniae (1623-27), Episcopum Nolanum.

<sup>32</sup> De his Brevibus vide sub data 10 februarii 1624 (Nr. 9-18).



## 7.

Lithuania, 4 . II . 1624.

*Excerptum ex litteris ad Alumnos Ruthenos Coll. Graecorum de Urbe de punitione civitatis Vitebscensis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 234rv, 239v.

Ex litteris datis ad Ruthenos Collegii Graecorum Alumnos<sup>33</sup> anno 1624, Febr. 4.

De obitu S. Patris nostri Josaphat Archiepiscopi Polocensis et de eius Martyrio quod pro Primatu S. Sedis Apostolicae ac S. Unione passus est R.V. scripsi; nunc poenam civitatis Vitepscensis et quaedam alia paucis indico.

Inquisitores facinoris, et administratores iustitiae Palatinus Vilnensis, Palatinides Vitepscensis et D. Gosiewski cum aliis quibusdam a piissimo Rege et tota Reipublica destinati sunt, qui Vitepscum accedentes, viginti et amplius personas cum quatuor primariis dictae Civitatis Consulibus ad inquisitionem acceptos incarcerant, variisque tormentis adhibitis conspirationem contra Unitos et S. Episcopum factam inquirunt. Detegitur unanimis Principalium in occisionem consensus, quod alii gloriis percussi, alii in multas partes dissecti, maximum omnibus terrorem incusserunt. Secutae post abscissiones narium et auricularum multis feminis factae, confiscationes honorum, privatio juris civilis, et omnis prosus libertatis ablatio, ita ut civitas illa Regia in villam degeneraverit, et Vitepscenses nunc ab Arcis Vitepscensis praefecto iudicentur, condemnentur, carceribus et aliis poenis afficiantur, cum extremo suo ac suorum Schismaticorum dolore ac infamia.

Itaque Vitepsci 19 sunt deleti, qui tamen nostris Unitis peccatum et dolorem de facto impio confessi. Haec dum ibi geruntur, primarius Civitatis Polocensis Consul,<sup>34</sup> idemque infensissimus S. Unionis hostis,

<sup>33</sup> Podbereskyj Adrianus, filius Alexandri et Annae Orska, Basilianus. Ingressus est in Col. Graecorum de Urbe mense decembri an. 1621, ut sacerdos, annorum 25; anno 1624, gravi morbo affectus, iussu Metropolitae discessit e Collegio 24. VIII. 1624, sed patriam rediens vita functus est in Italia septentrionali, « prope Gradiscam, civitatem Carniolae », ut scripsit Rutskyj, cum maximo dolore Metropolitae Rutskyj, qui eum sibi in successorem praeparabat.

Korsak Raphael, filius Simeonis et Catharinae, Basilianus. Ingressus Collegium anno 1621, mense decembri, annorum 20. In patriam rediit anno 1624 (28. XII) et mox electus est Archimandrita Vilnensis, qui simul munere Protoarchimandritae Ordinis Basiliani fungebatur. Dein consecratus fuit Episcopus Haliciensis et Coadiutor Metropolitae Rutskyj (1626-7); ab anno 1632 Episcopus Pincensis et, Josepho Velamin Rutskyj vita functo (5. II. 1637), Metropolitae Kioviensis. Anno 1639 venit Romam « ad limina Apostolorum », ubi et mortuus est ultimis diebus mensis augusti vel primis mensis septembris anno 1640. Sepultus est in residentia Procuratorum Ecclesiae Ruthenae et Ordinis Basiliani in Urbe.

<sup>34</sup> Prout ex Decreto Commissoriali Vitebscensi patet, agitur hic de cive Polocensi, nomine Petro Basilide Thyrs, « qui in hoc negotio Vitepscen veniens his maleficis consilium et auxilium suppeditabat, volens Judicia Commissariorum implicare, et impedire ».

Schismaticorum patronum agens, ad praedictos Commissarios venit, auro ille onustus muneribus corrupturus incorruptibiles. Boni Iudices quem maximum fuisse pacis publicae turbatorem iam ante noverant, corripere Consulem iubent, et capite plecti, ut vigesimum sociorum compleat numerum. Multi Nobiles rei eiusdem criminis sunt declarati, et ad Comitata edictis regalibus citati, ubi quid fiet cum illis ipsi viderint. Certum nobis est quod Ser. mus Rex hoc nefando exacerbatus ausu, aegerrime ad condonandum alicui criminis convicto inducetur.<sup>35</sup> Lithuani aliqui etiam ex civibus Vilnensibus in occisionem S. Martyris conspirasse dicuntur; quodsi certum est, certissima etiam post Comitata iustitiae administratio sequetur.

Haeticorum et Schismaticorum plurimi orationibus S. Martyris adiuti, et innocuo sanguine emolliti, errorem suum agnoscunt, et execrantur, ac in dies numerosiores ad ovile S. Petri aggregantur. Et novissime multi ex civibus nostris Vilnensibus conversi sunt. Quodque magis nos Deo Praepotenti obligat, Capitaneus Chunaviensis ex primaria ille nostris in partibus familia, divitiis et autoritate potens, sed et R. V. notus, ex haeresi ad S. catholicam fidem conversus, confessusque est uni ex nostris Patribus. Hic Capitaneus ius patronatus habet in fundum ecclesiae monasterii Vilnensis Schismaticorum, nec hoc iure unquam in favorem hostium Ecclesiae cessit; Deo itaque prosperante speramus brevi ad nos ius fundi illius devolvendum; in quo etiam seriam operam adhibemus, ut tollatur illa synagoga, quae est malorum omnium origo.

Denique Schismatici pro munimento sibi adducunt Cosacos, sed hi sibi ipsi, non eis sunt propugnaculo, nec tam eos defendere quam regiam sibi benevolentiam conciliare student, quinimo dicere feruntur: Quid nobis vobiscum? Non est nostrum contradicere Regi, sed cum nobis bene est, tunc Domino gratias agimus.

Seminarium omnes expectamus a S.D.N., omnium Patre, a quo unicum remedium promovendae S. Unionis et fidei catholicae in partibus septentrionalibus expectamus Seminarium. Neque enim hoc adiuti subsidio Russiae tantum limitibus circumscribemur: Portabimus, Deo iuvante, nomen Domini coram infinitis prope nationibus eadem lingua et ritu nobiscum gaudentibus; et imprimis in magnum Moschoviae imperium sanctam Pontificis Romani auctoritatem importabimus<sup>36</sup>. In quod etiam negotium Ill. mus noster Metropolitae sedulo incumbit. Et iam post discessum D. V. Patres nostros pro monasterio Smolenscensi misit, ut illinc missiones facere possint in viciniam, donec operarii, medio illo Seminario, a SS. mo Ruthenis benevole promisso, in magnum excrescant numerum. Iam etiam Episcopum Smolenscensem in locum defuncti Mo-

<sup>35</sup> In Decreto Commissariali Vitebscensi cautum erat: « Alias autem arbitrarías poenas Iudicio ac decisioni S. R. Maiestatis D. N. Clementissimi reliquimus ».

<sup>36</sup> Hanc ideam unionis Ecclesiarum slavicarum cum Ecclesia Romana Iosephus Rutzkyj iuvenis adhuc concepisse omnino certum est eique per totam suam vitam adlaborabat. Immo eam Urbano VIII impressit, quod apparet ex illa sententia Urbani: « Per vos, mei Rutheni, Orientem convertendum spero » (an. 1629):

schovitae Ruthenum, R. P. Leonem Creusam,<sup>37</sup> nostrum illum olim in Monasterio Vilnensi Superiorem nominavit. Sane brevi nos futuros de dunato votorum nostrorum compotes in Russia et tota Moschovia speraremus, si Seminarium quam primum operarios subministraret.

Caeterum etc. ...

*retro 239v*: Copia Literarum ad Ruthenos Collegii Graecorum Alumnos. Relatione del castigo dato dal Re di Polonia alli Scismatici ch'ammazzarono l'Arcivescovo Polocense, e della conversione numerosa di altri scismatici dopo la morte di detto Arcivescovo.

Habita mense Maii 1624. Missaque per manus.<sup>38</sup>

## 8.

Roma, 7 . II . 1624.

*Nuntius de nece Servi Dei Josaphat in S. C. de Propaganda Fide refertur, et Breve ad Regem expediendum statuitur de homicidarum punitione.*

APF, *Acta*, vol. 3, fol. 88r, n. 10.

1624, februarii 7.

Ex litteris Nuntii Poloniae retuli<sup>39</sup> schismaticos Ruthenos Archiepiscopum Polocensem unitum crudeliter in eius domo cum parte ipsius familiae interfecisse, corpusque illius vestibibus exutum, quod aspero cilicio tectum invenire, per vias civitatis traxisse, tandemque in flumen Dunam, repleto saxis cilicio, proiecisse, quam tragoediam Ill.mi Patres magnopere luxerunt, et SS.mus iussit, ut ad Regem Poloniae Breve<sup>40</sup> scriberetur, quo hoc facinus ita exprobraretur, ut Rex sumptis de homicidis saeveritus poenis aliis Schismaticis, ne ad crimina similia perpetranda prolaberentur, exemplum praeberet terrificum.

## 9.

Roma, 10 . II . 1624.

*Urbanus VIII Sigismundo Regi Poloniae scribit, ut contra Pseudoepiscopos Ruthenos procedat, ne leges contra Unitos sanciant.*

<sup>37</sup> Kreusa Leo, Basilianus, Superior monasterii Vilnensis ab anno 1617; anno 1621 electus Protoarchimandrita Ordinis Basiliani, et reelectus anno 1623. De eius nominatione ad Sedem archiepiscopalem dubitant, an fuit sub fine anni 1623, an initiis anni 1624. Multum laboravit, ut Archidioecesim suam hisce turbulentis temporibus in ordinem redigeret. Mortuus est anno 1639.

<sup>38</sup> Prout aliae, etiam hae litterae transmissae fuerunt ad manus Fr. Ingoli, qui eas transcriptas misit pro instructione variis Cardinalibus, partem habentibus in Congregatione de Prop. Fide. Nam Podbereskyj et Korsak fungebantur etiam munere Procuratorum negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe. Inde litterae eis destinatae in negotiis ecclesiasticis non erant mere privatae.

<sup>39</sup> Ex contextu patet fuisse relatores Cardinalem Bandini.

<sup>40</sup> Breve scriptum fuit die 10 . II . 1624 (cfr. Nr. 18).



ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 327-328v, nr. 325. (reg. chart.).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 2193, fol. 186v-187. (reg. perg.).

KULCZYNSKI IG., *Specimen...*, p. 242-3.

THEINER, *Vet. mon. Pol. et Lit.*, vol. III, p. 371-72.

325. Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae, et Sueciae Regi Illustri.

Regem hortatur contra Pseudopatriarcham Hierosolimitanum,<sup>41</sup> caeterosque Pseudoepiscopos Ruthenos, qui contra Unitos novas leges identidem sanciant.

URBANUS PP. VIII-s. Charissime in Christo fili noster salutem.

Inimici nostri non dormiunt, et discordiarum pater zizania serit, ut in Ecclesiastica vinea pro frumento oriantur tribuli, et pro hordeo spinnae. Par est, Nos non minore diligentia venenatas stirpes evellere, et inutiles ramos amputare. Sylvescerent alioquin omnes regiones, et quae Paradisus Domini esse debent, fient paulatim seminaria venenorum, et pascua draconum. Id autem quam facile in Russia contingere possit, praesentes miseriae docent. Inde enim infensa Catholicae Religionis hostis Schismatica haeresis impiorum dogmatum monstra in finitimas provincias immittit, et nuper in Cosaccorum Concilia subdole irrepens, fortissimorum militum viribus armata propugnare audet causam Sataanae, et orthodoxae veritati excidium minitari. Exsurge Rex (327v) Turcarum cladibus, et impiorum odiis clarissime. Apprehende arma, et scutum, et si publica salus id exigit, serpentem huius pestilentiae contagionem feris etiam atque igne coerce. Quae vero a Spiritu Sancto profecta, a Romano Pontifice comprobata Unio Ruthenorum, tum insidiis, tum viribus oppugnatur, extollat tandem te defendente caput coelo gratum, sentiatque in Septentrione potentissimum Regem constitutum a Deo piaae causae defensorem. Schismaticorum sodalitia illic institui, novas leges identidem contra Unitos sanciri accepimus. Regia autoritas, quae fidei praesidium esse debet, sacrilegam hanc temeritatem infringat; et quoniam minas non nisi poenis armatas negligere solet impietas, quae coeli fulmina, et inferorum cruciatus non timet, cura, ut Pseudoepiscopi Rutheni, qui turbas movere, et in Cosaccorum Comitii dominari conantur, dignum tam audaci facinore supplicium ferant. Tum ille seditionum fax, facinorosorum dux Pseudopatriarcha Hierosolymitanus regalis irae vim experiatur, suaque calamitate (328) exterorum exterreat audaciam. Quod etsi difficile factu videatur, quid tandem non expugnabit pietas, quam coelum tueatur, et regia autoritas amet. Certe Nicephorus<sup>42</sup> ille Graecus, qui factus armiger dia-

<sup>41</sup> Videtur agitur de Theophane, Patriarcha Hierosolymitano, qui anno 1620, Kioviae, Hierarchiam schismaticam restabilivit, promotoribus Cosacis et Confraternitatibus. Hoc et sequentibus Brevibus agitur non solum de nece Josaphat, sed etiam de gravi statu Ecclesiae Ruthenae his temporibus in genere. Ex ulterioribus tamen litteris patet Brevia ista habere aliquam connexionem cum parricidio Vitebscensi: incitare debebant Gubernium Polonicum ne mortem Josaphat impunitam relinqueret.

<sup>42</sup> Nicephorus, Graecus, missus fuit a Patriarcha Constantinopolitano anno 1595-6 ut Unionem Ecclesiae Ruthenae cum Romana impediret. Fuit dux spiritualis factionis, quae Unioni Berestensi adversabatur, sicuti princeps Const. Ostrožskij erat dux eiusdem factionis saecularis. Interfuit conciliabulo Berestensi an. 1596 (octobri), in quo Unio reiecta et fautores eiusdem anathemate plecti



boli, et signifer seditionum tot contra Ruthenos Unitos procellas in istis provinciis non ita pridem, sedente Clemente VIII, excitavit, tandem deformatus aerumnis, et perpetuis vinculis mancipatus docuit non modo quam atrox, sed etiam quam misera res scelus sit. Cuiusmodi exempla si crebro schismatica temeritas intueatur, non ita animos tollet, et ultionum Dominum formidare discet. Proin rogamus Maiestatem tuam, ut causam hanc omni, quo potest, studio, atque potentia tueatur. Id autem facile incipere potest, si regali patrocínio Unitos Episcopos muniverit, iisque faciles aditus ad aulam, et consilia patere iusserit, curabitque ne Episcopalis sacerdotii dignitas in iis minore cultu, quam in caeteris Praesulibus colatur. Disserenti tam grave negotium venerabili fratri Joanni Baptistae Episcopo Nolano (328v) Nuntio nostro perinde ac Nobis credere poterit Maiestas tua, cuius perspecta pietas hoc Ruthenis periclitantibus praesidium, Nobisque moerentibus solatium pollicetur, eique Apostolicam benedictionem amantissime impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum die X Februarii MDCXXIII. Pontificatus etc. Primo.

## 10.

Roma, 10. II. 1624.

*Urbanus VIII Episcopo Vilenſi, nece S. Josaphat subsecuta, scribit, ut Ruthenos Unitos proteget.*

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 328v-329, nr. 326. (reg. chart.)  
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 187v. (reg. perg.).

326. Venerabili fratri Episcopo Vilenſi.<sup>43</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.

Multa Fraternitati tuae beneficia se debere Russia fatetur seditionum furiis agitata, sed et plura, et illustriora in posterum debere cupit. Venerum suorum medelam a Regia Maiestate, et Polono Senatu exspectat, et sperat. Quid contra Ruthenam Unionem schismatica impietas conetur, non ignoratum est Fraternitati tuae. Si haeresim formidatis (329) Cosaccorum viribus armari diutius patiemur, adveniet tempus, cum tantas miserias poterimus lamentari potius, quam propulsare. Quare causam hanc fortiter tueri sacri Antistites, et Senatores debetis. Ubi coelestis ira parvpenditur, humanis suppliciis tenor incutiendus est.

fuerunt. Sed post Synodum Berestensem, instante rege Sigismundo, dux Constantinus Nicephorum Varsaviam adduci debuit, ut se justificaret contra suspiciones se esse speculatorem Turcarum. Nicephorus in sessione Senatus sermonem habuit, sed nihil effecit et proinde in carcerem coniectus fuit, ut ad ulteriorem indagacionem reservaretur, non obstantibus tumultibus et secessionem ducis Ostrožskyj. Ut videtur, vita functus est in arce Malborg, libertate non recuperata.

<sup>43</sup> Wołowicz Eustachius. Referendarius Regni. Ex antiqua nobili familia rutheni ritus. Ex Abbate Lubicensi nominatus est Episcopus Vilenſis, ritus latini, anno 1615. Mortuus est anno 1630 (9. I.).

Pseudoepiscopis Ecclesiae eripiendae, et poenae infligendae. Unitis vero aditus ad aulas patefaciendus, et honos in publicis conventibus habendus est. Scimus quid tam gravi in negotio Fraternalitatis tuae pietas conetur. Tamen ne Te lateat quantas Pontificiae menti sollicitudines Ruthenorum calamitas faciat, volumus causam hanc accuratissime commendari Fraternalitati tuae a venerabili fratre Episcopo Nolano Nuntio nostro. Ei ergo perinde ac Nobis ipsis credere poterit Fraternalitas tua, cui Apostolicam benedictionem impartimur. Datum ut supra.

## II.

Roma, 10. II. 1624.

*Idem commendatur Episcopo Luceoriensi, eadem occasione.*

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 329-330, nr. 327. (r. chart.).  
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 188. (reg. perg.).

### 327. Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi.<sup>44</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.

Turbo, ac tempestas Russiae Pseudopatriarcha Hierosolymitanus tot in istis regionibus seditiones excitasse dicitur, ut nefas esse fere videatur diutius piam Regis, Regnique iram feriari. Conscribi Sodalitates Schismaticorum contra Ruthenos Unitos accepimus, eorumque iura novis identidem, ac pestiferis constitutionibus impugnari. Tum in Cosaccorum Comitibus venena sua palam diffundere temeraria impietas dicitur, quorum si viribus armetur, videmus quas calamitatum procellas in istas provincias evomere parent patefactae Inferi portae. Obsistendum est audacter; neque enim causam suam deseret Omnipotens. Animum ergo despondere novis difficultatibus exterriti non debetis; quinimmo cornua impietatis confringentes par est, vos in rerum discrimine invictam religiosi animi (330) altitudinem sacrilegis sceleratorum ducibus ostentare. Quid Fraternalitatis tuae autoritas conetur, non latet Pontificias aures. Ut magis magisque in dies Nos eiusmodi officiis demerearis, exigimus potius a tanto Praesule, quam postulamus. Nos certe et Catholicam fidem tuemur, et nominis tui laudibus favemus, dum te ad hanc provinciam suscipiendam excitamus. Quod dum luculentius testabitur venerabilis frater Joannes Baptista Episcopus Nolanus Nuntius Apostolicus, eius verbis eandem quam nostris fidem habere poterit Fraternalitas tua, cui Pontificiam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die X Februarii MDCXXIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

<sup>44</sup> Łubieński Stanislaus, natus an. 1573. Proveniebat ex dioecesi Cracoviensi, et obtinebat abbatiam Tynecensem. Anno 1622 nom. fuit Episcopus Luceoriensis, anno vero 1625 Vicecancellarius Regni. Postea anno 1627 translatus est ad sedem Plocensem, ubi etiam mortuus est anno 1640. Reliquit opera scripta, politica et historica.

## 12.

Roma, 10 . II . 1624.

*Idem inculcatur Episcopo Praemisliensi.*

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 330v-331, nr. 328. (r. chart.).  
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 188v. (reg. perg.).

328. Venerabili fratri Episcopo Praemisliensi.<sup>45</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.  
 Cosaccorum viribus, quas barbaria tyrannis formidat, Religionem cupimus defendi, non impietatem armari. Eorum enim gloria in pulverem converteretur, si tot militum gladii fierent arma Inferni, et seditionum faces. Id autem cum hoc tempore diligentissime curet discordiarum pater, qui in eorum consilia aditum Schismaticis Pseudoe-piscopis patefecit, exurgere debetis sacri Antistites, et gladio salutis sacrilegam hanc temeritatem exterrere. In has certe miseras Russia, finitimaeque provinciae non incidissent, si Sanctae Unionis causam impietas seditione potens impune nunquam oppugnasset. At enim quia insanabile illi ingenium esse comperimus, facultas male faciendi ipsi eripienda est. Quare non solum Ruthenis Unitis et locus in Conventibus (331) dandus, et honos habendus est, sed falsa etiam misericordiae specie abiecta Schismaticorum temeritas poenis videtur esse coërcenda. Ad id Regiam Maiestatem et Fraternitatem tuam dum hortamur, speramus brevi fore, ut innocentium calamitates oppressa isthic haereticorum temeritas consoletur. Quantum in eiusmodi negotio demereri possis Pontificiam voluntatem fuse declarabit venerabilis frater Episcopus Nolanus Nuntius noster, cui perinde ac Nobis ipsis credi volumus a Fraternitate tua, cui benedictionem Apostolicam impartimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X Februarii MDCXXIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

## 13.

Roma, 10 . II . 1624.

*Idem etiam Episcopo Chelmensi hac eadem occasione scribitur.*

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 331v-332, nr. 329. (r. chart.).  
 BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 2193, fol. 189. (reg. perg.).

<sup>45</sup> Wężyk Joannes. Natus est an. 1575. Anno 1619-1624 erat Episcopus Poremysliensis, ritus latini; inde translatus est ad sedem Posnaniensem anno 1624 (8. X). Postea nominatus est Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Poloniae ab anno 1626. Anno 1632 fuit interrex post mortem Sigismundi III. Mortuus est anno 1638.

329. Venerabili fratri Episcopo Chelmensi.<sup>46</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.

Evaginaverunt gladium in Russia peccatores. Quid schismatica temeritas conetur, moerentes audivimus. Diutius ferendum non est illic diaboli potentiam ostentari caedibus sacerdotum, et direptione templorum. Pseudoepiscopi Rutheni, quos in officio coelestis ira non continet, humanis sunt suppliciis coërcendi. Irrupisse dicuntur in Cosaccorum Concilia, atque impietatis causam, quam ratione tueri nequeant, eorum viribus armare conantur. Exurgite armaturam lucis induti Catholici Antistites. Autoritate, consilio, precibus enitimini, ne minus fortes propugnatores habere istic veritas videatur, quam impietas. Pugnate orationibus, conate eloquio, ne saltem Uniti Rutheni se in tanto rerum discrimine vestro patrocinio destitutos esse conquerantur. Quid praecipue in tam arduo (332) negotio conandum sit, exploratum est Fraternitati tuae. Porro autem mentem nostram fuse declarabit venerabilis frater Joannes Baptista Episcopus Nolanus Nuntius noster, cuius verbis fidem habere poteris. Certe Pontificiam voluntatem iis officiis, quibus Ruthenos Catholicos tueberis, mirifice sibi obstringet Fraternitas tua, cui Apostolicam benedictionem impartimur.  
Datum ut supra.

14.

Roma, 10 . II . 1624.

Urbanus VIII de eodem negotio scribit etiam Episcopo Camenecensi.

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 332iv, nr. 330. (r. chart.).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 189v. (reg. perg.).

330. Venerabili fratri Episcopo Camenecensi.<sup>47</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.

Saevire accepimus legiones Inferni in Ruthenorum regionibus. Schismatica impietas arma parare dicitur, et ut Cosaccorum militares animos in sua castra compellat, in eorum concilia dicitur irrupisse armata dolis et seditionum artifex. Desponderent animum Catholici Rutheni, quos cum Apostolica Sede orthodoxa pietas coniungit, nisi eos Regis potentia, (332v) et Praesulum autoritas consolaretur. Ne eos tantae spei unquam poeniteat, postulamus a Fraternitate tua. Enitere

<sup>46</sup> Łubiński Pomian Mathias II. Natus est anno 1572. Ab anno 1614 fuit Episcopus Camenecensis, ab anno 1620 Ep. Chelmensis, ab an. 1626 Ep. Posnaniensis, deinde ab an. 1631 Ep. Cuiaviensis et denique ab anno 1641 Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Poloniae. Interrex anno 1648, post mortem Vladislai IV. Mortuus est anno 1652.

<sup>47</sup> Nowodworski Adamus. Ab anno 1620 Ep. Camenecensis, deinde ab anno 1627 Ep. Peremyliensis, denique ab an. 1631 Ep. Posnaniensis. Mortuus est anno 1634.



cupimus in tam arduo negotio eam virtutem, quae te ad Ecclesiasticos Magistratus provexit. Non solum legibus coërcendi, sed poenis etiam plectendi Rutheni Pseudoepiscopi sunt, quos mendaciis alit, et seditio- nibus armat discordiarum pater. Quid agendum praecipue sit, neque praeterit Fraternitatem tuam, et uberius declarabitur a venerabili fra- tre Episcopo Nolano Nuntio nostro, cui credere cumulate poteris. Po- test in hac causa non leviter Pontificiam voluntatem demereri Frater- nitas tua, cui Apostolicam benedictionem impartimur, et patrocini- um nostrum pollicemur.

Datum ut supra.

## 15.

Roma, 10. II. 1624.

*De eodem negotio scribitur etiam Episcopo Kioviensi.*

ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 333rv, nr. 331. (r.chart.).

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 190. (reg. perg.).

331. Venerabili fratri Episcopo Chioviensi.<sup>48</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Venerabilis frater salutem etc.

Russiae calamitates, et Schismaticorum triumphi, qui Fraternalitati tuae tot sollicitudines conficiunt, non sinunt Nos in beatissimo hoc Aposto- licae Maiestatis solio conquiescere. Videmus quid a Nobis exigant ista- rum regionum miseriae. Eas autem parum est miserari, nisi omnino propellere conemur. Quod facile possumus, ad pias preces decurrimus, quas tamen terribilia indignantis Numinis aliquando arma fuisse no- tissime testantur impiorum clades. Tum autem Polonorum Regem Se- natumque hortamur, ut fortiter sacrilegis haereticorum conatibus ob- sistant. Qui sapientiae rationes et Dei praecepta parvipendunt, ferro egent, atque igne ut facultas saltem malefaciendi iis eripiatur, quibus voluntas immutari non potest. Pseudoepiscopi viribus spoliandi, ex Ecclesiis eiiciendi sunt, ut (333v) pestilentiae illi pabulum subtrahatur, et sibi rem esse cum armata pietate, et ultionum Domino sentiant. Ru- thenos vero Unitos, quos Pontificio patrocinio complectemur, authori- tate Regis et Senatus favore armari par est. Quanto autem studio haec Fraternalitati tuae solatia, et orthodoxae fidei praesidia quaeramus, te- stabitur luculentius venerabilis frater Joannes Baptista Episcopus No- lanus Nuntius Apostolicus. Cuius autem verbis perinde ac Nobis cre- dere poterit Fraternalitas tua, quam ad Ruthenorum salutem in illustri ista statione excubantem Apostolica benedictione munimus, et coeli patrocinio armari cupimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X Fe- bruarii MDCXXIII. Pontificatus etc. Primo.

<sup>48</sup> Radoszewski Boguslaus. Anno 1618-9 nominatus est Episcopus Kiovien- sis, ritus latini, ex abbacia S. Crucis. Deinde translatus est (1633) ad sedem Lu- ceoriensem, ubi mortuus est anno 1638.

## 16.

Roma, 10 . II . 1624.

*Castellano Cracoviensi, Georgio Zbaraski, idem negotium commendatur.*ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 334-335, nr. 332. (r. chart.).BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 190v-191. (reg. perg.).332. Dilecto filio Nobili viro Georgio Zbaraschio Castellano Cracoviensi. <sup>49</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Dilecte fili, Nobilis vir salutem etc.

Arces quas armatus hostis circumsidet, nisi militum excubiae diligenter tueantur, frustra murorum aggeres munivere. Adeo non solum armis, et propugnaculis, sed viribus etiam, animisque militaris res indiget. Non minore diligentia custodienda est domus Domini, quam coniuratae Inferni legiones noctu, dieque oppugnant. Gladio salutis armatus e loco decedere nunquam debet ordo sacerdotalis, ad quem praecipue publicae salutis tutela pertinet. Verum Senatores etiam, Ducesque auxiliariam opem afferre debent, ut coronam illam mereant aliquando, quam Religionis propugnatoribus Regum arbiter pollicetur. Id cum exploratum sit Nobilitati tuae, credimus nunquam defuturum in tua autoritate periclitanti Religioni praesidium. Nunc autem Regis (334v), Senatusque Poloni opem implorat Schismaticorum armis, insidiisque oppugnata Ruthenorum Unitorum causa. Accepimus quid haeretica impietas molitur. Quas leges publicae tranquillitati exitiosas ferre conetur. At enim Pseudoepiscopos Ruthenos avidos discordiarum, et publico bono moerentes ferendum diu non est in Cosacorum Conciliis dominari. Nempe eorum militum vires, quae barbari hostis flagella non semel fuerunt, impietatis propugnacula fierent, et Regnorum excidia. Leniter in tanto rerum discrimine agendum non est. Forti pectore et constantibus consiliis moerens Religio indiget. Proin rogamus Poloniae Regem, multosque Praesules ut poenis tandem coerceanur, qui minas eludunt, et rationes irrident. Quod poterit ad tantam rem auxilii, id si attulerit quam primum Nobilitas tua, et Dei ipsius causam tuebitur, et voluntatem Nostram mirifice sibi obstringet. Quid vero potissimum agendum sit, et tu ipse coram prospicere facile potes, et fuse nostro nomine disseret venerabilis (335) frater Joannes Baptista Episcopus Nolanus Nuntius Apostolicus. Eius ergo verbis, perinde ac nostris, credere poterit Nobilitas tua, cui benedictionem Pontificiam impartimur, et Ruthenae Unionis propugnatae gloriam addi exoptamur.

Datum ut supra.

<sup>49</sup> Frater natu maior Christophori Zbaraski. Ex antiqua familia ritus rutheni. Una cum fratre studuit extra confinia Regni; postea participabat in vita publica Regni Poloniae, in bellis, in variis legationibus. Ab anno 1620 (12. XII) Castellanus Cracoviensis et primus Senator Regni Poloniae. Mortuus est anno 1631 (12. VII) celebs et inde fuit ultimum membrum familiae Zbarascium.

## 17.

Roma, 10. II. 1624

*Idem recommendatur Christophoro Zbaraski.*ASV, *Epistolae ad Principes*, vol. 37, fol. 335rv, nr. 333. (r. chart.).BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2193, fol. 191rv. (reg. perg.).333. Dilecto filio Christophoro Zbaraschio Regis Stabuli Praefecto.<sup>50</sup>

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII-s. Dilecte fili salutem etc.

Religio Regnorum custos, et salutis parens, quam Ruthenorum Schismaticorum dogmata in istis provinciis iamdiu deformare conantur, Regis, Senatusque Poloni opem hoc tempore implorat. Quid in Russia contra Sanctam illam Unionem haeresis moliatur moerens nuper Urbs Roma audivit. Nos certe commune nationum omnium patrocinium, mandante Domino, suscipientes, sollicitis istuc cogitationibus advolamus. At enim tot miserias non modo lamentari debemus, sed etiam (335v) prohibere. Certe si Cosaccorum viribus armari scelerata ea dogmata patiamur timendum est, ne nimis serio Rempublicam capessere, et publicam causam tueri videamur. Res ipsa aspera est, neque consultationibus longis tempus eget. Vi, et poenis coercendi Pseudoepiscopi sunt, ne eas seditiones excitent, quarum postea incendio septentrionalis regio conflagret. Quid a te exspectamus facile conicere potes, cui iam exploratum est, orthodoxae fidei triumphos vera esse Romani Pontificatus decora. Exuere gladium salutis, pugna fortiter pro domo Domini, da operam, ut te tantam causam suscipiente, quae nunc Ruthenos Catholicos haeresis exterret timere serio discat, et sciat aliquando animum despondere. Flagitabit id a te nostro nomine venerabilis frater Joannes Baptista Episcopus Nolanus Nuntius Apostolicus, cuius verbis proinde ac nostris credi cupimus. Eius igitur piis conatibus suffragari poteris. Tibi autem tantam causam defendenti Apostolicam benedictionem impartimur, et Pontificium patrocinium pollicemur. Datum ut supra.

## 18.

Roma, 10. II. 1624.

*Litterae breves Urbani VIII ad Regem Poloniae, nuntio de martyrio Archiepiscopi Polocensis accepto.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 37, f. 336rv, nr. 334. (reg. chart.).BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 2193, fol. 191v-192. (reg. perg.).SUSZA J., *Cursus vitae...*, B. Josaphat Cuncevicii, ed. J. Martinov, Parisiis 1865, p. 153-4.KULCZYNSKI IG., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae* ed. J. Martinov, Parisiis 1859, p. 234-235.

<sup>50</sup> Frater natu minor Georgii Zbaraski. Filius Stephani Zbaraski, principis Russiae (+1608), qui fuit palatinus Braclaviensis ab anno 1576. Christophorus natus est anno 1580, mortuus vero anno 1627 (6. III). Ab anno 1620 in omnibus fere bellis et contentionibus, armis decernendis, participabat. Anno 1621 fungebatur legatione ad Portam Ottomanicam et sua liberalitate nec non nobilitate clarus devenit. Erat Praefectus Stabuli Regii.



Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS etc. Charissime in Christo fili noster salutem etc.

Quis dabit oculis nostris fontem lachrymarum ut Schismaticorum crudelitatem et Polocensis Archiepiscopi mortem lamentari possimus. En, quo progreditur impietatis barbaries quam non satiat innocentium fletus, nisi sacrilegam sitim expleat sanguine Sacerdotum. Sacrum Antistitem non infulis modum, sed etiam moribus venerabilem in propriis aedibus a facinoroso clerico et saeviente populo istic trucidatum esse non obscurum est divinae ultionis documentum in eos populos. O, rem visu foedam, auditu miserandam! Corpus illud quod Spiritus Sancti templum fuit ferocientium manibus per civitatis compita tractum esse accepimus et cui plaudentes Angeli credendi sunt Martyrii coronam detulisse Schismatici scelus anhelantes per summum humanae ferocitatis dedecus illuisse barbarum in morem dicantur. Nos quidem pietosam hanc mortem qua coelestis principatus haereditas aditur optimo Antistiti gratulari Ecclesiam posse censemus, at enim impunitam esse nefas est Sicariorum crudelitatem, ubi tam atrox facinus divinae ultionis flagella implorat. Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine. Ferro igitur atque igne abstinere Rex potentissime non debes. Sentiat haeresis non deesse cruentibus sceleribus supplicia. In tam detestando facinore misericordia pro saevitia est habenda. Quare moerentis Religionis lachrymas impiorum poenis consoletur. Disserenti negotium hoc Venerabili Fratri Joanni Baptistae Nuntio nostro perinde ac Nobis ipsis credere poterit Maiestas Tua, cui Apostolicam benedictionem impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X-a Februarii 1624. Pontificatus nostri anno primo. (Loco sigilli)

Joannes Ciampolus

## 19.

Byten, 11. II. 1624.

*Rutskij Card. Praefectum S. C. de Prop. Fide ulterius certiore facit de vindicta Regis in parricidas Vitebscenses sumpta, deque universali terrore Schismaticorum.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 302r.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 159.

KULCZYNSKI IC., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, ed. J. Martinov, Parisiis 1859, p. 238.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine colendissime.

Post occisum tam immani morte Archiepiscopum Polocensem nostrum, de quo alias Ill.mae ac Rev.mae D.V. fusius scripsi, Ser.mus Rex noster motus indignitate rei, ut averteret ab universo Regno iustam vindictam Dei de effuso sanguine Episcopali, misit Commissarios ad illam civitatem tanto scelere obstrictam. Qui habentes secum satis validum praesidium in equitatu et peditatu, timebatur enim periculum a Cosacis, ad quos pro patrociniis confugerat illa civitas, et promissum



ipsi est, Commissarii illi usi celeritate et dexteritate triduo iudicium et executionem peregerunt. Consules duos civitatis illius et 18 cum illis capite truncarunt, bona ipsorum fisco adiudicarunt, 100 alios circiter qui ante adventum Commissariorum in diversa profugerunt, capite dammarunt et proscripserunt, bona ipsorum itidem fisco cesserunt. Privilegia Regum Poloniae ab antiquo huic civitati data<sup>51</sup> abstulerunt, et Praetorium omnibus videntibus, et magis hoc damnum quam decollationem tot concivium suorum deflentibus, diruerunt, campanas quaecunque contra Episcopum pulsatae fuerunt ab omnibus ecclesiis etiamsi sint Unitorum abstulerunt, duas synagogas Schismaticorum disiecerunt. Ulteriores poenas arbitrio Regis reliquerunt. Magnus hinc terror invasit omnes Schismaticos, et intelligere coeperunt, quod quando Senatores iussa Regis exequi volunt, non movent illos tenores potentiae Cosacorum.

P. Adrianum Monachum Ruthenum<sup>52</sup> Collegii Graeci Alumnum quem phtysis multum, ut audimus, debilitavit, ne ab illa consummatur etiam atque etiam humillime rogo ut Collegium Graecorum ad nos quamprimum transmittat. Sumptus quoscumque impendet sancte promitto me persolutorum.

Alius etiam nomine Raphael<sup>53</sup> finivit iam theologiam. Miseram equidem duos Monachos itidem qui succederent in loca ipsorum et illi viaticum duobus illis ferebant, sed medio anno quaerentes transitum per Poloniam, Silesiam, Moraviam, Austriam propter pestem et tumultus bellicos invenire non potuerunt, et sic in decembri ad me redierunt.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. mea humillima obsequia etiam atque etiam commendo.

E monasterio Bitenensi<sup>54</sup> 11 Februarii 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus et indignus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae (mp).

## 20.

Varsavia, 22. II. 1624.

*Nuntius Varsaviensis S. Sedi refert homicidas Vitebscenses punitos esse, et quibus poenis. Item certiore facit Card. Secretarium Alumnos Ruthenos Coll. Graecorum de Urbe debere praesentare relationem de morte Archiepiscopi Polocensis.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6583, fol. 141, 141a. (orig.).

Ill.mo e Rev.mo Signore. Patron Col.mo.

Diedi parte a V. S. Ill.ma con un'altra mia delli 7 di Dicembre passato, che l'Arcivescovo di Polozca Rutheno Unito era stato ammazzato

<sup>51</sup> Civitati concessum erat a regibus Poloniae ius Magdeburgense, quod ius hac occasione ablatum fuit et civitas denuo administrationi regiae ordinariae subiecta est.

<sup>52</sup> Adrianus Podbereskyj mortuus est hoc anno, iter in patriam faciens. Ex Collegio Graecorum discessit die 24. VIII. 1624.

<sup>53</sup> Raphael Korsak e Collegio Graecorum discessit die 28. XII. 1624.

<sup>54</sup> Monasterium Bytenense fundatum fuit a familia Tryzna.

crudelmente da Scismatici di Vitebsco, e che venendo la sua morte sentita da S. Maestà con quel senso, che conveniva, si apparecchiava di mandar Commisarii per castigar severamente i delinquenti. Ora havendo havuto effetto detta Commissione, intendo che due principali cittadini di Vitebsco, che furono autori di sommergere nel fiume Duna il corpo dell'Arcivescovo dopo esser state loro tagliate le mani nel luogo del delitto, sono stati smembrati in quattro parti; a sedici altri colpevoli è stata tagliata la testa; sessanta altri fuggiti sono stati condannati nella stessa pena, con la confiscatione de beni, e proscritti. Alla Città sono stati levati tutti i privilegi, e tolte le campane, ch'appresso i Rutheni sono in gran stima. Questa dimostrazione darà senza dubio spirito all'Unione, e la farà rispettare. Il metropolita Chioviense mi ha mandata una minuta relatione della morte del sudetto Arcivescovo,<sup>55</sup> che dovrà esser resa a V. S. Ill.ma da alcuni alunni del Collegio Greco, a' quali da esso viene inviata et io a V. S. Ill.ma faccio humilissima riverenza.

Di Varsavia li 22 febr. 1622 (= 4).

Di V. S. Ill.ma e Rev.ma humilissimo et obligatissimo servitore  
Gio. Baptista Lancelotto Vescovo di Nola (*mp*).

*fol 141 a: Nota Secretarii:*<sup>56</sup>

Mons. Nuntio di Polonia.

22 febr. 1624, ricevuta a X d'aprile.

Ch'erano stati gastigati i scismatici di Vitebsco per l'homicidio dell'Arcivescovo Ruteno, essendone stati squadrati due, decapitati 16, e condannati nell'istessa pena 60 fuggiti, con la confiscatione de beni.

Che gli alunni del Collegio Greco doveranno dar una minuta relatione della morte di detto Arcivescovo fatta dal Metropolita Chioviense.

Che si come l'impietà più che barbara usata nella persona dell'Arcivescovo Ruteno ed dargli morte attristo sopra modo l'anima della Santità di N. S. così hora l'ha consolato la pietà veramente heroica e christiana del Re che di così scelerato misfatto ha preso quella vendetta di giustitia che conveniva. Etc.

R. a 13. - Breve.

## 21.

Vilna, 3. III. 1624.

*Epistula P. Nicephori OSBM de variis negotiis; mentionem facit de successore in Archiepiscopatu Polocensi, post martyrium S. Josaphat. Ad Alumnos Collegii Graecorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali.* vol. 337, fol. 307, 312.

Ex literis P. Nicephori<sup>57</sup> Ordinis S. Basilii de dato

<sup>56</sup> Agitur de « relatione », de qua sub Nr. 3 (cfr. nota 12, p. 8).

<sup>57</sup> Nota Secretarii Fr. Ingoli; agitur de receptione litterarum et de textu responsionis ad epistolam Nuntii.

<sup>57</sup> Videtur agitur de Nicephoro Zareski. De illo talis habetur notitia in Chro-

Vilnae in Lituania Martii 7, 1624.

P. Joannem<sup>58</sup> noster missus fuerat Ill.mus Metropolita... re adhuc infecta ad nos rediit, quaeque inter illum et Antagonistas suos intervenere Ill.mo Metropolitae retulit.

Erant vero simul praesentes omnes nostri Episcopi Catholici, qui ad consecrationem successoris B. Patris nostri Josaphat pro Episcopatu Polocensi,<sup>59</sup> et alterius pro Episcopatu Pinscensi,<sup>60</sup> Novogrodecum convenirent. Hoc itaque audito ibidem rei diligentius examinandae seriam naverunt operam, iusteque sibi et suae Ecclesiae timentes, modum illum suspectum esse iudicarunt...

Dum has scribo, literae pervenerunt ad nos scriptae ab ipso Polocensi, in locum S. Martyris subrogato, Archiepiscopo, a Rev.mo Antonio Sielava, in quibus significat se 14 februarii proxime elapsi Archiepiscopatus sui possessionem accepisse, atque urbem Polocensem, praeter omnes civitatis Ordines sibi extra civitatem occurrentes, maximo quoque cum Nobilium et ipsius Palatini Polocensis comitatu, ingressum fuisse. Dominus benedicat introitum eius et exitum eius... (*sine fine*)

*Nota Secretarii, fol. 312v:*

Litterae ex Russia scriptae ad Ruthenos<sup>61</sup> Collegii Graecorum Alumnos. Die 7 Martii 1624.

## 22.

Roma, 26. III. 1624.

*Referuntur in Congregatione de Prop. Fide litterae alicuius P. Michaelis Gutkiewicz, S. J., de duobus miraculis Servi Dei Josaphat.*

APF, *Acta*, vol. 3, fol. 97rv, n. 9.

1624, martii 26.

Ex literis Patris Michaëlis Gutkiewicz Societatis Jesu datis Vilnae die 7 Januarii praesentis anni duo prodigia, seu miracula sacrae Congregationi significari, quorum alterum est, quod corpus Archiepiscopi Polocensis Rutheni Uniti, a Schismaticis interfecti, proiectum in flumen Dunam, ut supra dictum est, fuit inventum inditio columnae lucidae quae per quinque dies supra locum, ubi erat sanctum corpus constiterat; alterum est, quod puer biennis, qui nunquam antea locutus fuerat,

nica Coll. Graecorum: « 240. P. Niceforo Zareschi, Ruteno si parti theologo, et hora con mirabile sodisfattione serve al suo monastero con opinione di santità ». (fol. 43).

<sup>58</sup> Fortasse agitur de hac eadem persona, de qua in Chronica Collegii Graecorum de Urbe: « 176. Giovanni Suischi, Ruteno, fu d'indole ottima. Studiò filosofia, dopo la quale parti richiesto dai parenti, essendo andato al paese, vive catholicamente, essendo stato in Collegio sette anni » (fol. 36); ut videtur inter annum 1600 et 1610. Fortasse hic idem postea ingressus est in Ordinem Basiliano-rum et hoc anno fungebatur hac legatione.

<sup>59</sup> Successit P. Antonius (Anastasius) Sielawa, a, 1624-1655.

<sup>60</sup> Nominatus fuit Gregorius Michałowicz, cum tit. Ep. Turoviensis, prout coadiutor Episcopi Pinscensis Paisii.

<sup>61</sup> Alumni tunc temporis erant adhuc Podbereskyj et Korsak, quia Podbereskyj discessit 24. VIII, et Korsak 28. XII. 1624.

nec postea locutus est, eadem fere hora, qua Archiepiscopus interfectus fuit, haec verba protulit: ecce nunc perimitur is, qui Vitepscensem ecclesiam fundavit.

## 23.

Varsavia, 9 . IV . 1624.

*Nuntius S. Sedem certiore[m] facit, 10 Brevia Apostolica, in occasione mortis Archiepiscopi Polocensis transmissa, perdidisse suam significationem, quia venerunt post Dietam Regni. Gratias agit pro Brevis Reginae Poloniae destinato.*

BIBL. VAT., Barb. lat., v. 6583, fol. 154r, 162v. (orig.).

Ill.mo e Rev.mo Signore. Patron Col.mo.

Mentre spedivo le lettere è sopraggiunto un'altr'ordinario con lettere di V. S. Ill.ma delli X e 17 Febraro e congiunti Brevi per il caso dell'Arcivescovo Polocense,<sup>62</sup> li quali essendo giunti fuor di Dieta, con esser seguita conveniente dimostrazione contro gli autori della morte dello stesso Arcivescovo, come hò scritto, non hò giudicati necessarii. Ringratiai a suo tempo S. Maestà per l'effetto della Commissione, come anco il Palatino di Vilna, ch'essendo stato principal Commissario in detta causa, se ne passò poi con occasione della Dieta a questa Città. Accuso giuntamente la ricevuta d'un altro Breve diretto alla Ser.ma Regina<sup>63</sup> con alcune concessioni per li Ser.mi Principi suoi figliuoli, e faccio a V. S. Ill.ma humilissima riverenza.

Di Varsavia li 9 d'Aprile 1624.

Di V.S. Ill.ma e Rev.ma humilissimo et obligatissimo servitore.

Gio. Baptista Lancelotto Vescovo di Nola (mp).

*fol. 162v: Nota Secretarii:*

Varsavia 9 Aprile 1624, ricevuta 15 di Maggio.

Mons. Nuntio di Polonia.

Accusa la ricevuta delle lettere de' X e 17 di febr. col Breve alla Regina e le concessioni per i principi figliuoli. Dice ancora d'haver havuto i Brevi per il caso dell'Arcivescovo Polocense, ma non li giudicava necessari, essendo giunti in tempo fuori Dieta, et essendo seguito il castigo de delinquenti, di che haveva già ringraziato il Re.

R. a 19.

<sup>62</sup> Agitur de Brevis de data 10 . II . 1624 (sub Nr. 9-18).

<sup>63</sup> Regina Constantia, filia Archiducis Caroli Austriae. Nata est 24 . XII . 1588. Regina Poloniae ab anno 1605 (11 . XII), obiit an. 1631 (12 . VII). Habuit quatuor filios et unam filiam: Joannem-Casimirum (postea rex Poloniae, 1648-1668), Joannem-Olbrachtum, Carolum-Ferdinandum, Alexandrum-Carolum, et filiam Annam-Catharinam.



## 24.

Roma, 13 . IV . 1624.

*Nuntio de castigatione parricidarum Vitebscensium recepto, exprimitur spes bonorum effectuum pro Unione.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 6226, fol. 20v-21r.  
ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 174a, fol. 21.

Fù così grave il delitto della morte dell'Arcivescovo Polocense Ru-teno che niente minor castigo richiedeva di quello che il Rè pie, et heroicamente ha fatto dare a colpevoli. E se ne risulterà quel beneficio all'Unione, che V. S. spera riconosceranno in questo ancora la divina provvidenza, che sola sà far uscire il bene dalle viscere del male. Io vedrò attentamente la relatione accurata della morte dello stesso Arcivescovo, se me la daranno gli Alunni del Collegio Greco secondo l'avviso di V. S., alla quale prego dal Signore ogni vero bene.<sup>64</sup>

Roma 13 Aprile 1624.

## 25.

Roma, 17 . IV . 1624.

*In C. de Propaganda Fide relatae fuerunt litterae Nuntii Poloniae de punitione civium Vitebscensium propter interfectionem crudelem Archiepiscopi Polocensis Josaphat.*

APF, *Acta*, vol 3, fol. 102r, n. 20.

1624, aprilis 17.

Recitatae sunt litterae Nuntii Poloniae<sup>65</sup> in quibus continebatur supplicium, quod iustissime Rex Poloniae de interfectoribus Josaphat Archiepiscopi Polocensis uniti sumpsit; illud autem fuit quod duo cives Vitepscenses, qui ut corpus Archiepiscopi in flumen Dunam mergeretur auctores extiterunt, post abscissas eis manus in loco delicti in quatuor partes secti sunt, sexdecim ex complicibus capita amputata, aliique sexaginta, qui fugam arripere, eadem poena damnati, et bonis fisco applicatis proscripti fuerunt; Urbs Vitepscensis privata fuit ministeriis et campanis, quod hae plurimi a Ruthenis aestimentur. SS.mus autem et Patres his auditis magna laetitia repleti sunt, iusseruntque gratias Regi Poloniae quam maximas, et per Breve nomine SS.mi,<sup>66</sup> et per litteras nomine Congregationis agi;<sup>67</sup> Nam hoc supplicio Schismaticorum audaciam in Ruthenos unitos satis reprimi posse arbitrati sunt.

<sup>64</sup> Agitur de « relatione » sub Nr. 3 (cfr. p. 8). Haec relatio tunc temporis erat iam, probabiliter, Romae, sed ab Alumnis in linguam latinam vertebatur et transcribatur, prout patet ex scriptura exemplaris Archivi S. C. de Prop. Fide.

<sup>65</sup> De data 22 . II . 1624. (cfr. sub Nr. 20).

<sup>66</sup> Breve ad Regem Poloniae datum die 11 . V . 1624 (Nr. 34).

<sup>67</sup> Epistula S. Congregationis die 20 . IV . 1624 (cfr. Nr. 26).

26.

Roma, 20 . IV . 1624.

*S. C. de Prop. Fide exprimit suum et Suae Sanctitatis dolorem de occasione Josaphat Kuncewycz; mittitur Breve gratiarum actionis pro Rege.*

APF, *Lettere volgari*, vol. 3, fol. 86rv.  
KULCZYNSKI IG., *Specimen...*, p. 239.

Al Nuntio di Polonia.

Il risentimento non men giusto, che rigoroso, fatto da cotesto piissimo Re contro quegli scismatici, ch'uccisero il buon'Arcivescovo Polocense, è stato successo sommamente caro à N. Signore, et à questa S. C. de Prop. Fide, nella quale essendosi lecta la lettera di V. S. dei 22 di febrarò, S. B. ne col testimonio delle lagrime hà dimostrato il particolar sentimento dell'avegezza che hor sentirà e per maggior espressione dell'animo suo hà ordinato che con un Breve<sup>68</sup> si ringratii Sua Maestà, colla quale anche la Congregatione vuol, che V. S. faccia il medesimo ufficio à suo nome con quella vivezza d'affetto, e di spirito, che si conviene in fatto tanto pio, e tanto giusto.<sup>69</sup> Piacesse à Dio, che questo miserabile esempio desse lucè à quella cieca gente per conoscere il vero sentiero della salute, e mettesse loro in pensiero di cosi sepelir nell'inferno l'errore di cuori, come nascosero quello delle mani nel fiume Duna. Si manda à V. S. duplicato della lettera scrittale sotto Papa Gregorio di s. m. in materia del Collegio de Rutheni; conforme a detta lettera piglierà le debite informazioni, e ne darà avviso alla S. Congregatione, et in particolare usi diligenza per intender se si potesse à detto Collegio applicar qualche beneficio latino.

Con che me le offero etc.

Roma, 20 Aprile 1624.

27.

Roma, 30 . IV . 1624.

*Relata in Congregatione de Prop. Fide morte Archiep. Polocensis statutum fuit, ut Litterae Remissoriales pro processu super vita et morte Servi Dei Josaphat conficiendo a S. C. Rituum dari procurentur.*

APF, *Acta*, vol. 3, fol. 105rv, n. 6.  
HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, N. 6 (1923), p. 312. n. 1.

1624, aprilis 30.

Cum vitam sanctissimam, et mortem acerbissimam R. P. M. Josaphat Archiepiscopi Polocensis ob defensionem Primatus Ecclesiae Romanae a Schismaticis interfecti, per manus transmissas legissent<sup>70</sup>

<sup>68</sup> Breve, datum die 11 . V . 1624 (cfr. Nr. 34).

<sup>69</sup> Epistula die 14 . V . 1624 (cfr. Nr. 35).

<sup>70</sup> Agitur de « relatione » Josephi Velamin Rutskyj (cfr. Nr. 3, p. 8).

Patres, placuit omnibus, ut a SS.mo Breve peteretur, quo Nuntio Poloniae committeretur, ut per se vel alios ab eo deputandos processum de vita, et morte, et causa mortis praedicti Archiepiscopi iuxta instructionem cum Brevi mittendam conficeret, Romamque in authentica forma transmitteret, ne res tanti momenti ab universa Ecclesia ignoraretur, et memoria tanti viri imitatione dignissimi temporum iniuria, oblivioneque periret<sup>71</sup>.

Idem Decretum factum fuit pro Fratre Fideli<sup>72</sup> Sigmaringano Capuccino, qui Veldkirchii Guardianus, et Missionarius in Rhaetia existens ab Haereticis Petragoriensibus interfectus fuit die 24 aprilis anni praeteriti, et iam miraculis apud illas gentes claret, hac sola inter praesens et praecedens Decretum intercedente differentia, quod Breve pro Patre Fideli dirigendum est ad Nuntium Helveticum, in cuius Nuntiatura dictus Frater occisus fuit.

Cum autem Brevia praefata petissem a SS.mo die 5 Maii seq. Sanctitas Sua Decreta Congregationis confirmans mandavit Brevia per Rev.mum Vulpium expediti.

## 28.

Roma, 4. V. 1624.

*A S. C. de Prop. Fide Nuntio Varsaviensi mittitur Breve et instructio pro confectione processus de vita et morte Servi Dei Josaphat, nec non copia « vitae » Josaphat, facta ex manuscripto transmissa per Metropolitam Kioviensem.*

APF, *Lettere volgari*, vol. 3, fol. 92rv.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 335.

A Mons. Nuntio in Polonia.

D'ordine di questa Sacra Congregatione de Propaganda Fide mando à V. S. un Breve<sup>73</sup> di N. Signore con facultà di subdelegare, e coll'Istruzione necessaria,<sup>74</sup> acciocchè si faccia il processo della vita, e

<sup>71</sup> Breve hoc, videtur, nunquam fuisse expeditum, quia tota res ad S. C. Rituum devoluta est, ubi litterae remissoriales pro processu Apostolica auctoritate faciendo longum per tempus praeparabantur, et tandem mense septembri anno 1625 expeditae fuerunt.

<sup>72</sup> P. Fidelis a Sigmaringa, Sacerdos Ordinis Minorum Capuccinorum. Misus fuit in Rhaetiam ad praedicandum, sed ab haereticis occisus est pro fide catholica anno 1623. Benedictus XIV eum catalogo Sanctorum Martyrum adscripsit.

<sup>73</sup> Breve hoc non invenitur in Registris Vaticanis. Ex tenore tamen epistulae videtur fuisse transmissum. E contra, ex epistula S. C. de Prop. Fide, ad Metropolitam Kioviensem data, videtur non fuisse transmissum (cfr. sub Nr. 31). Item litterae remissoriales S. C. Rituum exaratae fuerunt solummodo ex « relatione » Metropolitae Rutskyj (cfr. Nr. 3, p. 8), non vero ex aliquo processu a Nuntio Apostolico fabricato. Etiam ipse Nuntius Apostolicus, Joan. Bapt. Lancelotti, in Processu Romano (anno 1632) examinatus, pauca tantummodo de S. Josaphat referre potuit.

<sup>74</sup> In volumine « instructionum S. C. de Propaganda Fide » (v. I: 1623-1638) inveni aliquam instructionem de processibus faciendis super vita et miraculis, quae invenitur sub Nr. 30 (p. 41). Nobis videtur hanc « instructionem » procuratam fuisse a S. C. de Prop. Fide pro nostro casu.

morte dell'Arcivescovo Polocense Unito, et in specie della cagione per la quale è stato ammazzato da Scismatici per mandarlo poi autentico allà Santità Sua, alla quale quanto prima può mandare un'immagine di detto Arcivescovo, essendo paruto bene alla Congregazione di non lasciar questo fatto sepolto nell'oblivione, che per le circostanze, e qualità, che l'accompagnano merita d'esser palesato à tutta la Chiesa. Mando anche à V. S. una copia della vita di detto Arcivescovo, inviata quà dal Metropolitano di Russia<sup>75</sup> per sua instruzione, e di chi farà il processo, e per fine me le offero di tutto cuore.

Roma, 4 Maggio 1624.

## 29.

Roma, V. 1624.

*Breve, de quo S. C. de Prop. Fide in litteris de data 4. V. 1624 (nr. 28), non inveni in registris Brevium Pontificiorum. Sed, mea sententia, Breve hoc nunquam fuit scriptum nec transmissum Varsaviam. Nam hac eadem die 4 Maii idem D. Secretarius ad Metropolitanam Kioviensem scribens de Brevis hoc tanquam in futuro procurando agit: « Quodsi obtinuerimus, prout speramus, Amplitudinem Tuam et Coepiscopos tuos certiores faciemus... » (cfr. nr. 31).*

*Et sub die 31. V. 1624 (nr. 37) agitur in S. Congregatione de Prop. Fide de signatione supplicationis « pro conficiendis processibus super vita, morte et miraculis p. m. Josaphat Archiepiscopi Polocensis... » quam Pontifex: « statim cum offerentur, signare promisit » (nr. 37).*

*Videtur modus procedendi in causa Josaphat Kuncewitii mutatus fuit et fabricatio processus auctoritate apostolica facienda inde prae-parabatur per litteras remissoriales de data 25. IX. 1625, quae executioni mandatae fuerunt die 20. III. 1628 in civitate Polocensi et Vitebscensi.*

## 30.

Roma, 1624-1625.

*Instructio, quam mittebat S. C. de Prop. Fide dum agebatur de processibus Apostolica auctoritate fabricandis in regionibus a S. C. de Prop. Fide dependentibus.*

APF, Istruzioni diverse degli anni 1623-1638 v. 1, fol 197-198.

Instructio pro Miraculis legitime probandis.<sup>76</sup> (f. 197).

1. Si procedatur ex officio, exprimat, qua auctoritate an ordinaria, an vero delegata, an utraque simul procedatur.
2. Si ad instantiam alicuius idem fiat, ut provideatur in primis, ut mandatum legitimum ab instante exhibeatur si non fuerit Principalis.
3. Semper scribatur in actis locus, et locus loci, in quo Iudex sedens pro Tribunali vult facere processum, et semper sit vel ecclesia, aut ora-

<sup>75</sup> Videtur, quod agitur de hac eadem instructione, de qua in litteris sub Nr. 28 (p. 40).



torium, aut locus pius, seu religiosus, nisi occasione examinandorum infirmorum prophanus locus statuendus sit, quod debet exprimi.

4. Notarius publicus apostolicus, seu ecclesiasticus a Iudice deputetur, qui coram eo, et in manibus eius solitum praestet iuramentum de fideliter exercendo officium scribae, seu Notarii ipsique Iudici danda est facultas talem faciendi deputationem.

5. Testibus dandum est ab eodem Iudice iuramentum de veritate dicenda super iis super quibus examinabuntur, et primo iuxta interrogatoria, et deinde super articulis, et positionibus, quae de miraculo dabuntur, aut fient, si ex officio procedatur.

6. Testes super istis articulis sive positionibus non debent deponere relative ad aliam eorum depositionem factam super interrogatoriis, vel ad scripturam ipsis forte lectam, vel ostensam, sed per extensum de verbo ad verbum, ita ut sit nova depositio.

7. Attestationes, dicta, depositiones, nec non litterae, scripturae, iuraque coram Iudice exhibenda, et ab eo compulsanda, actaque, citationes, et actitata quaecunque fideliter transumenda sunt de eius mandato, et deinde claudenda, sigilloque illius munienda, et transmittenda cum litteris ipsius, in quibus signentur, quanta fides sit (f. 197v) praefatis attestationibus etc. adhibenda.

8. Danda est facultas Iudici, ut possit deputare Nuntium, seu Nuntios, qui citationes faciant, mandata, Decretaque exequantur. Item ut possit per censuras etc., ac remedia, iuris et facti, etiam appellatione remota, cogere testes, ut se subiiciant examini, et Notarios, et Archivistas, ut exhibeant industria scripturas, et iura quaecunque ad negotium, et causam pertinentia.

#### De Interrogatoriis faciendis super testium requisitis.

1. Exhibito testi iuramento quod tactis scripturis, vel si fuerit sacerdos tacto pectore prestabit, et Notarius actum hunc scribet per extensum, videlicet qui testis tactis, vel tacto ut... iuravit, moneatur quilibet testis de gravitate periurii.

2. Interrogetur de nomine cognomine, patria, aetate, parentibus et exercitio, et an sit dives, vel pauper, et cuius expensis vivat.

3. An sit confessus peccata sua sacerdoti, et sacram sumpserit Eucharistiam hoc anno, tempore Paschatis, et a quo sacerdote, in qua ecclesia, et quibus praesentibus.

4. An fuerit ipse testis unquam de aliquo crimine accusatus, inquisitus, vel processatus, et de quo, et coram quo Iudice, et an fuerit condemnatus vel absolutus, vel adhuc pendeat processus.

5. An unquam fuerit nominatus, seu publicatus, vel denunciatus, excommunicatus, et ex qua causa, et an etiam adhuc excommunicatus permaneat.

6. An unquam fuerit ab aliquo instructus quomodo debeat deponere, et super quo, et a quo id factum fuerit, et an fuerit ei aliquid datum, promissum, vel remissum, et an ex suo examine speret aliquid commodum, et quale.

7. Interrogatur quomodo huc accesserit ad se subiiciendum examini; an vocatus, vel requisitus, an vero ex se, et si dixerit se vocatum,

dicat a quo, et quibus verbis, si ex se: dicat qua de causa motus, ne mine vocante vel requirente, venerit.

8. Item advertat Iudex, ut quando ad specialia descendet interrogatoria, et in qualibet interrogatione semper interroget testes de contestibus, de loco, loco loci, tempore, et aliis circumstantiis ex quibus certius veritas lucere possit.

Si de auditu deponant, curet, ut dicant a quibus, in quo loco et quibus praesentibus, et de quo tempore.

Si de publica voce, et fama deponant, interrogentur si est communis, ita ut nemo contradiceret (197) et quid intellegant pro publica voce, et fama.

Si testes fuerint alias examinati vel subscripserint aliquam testificationem seu fidem, faciat illos deponere per extensum, tum autem relationem aut aliud examen, testificationem vel fidem; nec permittat examen prius, vel testificationem seu fidem eidem testi praelegi.

9. Iudex recipiat depositiones per se ipsum, nec alium deleget ad eas suscipiendas etiam post praestitum coram se iuramentum, nisi testes fuerint absentes, et non facie, et sine magnis expensis evocari possint; tunc enim ordinariis locorum vel parochis, vel aliquibus personis gravibus, in eorum defectu, poterit examen subdelegare ecclesiasticis per litteras remissoriales, cum interrogatoriis, et mandato ut processum clausum, et sigillis munitum ad se transmittant.

10. Et ultimo advertat Iudex, ut prius super interrogatoriis testes examinet, et deinde super capitulis, nec super illis admittat depositiones relativas ad deposita super interrogatoriis, sed faciat rursus testes per extensum suam facere etiam super capitulis depositionem.

#### De Interrogatoriis super Miraculis.

1. Interrogentur de contentis in articulis, qui fient super miraculo, eiusque circumstantiis.

2. De causa scientiae, de loco, et loco loci, de tempore, et de contestibus.

3. De causa, et ratione propter quam concludat illud fuisse miraculum.

4. An illa sanatio, exempli gratia, vel curatio aut aliud, de quo deponut, potuerit vel possit tribui remediis, medicamentis, et operibus humanis vel naturalibus vel potius illorum vires excesserit, vel supra rationem et facultatem emanaverit.

5. Quas circumstantias, et causas adducant, per quas concludant talem sanationem, et curationem tribuendam esse divinae gratiae vel meritis, et intercessioni B. Virg. aut Servi Dei N. aut S. N.

6. An intercessio apud Deum fuerit prius, et in ipso actu divinum auxilium imploratum.

7. An orationes, et praeces praecesserint, et quomodo ea sciant, locum, tempus, et contestes exprimendo.

8. An res aliter se habere possit, quam ipsi testes credant, et deponunt. In reliquis supplere poterit, et debet diligentia examinatoris.

2-a. Instructio pro miraculis legitime probandis. (f. 198v).

Expectantur instructionem faciendam per S. Congregationem Ri-

tuum. HOSTIER, in c. 1. de *Relig. et veneratione Sanctorum*, ponit modum conficiendi processum super canonizatione.

### 31.

Roma, 4. V. 1624.

*S. C. de Prop. Fide Metrop. Kioviensem certiozem facit de suo dolore ob mortem Servi Dei Josaphat et sollicitudinem suam de processu conficiendo promittit.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, f. 40v.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 162.

KULCZYNSKI I., *Specimen...*, p. 241.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, N. 6 (1923), p. 312.

Archiepiscopo Chioviensi totius Russiae Metropolitae.

Vitam sanctissimam, mortemque acerbissimam <sup>76</sup> b. m. Josaphat Archiepiscopi Polocensis, quam Rutheni Alumni Amplitudinis Tuae et Coepiscoporum Tuorum nomine Sacrae de Propaganda Fide Congregationi exhibuerunt non sine lachrymis, et laetitiae, et doloris perlegimus et quia causam mortis viri illius considerantes facile cognovimus rem hanc non esse silentio praetereundam, censuimus legitimum de ea iuxta S.R.E. consuetudinem, ac morem instituendum esse processum, ut factum aeterna memoria, et immortalis gloria dignissimum non solum toti Ecclesiae Catholicae innotescat, sed etiam ut illustris martyrii exemplum, quod imitari possit, eidem proponatur. Quamobrem una fuit omnium Patrum sententia, ut Breve a SS.mo D. N. ad Nuntium Poloniae petatur, quo ei processum iuxta formam praescribendam de vita, moribus, ac morte, mortisque praefati Archiepiscopi causa conficiendi facultas concedatur; quod si obtinuerimus,<sup>77</sup> prout speramus, Amplitudinem Tuam, et Coepiscopus Tuos certiores faciemus, ut Nuntio praefato, quae ad processum instruendum necessaria erunt, suppeditare possitis. Valet, et nos diligite, Deumque pro nobis orate, quod pro vestra incolumitate, et salute nos quoque facturos esse pollicemur.

Romae die 4 Maii 1624.

### 32.

Roma, 4. V. 1624.

*S. C. de Prop. Fide Episcopis Ruthenis rescribendo, eos solari contendit, suam benevolentiam immutatam affirmando et sollicitudinem suam de Seminario in Russia erigendo ostendit.*

APF, *Lettere latine della S. Congregazione*, v. 1, f. 41v.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 158.

KULCZYNSKI I., *Specimen...*, p. 237.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, N. 6, (1923), p. 315.

<sup>76</sup> Alluditur ad « relationem » Josephi Velamin Rutskyj (cfr. Nr. 3).

<sup>77</sup> Ex verbis praecedentibus, quia agitur de futuro, dubitandum est de Brevis et Instructione, de qua agitur in litteris ad Nuntium Poloniae datis, pro conficiendo processu super vita et morte S. Josaphat (cfr. Nr. 28). Et postea non iam agitur de hoc negotio cum Metropolita Kioviensi, prout hic scriptum est.



Archiepiscopo Chioviensi.

Litteras <sup>78</sup> Amplitudinis Tuae et Coepiscoporum Tuorum unitorum summa cum laetitia legimus; ex iis enim et grati animi Vestri erga Sacram hanc de Propaganda Fide Congregationem firmissimum testimonium magnitudinemque ac robur ad quaecumque terribilia pro defensione primatus sacrosanctae Romanae Ecclesiae perferenda non solum cognovimus, sed oculis ipsis perspeximus.

De nostra autem in Vos et Unionem Vestram in futurum benevolentia nostrisque erga res Vestras studiis, sive illa ad honorem et dignitatem Vestram sustinendam et amplificandam sive ad Vestrarum Ecclesiarum regimen fulciendum ac iuvandum pertineant, dubitare non debetis; nam semper tam apud summum Ecclesiae Catholicae praesulem quam apud Serenum Poloniae Regem desideria et postulationes Vestras totis viribus promovebimus.

De collegio in Russia ad institutionem operariorum pro Ruthena Ecclesia erigendo duplicatas Nuntio Poloniae literas dedimus, et cum eius responsum acceperimus, serio de huiusmodi re tractabimus et, si fieri poterit, ut desiderio Vestro omnino fiat satis curabimus. Scribimus etiam de eodem negotio episcopo Vlnensi, Unionis prout saepe intelleximus amicissimo, eo quod speramus (illum) potentia et auctoritate sua plurimum auxilii esse erectioni collegii allaturum.

Valete et pro Sacra Congregatione Deum, qui solus potest eius progressus feliciores efficere, sine intermissione orate.

Romae, die 4 maii 1624.

33.

Vilna, 6. V. 1624.

*Litterae Metropolitanae Rutskyj ad Alumnos Collegii Graecorum (excerptum).*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Generali*, vol. 337, fol. 308rv (copia).

Significo vobis quod nondum significare volebam, sicuti enim ista peraguntur hic. Sanguis martyris nostri operari coepit in adamantinis cordibus Schismaticorum et molescere incipiant.<sup>79</sup> (*Agitur de proposito unionis civium Vlnensium, nec non de intenta legatione Episcoporum Schismaticorum, cum quibus Metropolita debuit tractare de Unione*). Si per hanc viam unio concluderetur apertissimo miraculo (nulla enim humana praecessit dispositio) tribuendum erit..

S. Pater noster Josaphat sicut ferventer operabatur in terris ita videmus potenter operari incipit in coelis. Ex parte nostra tantum timeamus, ut digni simus et demeritis nostris non avertemus misericordiam Dei, quam abundanter effundere parat in agrum nostrum sterilem. Ipsi laus et honor, nobis autem confusio.

<sup>78</sup> Fortasse agitur de epistula de data 30. I. 1624. (cfr. Nr. 5, p. 19).

<sup>79</sup> Agitur probabiliter de negotio, de quo scripsit Alumnus P. Nicephorus die 2 Martii 1627 (cfr. Nr. 21, p. 35).



Desideremus vehementer, si Sua Sanctitas declararet ipsum esse Martyrem, prouti S. Stanislaus<sup>80</sup> declaratus fuit Martyr et a Catholico Rege ac proinde non pro fide occisus sit. Iste autem noster Martyr pro Fide Catholica pure occubuit et pro S. R. E. confessione omnium Schismaticorum, qui fatentur se cum hoc motivo occidisse. Orate Omnipotentem Deum ad corpora SS. Apostolorum; obeat alteruter<sup>81</sup> Vestrum, qui valentior est. septem Urbis ecclesias, commendent Domino Deo hoc et alia similia nostra negotia etc. (*deest finis*).

### 34.

Roma, 11. V. 1624.

*Urbanus VIII Regi Poloniae gratias agit pro punitione parricidarum Vitebscensium.*

ASV, *Ep. ad Principes*, v. 38, f. 125rv.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 161.

KULCZYNSKI IGN., *Specimen...*, p. 240.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, v. III, p. 372.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS etc. Charissime in Christo fili noster salutem etc.<sup>82</sup>

Mallemus equidem rationibus quam vulneribus medicabilia esse haereticorum ingenia; charitatem enim nostram delectare magis gladius vagina tectus, quam infectus sanguine. Tamen insanabilia membra ferro indigent, ne pestilentium partium contagione uniuersum corpus contubescat. Hinc par est, Curatores publicae salutis non semper clementiae reminisci, sed etiam aliquando severitatis. Impiorum enim supplicia exterrent eorum audaciam qui iniquitatem sicut aquam bibunt, nec tantum praeda quantum scelere delectantur. In eiusmodi verbis agnoscere potes laudes Maiestatis Tuae cuius iram ac iustitiam experti nuper sunt immanes Polocensis Archiepiscopi interfectores. Vitepscum enim, quod facinoris tam execrandi exemplum praebuit, dicitur nunc documentum esse Divinae ultionis et Regiae pietatis. Qui enim civitatis illius scelus commemorabit conqueri certe non poterit impunitate nutritam fuisse sacrilegam Schismaticorum saevientium crudelitatem. Propugnaculum in iis regionibus videris extruxisse, quod Ruthenae Unionis causam tuebitur et eorum compescet audaciam, quos Catholicae religionis miseriae delectant. Consilium Maiestatis Tuae cum gratissimum caelo fuisse arbitremur, merito Apostolicarum literarum voce laudatur.

<sup>80</sup> S. Stanislaus, Episcopus Cracoviensis ab an. 1071. Natus in Szczepanow, pius et pie educatus ab ipsa iuventute, zelosus pastor, obstitit regi Boleslao Audaci propter eius vitam dissolutam, a quo interfectus fuit in ecclesia ante altare. Ob hoc facinus a Gregorio VII rex interdictus fuit simul cum toto Regno Poloniae, et ab omnibus derelictus mortuus est poenitens in exilio. Super sepulchro S. Stanislai multa fiebant miracula ita, ut ab Innocentio IV Canonj Sanctorum martyrum adscriptus fuit. Colitur ut patronus coelestis Poloniae.

<sup>81</sup> Podbereskyj vel Korsak.

<sup>82</sup> Breve, de quo sub Nr. 26, die 20. IV. 1624.

Nos vero orabimus Patrem misericordiarum ne Regem iuvandis subditis natum ad acerbam hanc necessitatem adduci sinat, sed potius eam mentem det Polonis Provinciis, ut regalem potius beneficentiam quam indignationem promereantur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Maij 1624. Anno Pontificatus nostri primo.

(Locus + sigilli)

Joannes Ciampolus.

### 35.

Roma, 14 . V . 1624.

*Transmittitur in manus Nuntii Breve gratiarum actionis pro exemplari punitione civitatis Vitebsensis.*

APF, *Lettere volgari*, vol. 3, fol. 97r.

A' Monsignor Nuntio in Polonia.

Scrivo la Santità di N. Signore l'incluso Breve a cotesto Re in lode della Regia pietà, mostrata dalla Maestà Sua nel castigare questi scismatici, ch'uccisero l'Arcivescovo Polocense, e lo ringratii anche in nome di questa S. C. de P. F., caso che sin'hora non l'abbia fatto, come le è stato scritto.<sup>83</sup>

Conchè à V. S. m'offerò di tutto cuore.

Roma 14 Maggio 1624.

### 36.

Roma, 18 . V . 1624.

*Decisio Nuntii Apostolici de non transmittendis Brevibus Apostolicis laudatur, sollicitantur tamen iteratae gratias actiones Regi Poloniae.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, v. 6226, fol. 22rv. (reg.).

Con quest'ultimo Ordinario si sono havute le lettere de gli 8, e de' 9 d'aprile, dalle quali veggo che l'erano capitate le mie de' 3, de' X, e de' 17 Febraro <sup>84</sup> insieme con Brevi per la Regina, e (22v) per li Principi.<sup>85</sup> Quanto a quelli concernenti il caso dell'Arcivescovo Polocense,<sup>86</sup> non essendo più necessari ella può ritenergli, bastando il ringraziamento da lei fatto, e che all'arrivo delle mie lettere de' 13 del passato <sup>87</sup> ell' sarà replicato in nome di N. Signore della giusta, e severa dimostrazione uscita dal Rè contro i delinquenti. Che è quanto mi occorre, et à V. S. mi raccomando di cuore.

Roma 18 Maggio 1624.

<sup>83</sup> Cfr. epistulam die 20 . IV . 1624 datam (Nr. 26, p. 39).

<sup>84</sup> Cfr. Nr. 6, 24, (p. 21, 38).

<sup>85</sup> Cfr. Nr. 23 (p. 37).

<sup>86</sup> Cfr. Nr. 9-17 (p. 24-32).

<sup>87</sup> Cfr. Nr. 24 (p. 38).

## 37.

Roma, 31 . V . 1624.

*S. C. de Prop. Fide SS.mum Dominum petit, ut Brevia pro formando .  
processu super vita et morte Josaphat, et Fidelis subscriberet.*

APF, *Acta*, vol. 3, fol. 112v-113r.

1624, maji 31.

Et ultimo, post Congregationem, antequam SS.mus discederet, Ill.mus Cardinalis Bandinus totius Congregationis nomine, a Sanctitate Sua instantissime petiit, ut supplicationes quas pro conficiendis processibus super vita, morte, et miraculis p. m. Josaphat Archiepiscopi Polocensis Rutheni Uniti, a Schismaticis ob defensionem Primatus Ecclesiae Romanae in Urbe Vitepsco interfecti, et p. m. Patris Fidelis Capuccini Waldkirchi Quardiani ab Haereticis ob fidem catholicam in Rhaetia occisi, D. Felicianus de Paulis Congregationis minister B. Suae exhibiturus est, signare dignaretur; Sanctitas Sua hilari vultu commendato Congregationis studio in viros catholicae Fidei defensores petitionem uti iustissimam admisit, et supplicationes, statim cum offerentur, signare promisit.<sup>88</sup>

## 38.

Varsavia, 31 . V . 1624.

*Nuntius Lancellotti refert de variis negotiis Ecclesiae Ruthenae, nec non de Brevibus missis occasione martyrii Josaphat Kuncewycz (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 270-272.

Molto Illustre Oss.mo.

Da quello io scrivo al Sig. Card. Bandino vedrà V. S. il grave errore commesso costà nelli plichi delle lettere...

Le soggiungo che questi mesi passati nel piego di Palazzo mi capitò un mazzo di Brevi et lettere senza che mi fosse stata pure una parola delle copie di Brevi. Conobbi che si trattava della morte dell'Arcivescovo Polocense, et di far istanza per castigare li delinquenti. Io m'immaginai che detti Brevi fossero stati domandati dal Metropolita, ma con che consiglio Dio lo sa; che fossero stati necessarii gl'havrei procurati io, et lo dico di più che se ben mi fossero venuti in tempo di Dieta, che in altro tempo non si possono presentare poichè qui non sta nessuno; et ne fosse seguito il castigo non l'havrei mai dati, perchè si sarebbe posta la Dieta sottosopra, et dato occasione alli scismatici di gridare come già havevano incominciato, et furono ributtati, ma in quest'altra si lasciaranno intendenti, et havranno che parlerà per loro. Dico questo acciò ne siano costà tanto pronti a comprovar il Metropolita, poichè se il Re

<sup>88</sup> Quod Breve, de quo sub Nr. 29, nunquam fuisse expeditum comprobant verba Actorum S. C. de Prop. Fide huius diei 31 . V . 1624.

havesse saputo di questo Breve,<sup>89</sup> non l'havrebbe inteso bene per li fastidii che la ne venivano, et Sua Maestà fà tutto quello che puole, et gl'è suggerito non solo per l'Unione ma per tutte le occorrenze della Religione, et è ben levargli li fastidii, non apporsergli; è vecchio, et declinato assai doppo che io sono qui, et mi creda ch'uno de gran travagli che sia nella Dieta è questa dell'Unione, et ci sarà grande per la giustitia fatta dell'occisione dell'Arcivescovo nella prossima Dieta; non perchè preme questo negotio alli Comitii, e Nuntii, ma per pigliar occasione di gridare contro S. Maestà, et chi parla è subornato con denaro de scismatici, i quali vorranno si restituiscano li privilegi à quella Città, che per il detto homicidio le furono levati, et alla fine l'otteneranno...

Mi raccomando à V. S. l'interesse della mia chiesa, perchè questa gli stà à corde, e la ringratia hora di quello etc...

Varsavia li 31 Maggio 1624.

umilissimo servitore  
Lancellotto Vescovo di Nola (mp)

### 39.

Varsavia, 22 . VI . 1624.

*Nuntius Poloniae scribit se recepisse Breve gratiarum actionis pro Rege Poloniae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, f. 285.

Ill.mo e Rev.mo Signore. Padron mio Col.mo.

Ho ricevuto il Breve<sup>90</sup> di Nostro Signore inviatomi da V. S. Illustrissima per S. Maestà in rendimento di gratie per il castigo preso de' Scismatici colpevoli nella morte dell'Arcivescovo Polocense. E se bene non era necessario, havendola io ringratiata molto prima a nome di S. Beatitudine, e di cotesta Sacra Congregatione, le presenterò nondimeno con prossima occasione, e faccio a V. S. Ill.ma per fine humilissima riverenza. Di Varsavia li 22 di Giugno 1624.

D. V. S. Ill.ma e Rev.ma

Humil.mo et Dev.mo servitore  
Gio. Battista Lancellotto Vescovo di Nola.

### 40.

Roma, 12 . IX . 1624.

*Oratio de B. M. Josaphato Kuncevicio Archiepiscopo Polocensi, anno 1623 die 12 novembris Vitebsci a schismaticis crudeliter trucidato, habita*

<sup>89</sup> Breve de prohibitione transitus ex ritu rutheno ad ritum latinum.

<sup>90</sup> Breve sub Nr. 34, die 11 . V . 1624 (p. 46).



*publice in Collegio Romano Soc. Jesu a Thoma Xenicepulo,<sup>91</sup> Collegii Graecorum alumno, anno 1624, die 12 septembris.*

SUSZA J., *Cursus vitae...*, p. 196-205.

KULCZYŃSKI IG., *Specimen...*, p. 221-29.

Magna profecto communem ad voluptatem fieret accessio, Auditores, si Josaphat Kuncevicus, Polocensis Ruthenorum Antistes sanctissimus, quem exornandum hodierna luce suscepi, oculis usurpari posset a nobis, aut certe vivens adhuc et spirans aggredi laudanda, cum maxime laudaretur. Sed a tanto laetitiae sensu prohibet nos humanae sortis miserrima conditio, verita ne, si tot simul in unum congereret bona, ex homine faceret propemodum Deum. Usu proinde comparatum est, ut ab extrema vitae periodo commendandi ducatur exordium, ut non nisi demortuorum feretrum in tenerae vertatur cunabula laudationis. Quod si alias interdum non sine ingenti dolore percepimus, in optimi Praesulis Kuncevicii obitu ita sumus experti, ut vocis usus relictus tantummodo nobis videretur ad querelas. Quis enim, sanctissimae mortis perlato nuntio, temperare potuit lacrimas ubertim fluentes? O dolorem! O luctum! Ita-ne vero scelestissimorum praedonum crudelitati addicitur candor innocentiae, ut in proprio tandem sanguine rubeat? ita-ne eripitur nobis, qui omnium aetates vivere debuerat? Occidit, occidit spes melior sanctae unionis, Kuncevicio interempto: cujus ut in sinu spirabat religio, sic per vulnera propemodum expiravit. Miseriae ludibrium mortalitatis! quae pulcherrima habentur, in ipso pene ortu corruunt, et pretii magnitudinem vitae brevitate corrumpunt; quamquam in viro egregio non modo nihil de perfectarum virtutum excellentia properatus exitus detraxit, sed eas potius mirifice illustravit.

Tria sunt, quae sanctissimum Praesulem e vulgo humanae societatis exemptum, beatarum mentium inserunt choris. Pietatis studium supra quam credi possit singulare, alienae salutis curandae demerendisque hominibus facta sedulitas, in laboribus ac periculis invadendis usitatae constantiae fines egressa fortitudo. Haec a me non rhetorum coloribus efficta, sed simplici veritatis stylo descripta accipite, quando sua magnitudine omnem prorsus lemniscatae orationi aditum intercludunt.

Fuit sane Romani olim principis pueritia maxime celebrata, quod hoste prostrato, servatoque cive, duplicis laureae ramulos festinabunda manu in praelio decerpserit, cujus vix aetas eum inspectorem esse patiebatur. Fuit etiam in Kuncevicio ad laudes perpetuum, ad admirationem prope divinum, quod tenerae aetatis stabilimentum religiose agendi celeritate praecurrerit, insolitoque triumpho genere, christiana pietatis hostes fuderit, antequam nosset, vivendi propemodum ignarus, vincendi peritissimus. Virtutes omnes ab ipsis incunabulis amp-

<sup>91</sup> In Chronica Collegii Graecorum de Urbe de hoc Alumno notatum est: « 279. Tomaso Sinicopoli (in margine: Ξενικόπουλος), Anconitano, studio grammatica, Rettorica, Filosofia, et Theologia, il quale si parti con buona licenza dei Superiori, essendoli anco dispensato che passasse al rito latino, onde fu fatto poi Piovano di Falconara, Castello vicino ad Ancona » (fol. 49).

lexus fuit studiosissime, ita tamen, ut nulla unquam senserit elementa virtutum. Modestia, gravitas, animi demissio, humanarum rerum contemptus, amor divinarum, non ut tenues in ipso promicabant scintillae, sed ut effusi coruscabant radii. Virilem itaque in pueritia sanctitatem, in vitae crepuscolo meridianam prudentiae lucem, fructum maturitatis in flore juventutis, in primo adolescentiae vere virginea innocentiae adeptus est lilia. Vilnae (nam ibi pueritiam transegit) sacris omnibus intererat quotidie, votis coelum fatigabat assidue, preces sub lucis ortum templo haberi consuetas antelucana excipiebat industria, auroram praecurrensne, an secum ferens in corde. Certe sine sole nunquam erat, cujus pro sole simul et corde Deus vivebat in pectore. Nec alibi coelestis militiae rudimenta posuit tyro fortissimus, quam in castris septisque virtutum, hoc est in templo, a cujus statione nunquam discedebat, ut tam ad vestalis ignis invidiam, quam ad coelestium siderum aemulationem, custos religionis Josaphati pietas quasi flamma vigilaret. Et vigilavit profecto militis invicti solertia, perditorum hominum profligatrix acerrima, adeo ut, cum vetus illa Orientalium a Romano Pontifice defectio Septemtrionis etiam populus pestilenti velut sidere afflasset, unus propemodum inventus fuerit Josaphat qui vinci posse inimicos docuit, qui catholici instituti templa frequentans, qui sacris ministris inserviens, coelestis, ut ita dixerim, Proteus omnium mores induit et formas. Tandem nil sibi relictum animadvertens a majoribus praeter libertatem, hanc etiam impendit, ut arctiori servitutis genere Christo manciparetur. Enimvero statim atque sub magni Basilii auspiciis religiosam professus est militiam,<sup>92</sup> liberum velut ingressus exercendae virtutis campum, assiduus in corpus cruciatibus insurgere, famis incommoda magis patientia quam alimentis repellere, sitis ardorem sola infusa gelida restinguere, omnia corporis oblectamenta pectoris inconcussi robore calcare, deliciarum hostis infensissimus, alienis natus obsequiis, promptus ad imperia, ingeniosus ad poenas. Quae sane omnia ita a Kuncevicio sedulo peragebantur, ut alienae incolumitatis servanda major ipsi cura impendere videretur; et hoc alterum est meae orationis caput.

Quid hic ego in lucem proferam? assiduas itinerum difficultates, labores fortiter exantlatos, dies perpetuis ductos molestiis, noctes publicae utilitati pervigilatas? quid memorem in obeundis sacris concionibus ardorem? quid in moderanda religiosa familia, cui praerat, diligentiam? quid pertinax illud studium quo ita coelestium mysteria paginarum, ita sanctissimorum Patrum decreta, ita perdifficiles christianae religionis controversias penetravit omnes, ut inimicorum audaciam et libere possit invadere, et commode perfringere, et profligare felicissime; quamquam longe plures aureae demissionis vinculis attraxit Josaphat, quam fulmine perculerit sapientiae, optime intelligens partam eruditione gloriae invidiae patere posse, gloriae contemptum amore carere non posse. Nondum sacerdotio initiatus, sacerdotem, quem

---

<sup>92</sup> Secundum communem sententiam, etiam Processu Polocensi et Vitebscensi comprobata, monasterium ingressus est anno 1604.

pro imperio cogere poterat, lacrymis adstrinxit, ut multorum, quos ipse magno labore coegerat, crimina exciperet simul et expiaret; par enim erat, ut oculi fletu minime vacarent in ea cura, in qua largo jam sudore perfusus toto corpore fuerat lacrymatus. Jam vero sacerdos factus, et in Coenobio Vilmensi abbatis<sup>93</sup> dignitate insignitus, quantopere contendit, ut suae restitueret vitae schismaticorum cadavera, vitali spiritu ideo destituta, quod divini Spiritus inimica? Quanta benevolentia privata singulorum commoda exceperit, fovit, curavit? Ipse egentissimus quemque opportuna liberalitate confirmabat, inopum vota celeri praecurrebat largitione, sacros redditus in beneficio libentius quam in fructu reponebat. Idem civium simultates incredibili charitate dissolvebat, tenuiorum hominum fortunas acri propugnabat industria, insitas animis moerentibus aegritudinum stirpes auxiliaribus verbis elidebat. Unus xenodochia invisere, sordes abluere, morientibus adesse, instruere mensas, assidentibus ministrare. O Kunczewicii caput sacris infulus verendum ad pedes plebis prostratum! O vere triumphantes manus non a sceptro ad aratrum, sed a divinis mysteriis ad obsequia postrema demissas! Et mirabimur, cum tanta singulos humanitate convinceret, suam tam facile cunctos in sententiam traduxisse? Extremos Lithvaniae fines percurrrens aliquando, flumen<sup>94</sup> offendit quod, glacie sensim diffluente, neque curru, neque navigio poterat secure tentari. Constitit vir sanctus, cumque plurimos ibidem aquarum ingenium morari coegisset, commodam nactus opportunitatem, ardentem adeo divinae charitatis flammam omnium subdidit pectoribus, ut celerius ipse tot animarum glaciem, quam sol unius fluminis gelu dissolverit. Quare ulteriorem assequi noluit ripam, donec insidentes singulis criminum maculas abstergeret. Egregius profecto nauta, cujus ope inveherentur homines in coelum traiectione facillima. Et perfecit id sane praesul optimus, sola tunc usus auctoritate verborum: alias enim saepius numerata pecunia ad deponendas animae sordes obvios quosque praesertim in itinere invitabat, et hac ratione a daemonis tyrannide liberatos mortales emebat in servos negociator insignis, non sibi quidem, sed Christo, cujus ut se imitorem strenuum ostenderet, proprio sanguini non percipit. Et haec pars extremo loco proposita ad dicendum, orationem absolvit.

Fatigaretur sane exercita cujusvis eloquentia, omnia leviter facinora attingendo, quae vir eximius Josaphat constanter exercendo nunquam fatigabatur. Nam, ut infinita praeteream, Ruthenicae Polocensium antistes Ecclesiae constitutus,<sup>95</sup> magno labore destruens et evellens, aedificans et plantans, omnes absolutissime numeros explevit optimi

<sup>93</sup> Hypatio Potij, Metropolita, vita functo (18.VII.1613) et eiusdem Coadiutore, Josepho Velamin Rutskyj, regimine metropoliae accepto, Josaphat Josepho eodem anno in Archimandria Vilmensi successit.

<sup>94</sup> Niemen, flumen, provenit ex palatinatu Minscensi (in Bèlorussia); aquas vero suas adiungit mari Baltico. Fluit ex oriente versus septentrionem per circa 100 millia polonica (700 km.).

<sup>95</sup> Josaphat, nominatus Coadiutor Archiepiscopi Polocensis anno 1617, Polociam ingressus est sollempniter anno 1618 (9.I). Post mortem autem Archiepiscopi Gedeonis Brolnicki eidem in regimine dioecesis successit.



pastoris. Ingresso ei vastissimam vitiorum sylvam, non modo criminum stirpes erant abscindendae, sed et ferarum impetus cohibendi et latronum vires perimendae, penitusque frangendae. Quod ipse tantis cumulatum periculis opus ita suscepit, ut brevi temporis intervallo, qua robore mentis infracto, qua sedulo conatu et diligentia, aequata solo templa pristino decori restituerit, sacros ministros sanctiori disciplina imbuerit,<sup>96</sup> imminutum cleri numerum copiose auxerit, Ecclesiae praedia e manibus potentiorum vindicaverit, maximam postremo hominum multitudinem romani pontificatus imperio subdiderit; et qui turmatim prius tanquam victores sese inferebant magnifice, quaerendi demum essent, ut vincerentur. Tot tantisque curis cum indefessa pastoris detineretur industria, novus pestiferae seditionis turbo in Russiae fines toto furore irruit. Smotricius<sup>97</sup> assiduis velitationibus ad perniciem verae religionis imbutus, Polocensem antistitem impudenter agens, alienam ditionem invadit, sinceræ fidei lumen in omnium animis extinguere conetur, et subdolis verbis cunctos ad defectionem sollicitat. Concurritur late, et facile convolant numerosas catervae sub signa ducis tam insigniter improbi. Percepto hac de re nuntio, Josaphat, qui a publica evocatus utilitate longe aberat, advolat extemplo, urbes ac pagos invadit, lapsos erigit, errantes reprehendit, furem hostem submovet, scelestaeque defectionis hydram in capita succrescentis divini amoris facibus expugnat. Sed major erat adversariorum audacia, quam ut benevolentiae significationibus deliniri, ardentior sitis, quam ut citra cruorem satiari posset. Ergo Vitebscum urbem invisentem pastorem composito ad hilaritatem vultu excipiunt cives, et quo fallant cautius, maximarum quae inter ipsos vertebantur simultatum arbitrum eum constituunt. Tum specie liberandi e vinculis perditissimi hominis, quem ipsi in omne scelus armaverant, sacram curiam invadunt, populique rabiem ad pugnam acuunt. Josaphat semper clementissimus, praesenti quamvis famulorum opera furibundos hostium reprimere posset spiritus, omni tamen bellico apparatu jubet servos abstinere, ne parem crudelitatem adversariorum invasio scelestissima et justa defensio prae se ferre videantur. Sed bona archipraesulis indoles malos invenit suae benignitatis interpretes, qui toto statim bello sacras aedes invadunt, refractisque per vim portarum claustris, irrumpunt in curiam, et gladios domini tandem latus confossuros experiuntur in servis. Interim Kuncevicus, qui provolutus in genua sacris se precibus munierat, propinquae mortis securus, e conclavi progrediens, non feroces modo perduelles, sed ipsam, cui tam generose obviam procedebat, mortem aspectu confert. Sacri vultus spectaculum sicariorum crudeles oculos obstupescit, et hostium paululum iram admiratione placavit. Mox, quasi barbaros pude-ret humanitatis, ut saevitia moram redimerent, destinatum immortalitati caput praeusto primum fuste percutiunt, tum oblonga securi di-

<sup>96</sup> Inter alia opera pastoralia composuit Catechismum pro Clero, Regulas pro Praesbyteris, et Constitutiones Omnibus Sacerdotibus, quibus scriptis et aliis plurimis vitam et activitatem pastoraalem cleri sui reformavit.

<sup>97</sup> Meletius Maximus Smotrycky consecratus fuit in anti-Archiepiscopum Polocensem a Patriarcha Hierosolymitano Theophane anno 1620.



vidunt; vario denique telorum genere laniant, contundunt, discernunt. Prostratus humi Josaphat, dum jam decessisse videbatur e vivis, protulit suaviter haec verba: o Deus meus! et manum tantisper elevavit sursum, sive coelestis patriae portum quem tangebatur, indicaturus, sive suos vulneratores admoniturus, sive iisdem pectoris sui fortitudinem ostensurus, aut paternae charitatis sempiternam commemorationem relicturus. Hic vero indignati perduelles, semianime cadaver in aream raptatum, ferreis transverberant gladiis, fustibus caedunt, ac totum foede dilacerant. Ah, perfidas cohibete manus, parricidae perditissimi! non aliis sacrum illud pectus confici didicit jaculis, quam divini amoris. Cur funera funeribus superadditis? quid geminos soles morte involvitis? quid venerandum vultum cruore pingitis? Solis coelum sideribus splendet, et sicut publicae utilitati largis imbribus providet, ita numquam sine maximo mortalium damno sanguine lacrymatur. Interea nil reliquum erat crudelitatis in sanctum antistitem saevientibus. Alligato ad pedes fune, raptabatur ad plateas, pingebantur sanguine foras, sacrae calcabantur exuviae, personabat plagarum strepitus; crines, artus, membra lacerabantur. O divina praesulum majestas, humano fastidio longe superior! O sacerdotum pedes calcandis sideribus nati! o manus antistitum regum osculis nobiles! huccine vestra descendit dignitas? huccine vestra amplitudo devenit, ut infimae plebis exposita ludibriis, nullum locum, ubi consistat, inveniat? atque utinam hic saltem satiatus furor hostilis pepercisset martyri! sed impia feritate ferociores parricidae cum nudatum cadaver cilicio, quo semper armatus ipse incedebat, circumdatum invenissent, ardui montis consensu supercilio, praecipitem inde praesulem deturbant, quasi sua crudelitate minime contenti, inita cum vepribus ac scopulis conjunctione, lacerandum illis sacrum corpus tradidissent. Tandem cum ferum, cum flammam, cum saxa, cum stirpes, cum tela, in tanti sceleris communionem vocassent, ne sola flumina aliena viderentur a crimine, magnis corpus oneratum lapidibus, altissima praeterfluentium aquarum profunditate demergunt.<sup>98</sup> Sed tanto se parricidio inquinare renuit unda; quinimo fulguris instar emissa luce, docuit demortuum etiam Kuncevicium posse fluminibus fulmina elicere. Confestim igitur extractum corpus ingenti pompa Polociam defertur, ipsis etiam Calvini asseclis feretro subeuntibus. Quod spectaculum tuas mirifice, o Josaphat, laudes geminavit. Bis enim te orbi terrarum adversarii victorem ostenderunt, viventem abjectis armis in pugna, extinctum suppositis humeris in funere. Quamquam funus-ne hoc loco dixerit aliquis, an justius triumphum? Certe si funus, non nisi funus fuit triumphantis; cum praesertim et lucidissimi splendoris columna ipso carnificinae tempore imminens Vitebsco, et erumpens e nebula corpus martyris obsidente radius, et bina infantis vox ignotum tanti viri interitum praedicantis, invicti militis trophaea abunde testentur.

<sup>98</sup> Duna, Dźwina, Dvyna, sic dicta occidentalis, oritur prope fontes maximi fluminis Moscovitici - Volga, et item maximi fluminis Ucrainici - Dniipro. Fluit ex oriente versus occidentem per circa 128 millia polonica (900 km.) et mari Baltico molem suarum aquarum adiungit.

Quae omnia licet amplissima laetitiae campum aperiant, non tamen omnino lacrymas illas abstergunt, quibus unusquisque tanti ducis prosequitur occasum. Et multis ille quidem flebilis occidit, nulli tamen flebilior quam tibi, Sigismunde, Poloniae rex potentissime, cujus regnum quantum militari praestantia barbaros domat ac frangit, tantum inter christianos populos Kuncevicii splendore illustratum gloria pietatis emicat. Tu perfidos statim sicarios debito supplicio afficeres, ac urbem totam propemodum deleri iussisti. Quibus justissimae indignationis argumentis nobilissima Albae Russiae provincia, et qualem amisisse antistitem, et qualem haberet principem, intellexit. Tu fortissimi martyris nomen ad ultimas terras detulisti, ut quo Sigismundi nomen pervenerit, eodem Kuncevicii fama penetraret. Romae vero tua studia in praesulem publice sanctissimum decantata, amplissimo purpuratorum Patrum Senatui gratissima acciderunt. Spes est, ut tanti viri virtus tanquam exemplum omnibus imitandum publice proponatur debitisque honoribus excipiat: ut quando ille beatis superum ordinibus adscriptus, maximae pietatis, charitatis eximiae, strenuae fortitudinis triplicem laurem est consecutus, nostrarum etiam laudum appendicem, ad Russiae decus aeternum, ad perpetuam christianae religionis firmitatem, ad hostium immortale supplicium, ad virtutum commendationem sempiternam consequatur.

## 41.

Varsavia, 16. IX. 1624.

*Metropolita Rutskyj ad Alumnos Coll. Graecorum in causa seminarii erigendi in Russia. Et postea in « post scriptum » agit de imagine S. Josaphat Romam transmittenda (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 178-179v.

Carissimi in Christo Fratres.

Accipiendo toties litteras a vobis quod Sacra Congregatio de Propaganda Fide expectet informationem a Nuntio Apostolico ...proinde nec concluditur negotium erectionis Seminarii in Russia...

...Vestri amantissimus

Josephus Archiepiscopus (*mp*)

(179) Inquisitio mortis S. Martyris ut scribitis, fiet; imago<sup>99</sup> iam depicta est, et mittetur ante comitia Varsaviam ut inde Romam transmittatur; ego enim Comitii non interero...

(179v) Charissimis in Christo Fratribus Patri Adriano Podbereski et Raphaeli Korsak Ord. S. Basilii Alumnis Collegii Graecorum. Romam.

Romae in Collegio Graeco.

<sup>99</sup> Agitur de imagine S. Josaphat, quam S. C. de Prop. Fide expetebat a Nuntio Poloniae in litteris de data 4. V. 1624 (Nr. 28), scriptis ex decisione S. C. de Prop. Fide die 30. IV. 1624. (cfr. Nr. 5, nota Secretarii).

## 42.

Varsavia, 21. IX. 1624.

*Possibilitas tumultuum in Comitibus Regni occasione punitionis civitatis Vitebscensis indicatur (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 290.

Parte d'una lettera di Monsignor Nuntio di Polonia.

Quanto all'immunità de sacerdoti Rutheni...

Ha risoluto<sup>100</sup> di non intervenire qui in tempo della Dieta per provare se con la sua assenza si renderanno minori li tumulti soliti concitarsi da Scismatici nell'altre Diete contro gl'Uniti, nel qual parere è venuto anche S. Maestà, la qual prevede non poter proporsi cosa nuova contro loro. Potrebbe nondimeno dar nuova materia il castigo, preso de colpevoli della morte dell'Arcivescovo Polocense.

Faccio à V. S. Ill.ma per fine humilissima riverenza. Di Varsavia li 21 di settembre 1624.

Di V. S. Ill.ma e Rev.ma

Il vescovo di Nola.

## 43.

Novogrodek, 1. XII. 1624.

*Rutskyj ad Praefectum S. C. de Prop. Fide scribit de variis negotiis et in fine de imagine S. Josaphat transmissa (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 347rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Illi duo Senatores ad quos me remisit Serenissimus noster de transitu de Ritu Graeco ad Latinum...

(147v) Pergit Sacra Congregatio de Propaganda Fide examinare meam Instructionem et decrevit de quadriennali Synodo a Metropolitana et Episcopis Ruthenis celebranda, hoc decretum quandocumque libebit Ill.mae et Rev.mae D. V. publicare licebit, nunc etiam in funere Sancti Martyris nostri 27 Januarii Polociae a nobis celebrando, vel postea.

De imagine eiusdem Martyris missa a me per Rev.mum Dominum Martianum Trisnam,<sup>101</sup> Residentem in Cancellaria Lituaniae an sciat Ill.ma ac Rev.ma D. V. cuperem scire, et quis modus esset transmittendi ipsam.

<sup>100</sup> Agitur de Metropolita Josepho Velamin Rutskyj (1613-1637).

<sup>101</sup> De Martino Tryzna scribit auctor Chronicae Collegii Graecorum de Urbe: « 220. Marciano Trisna, Ruteno, si parti dottore, et ritornato in Patria, si fece canonico, dove si ritrova; era di buonissima et quieta natura, modesto et humile. Fu poi fatto Coadiutore del Vescovo di Vilna, Referendario del Rè di Polonia, Vice Cancelliere nel Gran Ducato di Lituania » (f. 41).



Interim me meaque humillima obsequia Ill.mae ac Rev.mae D. V. etiam atque etiam commendo.

Novogrodeci 1 Decembris 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi Metropolita (mp)

#### 44.

Lithuania,.....1624.

Ex epistula Metrop. Rutskyj ad Alumnos, Podbereskyj et Korsak, de editione « Vitae » Josaphat (excerptum).

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 337, fol. 185-186v (copia).

Charissimi in Christo Fratres.

Hae literae, quae ibunt per Postam, nihil in se continent de fratribus quos mitto... (de variis negotiis).

...Vita S. Martyris nostri typis editur ab Episcopo nostro Vlodimiriensi,<sup>102</sup> et Summo Pontifici dedicatur; credo quod valebit pro autentico testimonio; quod praeterea super erit necessarium, id conficiet, Deo dante, frater Raphael, ubi redierit; sit ergo instructus quali processu indiget haec res... (sine data et subscriptione)

#### 45.

Lithuania, .....1624.

Ex articulis Metrop. Rutskyj: timor invasit Episcopos Schismaticos post necem S. Josaphat, ideo proclives ad Unionem se monstrant.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 334rv (copia).

Dell'Unione de Rutheni Scismatici, per partiti proposti dal Metropolita di Russia.

Partiti o vero Articoli che propone il Metropolita di Russia da discutersi nella Congregatione de Prop. Fide... (Articuli numero 5 sequuntur, postea vero:)

Speranze che si ha di questa Unione:

La speranza di questa Unione è grande. Primo, perchè se ben li Vescovi, per viver con libertà non vorrebbero questa Unione, tuttavia molti de principali, e particolarmente di quelli della Confraternità di Vilna, la vorrebbero, che perciò il Metropolita vi attende con ogni studio, perchè quelli oltre la Nobiltà sono ricchi, e con le loro ricchezze hanno sempre dato fastidio agl'Uniti.

2. Perchè hanno grand'affetto d'haver un Patriarcha.

3. Perchè dopo la morte dell'Arcivescovo Polocense, occiso dà

<sup>102</sup> Cfr. hac de re articulum R. P. SKRUTEN Josaphat OSBM, *Prima biographia S. Josaphat* (in « Analecta OSBM », Ser. I, vol. I, fasc. 2-3, p. 314-363).



Schismatici li loro Vescovi hanno gran paura, et uno di loro<sup>103</sup> è fuggito in Grecia, et il Pseudometropolitano<sup>104</sup> stà per fuggir in Moscovia.

## 46.

Roma, 25. I. 1625.

*S. C. de Prop. Fide ad J. Velamin Rutskyj in variis negotiis. Litterae remissoriales praeparantur.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, 68v-69.

D. Joseph Velamin totius Russiae Metropolitae.

In Congregatione coram SS.mo habita die 20 huius, actum est de mediis...

Amplitudinem Tuam D. O. M. diu servet incolumem, et donis gratiae suae pro sua benignitate cumulare dignetur, cui ad gaudium et laetitiam Ecclesiae Ruthenae unitae subiungimus, quod SS.mus D. N. supplicationem<sup>105</sup> piaae memoriae Josaphat Archiepiscopi (69) signavit et nunc in Sacra Rituum Congregatione de articulis, et literis remissorialibus agitur,<sup>106</sup> quae omnia, ut citius expediatur, Abbas Victorius Scialach, Maronita, Patris Raphaelis amicus sollicitanda suscepit.

Romae die 25 Januarii 1625.

## 47.

Vilna, 24. IV. 1625.

*Raphaël Korsak ad Franc. Ingoli; describit funus Josaphat Kuncewycz, die 28 Januarii 1625, Polociae celebratum (excerptum).*

APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 263-4 (orig.).

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, N. 6 (1923), p. 316-319.

Perillustris<sup>107</sup> et R.me D.

Primas ex monasterio D.ni V. R.mae scribo literas, primo occasione arrepta et quidem de cumprimis mihi cara, sed et D.ni V. R.mae non iniucunda: De funere scilicet martyris nostri 28. Ianuarii anni currentis peracto. Ignoscet mihi, credo, si in illo recensendo latior fuero, latissimum ingressus gaudii campum.

<sup>103</sup> Meletius Smotryckyj, qui sua activitate mortem S. Josaphat causavit, qua consecuta se contulit in Orientem, visitans Ecclesias Orientales. In patriam reversus, iter suum descripsit in opere « *Apologia* », et catholicus factus cum tit. Archiepiscopi Hierapolitani obiit anno 1633 in odore sanctitatis.

<sup>104</sup> Hiob Boreckyj, item consecratus anno 1620 in Metropolitam Kioviensem schismaticum. Obit anno 1633.

<sup>105</sup> Cfr. Nr. 37, de data 31. V. 1624. (p. 48).

<sup>106</sup> Expeditae fuerunt die 25. IX. 1625 (cfr. Nr. 51). Sed in manus Antonii Sielawa pervenerunt tantummodo post Synodum Kobrynensem (IX, 1626).

<sup>107</sup> Titulus, quem Josephus Rutskyj et Raphael Korsak semper adhibebant, quando ad Secretarium S. C. de Prop. Fide scribebant.

Pridie <sup>108</sup> illius die, quo Ill.mus et R.mus Metropolita <sup>109</sup> noster erat Polociam ingressurus, corpus interfecti Archiepiscopi Polocensis Josaphat solemniter apparatu ex Arcis ecclesia, in qua post caedem id usque temporis exterius velatum sericeis stragulis conservabatur, ad proximam ecclesiam, quae stat in latere fori Polocensis, maturius in diem proVecto sole est transpositum. Sequenti <sup>110</sup> die Ill.mum Metropolitam sub vesperum excepit Polocia eo quo valuit ad tantum hospitem excipiendum apparatu, qui non minus celebritatis maiestatem quam propensam animorum voluntatem in se continebat. Acceptus itaque oratione in vicino monasterio Hlebboris nomine a D. Vicepalatino et civibus Polocensibus cum satis amplo progredientium obviam civium et Nobilium comitatu, tympanorum, vexillorum et armorum, quae collegia civium ordine distincto praeferabant, adiuncta maiestate gratoque tympanorum strepitu ad limina templi, in quo occisi Archiepiscopi corpus fuerat depositum, solemniter est deductus. Vesperarum sacras ceremonias undique confluentium hominum coetu maximo in eodem templo sua praesentia cohonestavit. Deducitur iam vergente ad occasum sole ad Arcem Polocensem ex ecclesia idem Ill.mus Metropolita.

Sub ortum solis diei sequentis nimirum 28. Ianuarii multiplex fragor et sonitus campanarum ingens per omnia tam Rutenorum quam Latinorum templa exaudiebatur. Circa octavam datum est triplici tormentorum fragore signum inceptae iam processions, quae tali ordine disposita procedebat.

Primam progredientium frontem tenebant in ordinem dispositi cives, quorum omnes accensas prae manibus faces praeferabant. Horum medium amplissimo tractu disposita tenebat iuventus Collegii Patrum Societatis Jesu, adiuncto symphoniarum lugubri concentu, qui dispari vocum concordia prospectantium aures ad se rapiebat. Subsequebatur Romanae Ecclesiae clerus sacro apparatu vestium indutus: parochi novem, quorum ultimus insigni rubri coloris pluviali indutus crucem splendidam praeferabat. Eorum vestigia tenebant bino ordine distincti Rutenorum sacerdotes habitu sacro pro more sese invicem aemulantes, quorum numerus duodecim supra centum numerabatur. Claudebant eorum agmen splendidiori ornatu fulgidi sacerdotes, quorum alter cilicium, alter sanguinem perempti Praesulis in linteis auro distinctis praeferabat. Ibidem lapides funibus interpositi, cum quibus corpus occisi Praesulis in Duna submersum erat, magnam in proborum animis devotionem procreabant. Subsequebatur iam ipsum corpus sericeo stragulo rubri coloris velatum, insigni sumptu, latitudine et maiestate, undique rubro progredientium ornatu et rubris facibus circumfusum. A latere armati undique Arcis milites lucem apparatus rubro colore vestiti aemulabantur. Miram splendoris pompae maiestatem in animos omnium offundebat sacer ornatus prosequentium sepulturam Episcoporum: et quidem prioris Archiepiscopi Polocensis,<sup>111</sup> secundi vero Episcopi Pinscen-

<sup>108</sup> Die 26. I. 1625.

<sup>109</sup> Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis (1613-1637).

<sup>110</sup> Die 27. I. 1625.

<sup>111</sup> Antonii Sielawa, anno 1623-24 nominati et februario 1624 consecrati.

sis,<sup>112</sup> denique Ill.mi et R.mi Metropolitae nostri ornatus auro et lapidibus pretiosis intertextus miram prospectantium oculis ingenerabat celebritatem.

Ingredientes Arcem Polocensem excepit solemnibus tormenti bellici fragor; ibidem depositum in templo cathedrali occisi Praesulis corpus et symphonicorum et aeris campani adiuncto pulsu est consalutatum. Vestiebantur templi columnae sericeis peristromatibus opere Phrygio contextis, quibus non tam templi latera quam trucidati Praesulis gloria triumphabat. Eminebat in medio templi sarcophagus illustri fronte et maiestate, qui totus quasi in pyram ob lampades et candelabra argentea versus in zeli et ardoris Cuncevitii solemnibus memoria ardore eodem conflagrare videbatur; totam illam sarcophagi molem rubro colore depicta peristromata ambiebant, quae vel Schismaticorum audaciam in illo colore erubuisse vel innocentem sanguinis profusionem quasi sanguinem sudantia rubro colore deplorasse cernebantur.

Deponitur inter plurimas rubri coloris faces ac lampades ardentissimas in vita et virtute fulgentissimum corpus trucidati Archiepiscopi, quod oratio tam Graeca quam Latina per iuventutem Collegii Polocensis cohonestavit. Ill. mus ipse Metropolita illustri ornatu praefulgens Archiepiscopi et Episcopi caeterorumque sacerdotum sacra corona cinctus in ara maxima solemnibus ritu Sacris operatus est. Excipiebatur sacra eiusdem liturgia symphoniâ, exquisitissimis contexta vocibus, in quibus victor Josaphat triumphare post mortem et exultare videbatur. Cohonestabat Antifistitis occisi exequias coetus Nobilium satis superque numerosus. Cleri vero et sacerdotum multitudo copiosa omnem nostram omnium superavit expectationem.

Peracto solemnibus Sacrorum ritu R. P. Leo Creusa, doctor theologiae olim Romae creatus, Ordinis nostri,<sup>113</sup> nominatus Episcopus Smolenscensis e suggestu ad populum super martyris Archiepiscopi virtutibus verba faciebat,<sup>114</sup> qui non vulgarem fructum in animis multorum Schismaticorum ardenti et erudita concione reliquisse videbatur. Denique clausit celebritatis pompam fausta studiosae iuventutis Collegii Patrum Iesuitarum in Rosam Kuncevitiam — rosa enim stemma martyris fuerat — acclamatio, quae amplam satis in populo ob Polonici metri facilitatem applausum procreabat.

<sup>112</sup> Gregorii Michałowicz, nominati Coadiutoris Episcopi Pinscensis Paisii (init. an. 1624) cum tit. Episcopi Turoviensis; Paisio successit anno 1626 (13. V.).

<sup>113</sup> Ex hac Romana periodo Leonis Kreuzi tale habemus testimonium Chronicae Collegii Graecorum: « 183. Lorenzo Creusza, Ruteno, si parti Theologo per indispositione; era di bellissimo ingegno, et arrivato in Russia si fece Monaco di San Basilio, e grand'operario nella Chiesa di Dio, si in Ruscia come in Moscovia, convertendo infinite anime a cognoscere il Pontefice Romano per vero successore di San Pietro. Fu poi creato Vescovo di Smolenscho » (fol. 38).

<sup>114</sup> Oratio in lucem prodiit Vilnae anno 1625 sub titulo: « *Kazanie o świetobliwym Żywocie y chwalebnej śmierci Przewielebnego w Bodze Oyca Josephata Kuncewicza Arcybiskupa Połockiego, Witebskiego y Mscistawskiego, w cerkwie katedralnej połockiej przy depozycie ciała jego* ». De hac oratione dedit argumentum sat amplum Raphael Korsak in sua depositione in Processu Polocensi, anno 1628 (cfr. testis 69; fol. 52-55).



Depositum denique corpus excepit Ill.mi Metropolitae insignis ad Ill.mum D. Castellatum Mscislaviensem caeterosque Nobiles oratio, in qua zelus eiusdem erga Unionem orthodoxam, amor in peremptum Praesulem et divini obsequii ardens causa triumphabat.

Caeterum illud maiestatis et pompae non vulgare erat argumentum, quod una ante diem funeri destinatum hebdomada duabus circiter horis mane una, vesperi altera per omnes Polocenses tam Rutenum quam Latinorum ecclesias festivus campanarum sonus tanto fragore exaudiebatur, ut Polocia tota super victoria Iosaphat triumphans campanam ad exhibendam victori celebritatem induisse videretur.

Absit itaque vel abhinc Rutenaecatholicorum Ecclesiae gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, si in tali ac tanta memoria sunt eius iusti...

Vilnae 24 aprilis 1625.

D. V. Rev.mae humillimus in Christo servus

Raphael Corsak Ordinis S. Basilii (mp)

#### 48.

Vilna, 30 .IV . 1625.

*Metropolita J. V. Rutskyj transmissionem litterarum remissorialium sollicitatur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 355.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine colendissime.

Bonum quidem est, si Reverendus P. Generalis Societatis Jesu...

Iuвет igitur nos in his nostris miseriis constitutos. Etiam atque etiam rogo ut transmittatur supplicatio a Sua Sanctitate subscripta pro formando a nobis processu vitae et mortis sanctae memoriae Patris nostri Archiepiscopi Polocensis; cuperem ut prima occasione transmittatur.

Interim me meaque omnia gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillime commendo.

Vilnae 30 Aprilis 1625.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

#### 49.

Roma, VII-VIII, 1625.

*Brevis relatio de funere Polocensi ad usum S. C. de Prop. Fide praeparata.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 324, 333.

Relatione d'alcune cose pertinenti alli Rutheni Uniti cavate dalle lettere del Nuntio di Polonia li 17 Giugno, e dalle lettere del Padre Raffaele Korsak li 24 Aprile 1625.

Dalla lettera del Nuntio...



Dalla sudetta lettera del Padre Raffaele,<sup>115</sup> si cava... 1, 2, 3, 4.

5. Da conto della celebre processione fatta nell'essequie dell'Arcivescovo Josaphat, mentre s'era trasferito il suo corpo à Polocia con demonstrationi grandi di devotione del popolo per gli accompagnamenti di gran numero d'armati, di (333) cittadini, del Clero, di Monachi con fuocchi, e tiri d'artiglieria...

Aspetta le remissoriali per far il processo del martirio della buona memoria dell'Arcivescovo Polocense.

## 50.

Roma, 22 .VIII . 1625.

*S. C. de Propaganda Fide statuit sollicitare litteras remissoriales pro beatificatione S. Josaphat.*

APF, *Acta*, vol. 3 (1625), fol. 250rv, nr. 2.

APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 333v.

1625. Aug. 22.

Referente eodem Ill.mo D. Cardinali Bandino literas Nuntii Poloniae, Metropolitae Russiae, et Patris Raphaelis Corsach<sup>116</sup> Sacra Congregatio decrevit ut infra: 1. quoad Coadiutorem... 2. quoad Seminarium ...5, et postremo iussit sollicitari remissoriales pro p. m. Josaphat Archiepiscopo Polocensi ob defensionem Primatus Ecclesiae a Schismaticis crudeliter interfecti.

## 51.

Roma, 30 .VIII . 1625.

*Remissoriales a S. C. de Prop. Fide sollicitantur, nondum tamen obtineri potuerunt (excerptum).*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, fol. 83v-84r.

D. Joseph Velamin Metropolitae totius Russiae.

Relatis per Ill.mum D. Card. Bandinum litteris Ampl. Tuae<sup>117</sup>...

Remissoriales piae me. Archiepiscopi Polocensis sollicitantur, sed quia eorum scriptura ob articulorum multitudinem longissima est, non est facile a S. Congregationis Rituum Ministris eam citius, ut cupimus, obtinere.

Amplitud. Tuae diuturnam desideramus vitam cum incolumitate coniunctam, ut Ecclesiae Ruthenorum Unitorum diu praesidens, eam

<sup>115</sup> Cfr. Nr. 47 (p. 58).

<sup>116</sup> Litterae Nuntii Poloniae de die 17 .IV . 1625, Metropolitae Kioviensis de data 30 .IV . 1625, et Raphaelis Korsak de data 24 .IV . 1625.

<sup>117</sup> Epistula de data 30 .IV . 1625.

ampliare, et copiosa Schismaticorum conversione augeri valeat, quod Christus D. N. pro sua benignitate praestare dignetur.

Roma die 30 Augusti 1625.

Roma, 25 .IX .1625.

NB.

*Litterae remissoriales, ad instantiam S. Congregationis de Prop. Fide a S. Congregatione Rituum datae, a Cardinali Praefecto huius S. Congregationis subscriptae fuerunt die 25 Septembris 1625.*

*Tenore harum litterarum deputati fuerunt Iudices remissoriales pro conficiendo processu: Rev.mus Episcopus Vlnensis, Eustachius Wołtowicz, et Aep. Polocensis, Antonius Sielawa, et, eo absente vel impedito, Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kiowiensis.*

*Tandem anno 1626, mense Novembri-Decembri, litterae ad manus Episcopi Polocensis pervenerunt, qui statim ad S. C. de Prop. Fide recurrit, ut temporis nequitiis remediatur, et alii Iudices deputentur.*

*Inde a S. C. Rituum aliae expeditae fuerunt litterae remissoriales (sec. med. an. 1627), quarum tenore immutato permanente, alii deputati sunt Iudices remissoriales, scil. Antonius Sielawa, Archiep. Polocensis, et RR. PP. Gennadius Chmielnickij, et Hervasius Hostyłowskyj, Superiores monasterii Polocensis et Mohiloviensis.*

*Sed in fine ad confectionem processus contulerunt operam tum Iudices remissoriales primae designationis, tum etiam secundae, prout in processu anno 1268 (nr. 71) clare enuntiatur.*

## 52.

Varsavia, 10 .II .1626.

*Ex litteris Raphaelis Korsak. Inter varia negotia dat etiam excusationem usus paramentorum rubri coloris in funere S. Josaphat.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 56, fol. 62-63v (orig.).

Perillustris et Rev.me Domine. Domine colendissime.

Post reditum meum Romae nunc primum comparui in Curia regali... (62v).

Non miretur D. V. Rev.ma nos usos fuisse in sepultura B. M. Josaphat Patris nostri sacro vestitu rubri coloris;<sup>118</sup> non enim hoc ideo factum quod tanquam Martyrem eum coluerimus, sed quia in more habemus, quotiescumque celebramus Paraclyses in laudem SS.mae Trinitatis, vel S. Spiritus utimur habitu sacro rubri coloris. Cum ergo in illo casu celebrata sit Paraclysis in gratiarum actum et laudem SS. Tri-

<sup>118</sup> Sat mirum, quod iam tunc Raphaël Korsak non usus est explicatione, quod in officiis defunctorum Ecclesia Ruthena utitur colore rubro, non vero nigro, prout Ecclesia Latina, sed recurrit ad explicationem sat artificialem.

nitatis, quod hoc beneficio sponsam suam Ecclesiam Ruthenam honorare voluerit, per consequens habitu rubro uti debuimus.

Cum hac occasione revoco D. V. Rev.mae ut literae remissoriales ad nos quamprimum mittantur. Quia principia favent. Accedit quod nunc vivant qui volunt hoc confirmare illis modis quibus S. D. N. voluerit; et periculum est ne senio confecti hoc nos valore privent, et honore. Ut nominatim dico de Ill.mo Palatino Vilmensi Campiductore Mag. Ducatus Lituaniae Generali,<sup>119</sup> qui multis praesens vidensque interfuit. Humillime itaque rogo ut insignis illa scyntilla in magnum excrescat gloriae divinae incendium, te autore et adiutore Rev.me Domine...(63)

Missa etiam est illuc imago<sup>120</sup> B. M. Josaphat Patris nostri; nescio an ad manus ad quas dirigebatur pervenerit. Si enim Dominatio V. Rev.ma illam non habet, scribere mihi non gravetur, statim de novo mitti curabo.

(63v). Varsaviae febr. 10 Anno 1626.

D. V. Rev.mae humillimus servitor  
Raphael Superior Monast. Vilmensis SS. Trinitatis Ordinis S. Basilii (mp)

*Nota Secretarii, in margine litterarum:*

5. Delle vesti rosse perchè si siano usate nella processione della pia me. di Giosafat Arcivescovo Polocense.

6. Prega, che si mandino le remissoriali finchè vivono li testimonii del martirio del detto Prelato.

11. L'immagine della pia memoria Giosafat fu mandata.

### 53.

*Kobryn, 6 . IX . 1626.*

*Petitio Episcoporum Ruthenorum, ut Rex invigilet, ne Smotryckij iterum aliquod facinus sanguinosum provocet.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 376-377.

Petita Episcoporum Ruthenorum ex Synodo Generali  
habita 6 Septembris Anno Domini 1626.

Petunt Breve a Sanctissimo...

5. Pseudo Metropolita<sup>121</sup> Smotricki, qui, dum peniebantur alii ob interfectionem Archiepiscopi Polocensis, cuius ille primarius author fuit,

<sup>119</sup> Palatinus Vilmensis tunc temporis erat Leo Sapieha (1623-1633) magnus Senator Regni et homo politicus sui temporis sat eminent. Scripsit epistulam ad S. Josaphat anno 1622, in qua in Sanctum Martyrem acriter invehitur. Postea Commissioni Vitebscensi pro punitione parricidarum Vitebscensium praesidebat (18 . I. 1624) et poenis severis errorem suum reparavit, opinionemque suam correxit.

<sup>120</sup> Imago S. Josaphat, de qua S. C. de Prop. Fide agebat sub data 4 . V . 1624 (Nr. 28), et postea Josephus V. Rutskyj ad Alumnos die 16 . IX . 1624 (Nr. 41).

<sup>121</sup> Agitur hic non de Pseudo-Metropolita, qui erat Hiob Boreckyj, sed de Pseudo-Archiepiscopo Polocensi Meletio Smotryckyj.



fugerat in Turciam, et nunc iterum rediit, turbatque iurisdictionem Metropolitae et aliorum Episcoporum Unitorum cum interitu animarum. Chioviae, adiutus a Cosakis, per vim occupavit ecclesiam Unitorum (377). Brevi timendum quod iterum aliquem Episcopum Unitum vita privabit, vel aliquam seditionem magnam in Regno faciet in Caput Unitorum, iterumque fugiet. Bonum igitur esset, si Nuntius Apostolicus serio de hac re cum Serenissimo Rege tractaret nomine Suae Sanctitatis.

6, 7, 8...

Referente Ill.mo D. Card. Bandino petitiones... (377v).

Quoad 2-am mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut curet per Regem ne Pseudo Metropolita Russiae, qui ex Turcarum ditone rursus in Russiam descendit, ut novas.....moliatur in perniciem Unionis Ruthenorum

## 54.

Polock, 20. XII. 1626.

*Archiep. Polocensis, A. Sielawa, Pontificem Romanum exorat pro erectione altaris super sepulchrum Servi Dei Josaphat, praedecessoris sui.*

APF, *Scrilt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, f. 226rv.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 183-4.

Beatissime Pater.

Si quid est, quod nos S. Sedi Apostolicae reddat obligatissimos illud profecto censi debet, quod felix Pontificatus Beatitudinis Vestrae tot Russiam affecerit beneficiis, ut de illis loqui quidem possimus, eloqui autem non possimus. Et notissima quidem illa fuere toti Russiae in provinciali nuperrime a toto in ritu nostro B. V. subiecto clero celebrata Cobrini synodo, ex lectis consolatione plenis B. V. litteris, decretis, brevibus bullisque in causa unitorum. Quae omnia, quam paternum redoleant erga nos affectum, qui non cognosceret, hic enimvero in medio caligare sole iustissime diceretur. Pro nobis certe indignissimis licet B. V. filiis immensum gloria nostri Tua calcar habuit, ut pro S. Sede nil amplius desiderare possimus et si possimus nolimus quam aut pati aut mori.

Sed ecce, dum ex Synodo Cobrinensi redirem, oblatae mihi sunt litterae S. Rituum Congregationis Te, Beatissime Pater, iubente et volente in causa canonisationis servi Dei Josaphat expeditae<sup>122</sup> et ad me indignissimum licet filium suum ad talia magis quam dici possit idoneum directae, quae sane eo me in hoc Tuo, B.me Pater, studio stupore affecere, ut vocis tantum usus relictus mihi videretur ad laudes. Utinam vero tam felix sit B. V. ut quod Te authore incipere iubemur, eodem adiutore assequamur. Ego, quantum vires patientur, pio huic

<sup>122</sup> Litterae remissoriales S. C. Rituum emissae fuerunt die 25. IX. 1625. Utrum statim Roma transmissae fuerunt Varsaviam non satis constat. In Archivio S. C. Rituum hac in re propter temporum vicissitudines lacunae quam maximae inveniuntur. Certum est, quod mense februario 1626 nondum in Russiam pervenerunt (cfr. Nr. 52). Destinarius tamen, Antonius Sielawa, debuit plus quam unum annum expectare.



B. V. desiderio pro virili respondere conabor. Verum multa sunt, quae in his tumultibus, quibus tota pene Ser.mi Regis nostri ditio detinetur, gravissimum hoc negotium in longum abire faciunt, de quibus, quia scribo Rev.mo D. Ingolo, spero quod ipse oretenus omnia B. V. insinuabit. Addidi ad S. Congregationem de Prop. Fide, proxime elapso novembri duo insignia miracula ad sepulchrum antecessoris mei sanctissimi facta et publice examinata, itemque novas iam a morientibus fieri legationes pro altari Servi Dei, denique iam de congregatione sub titulo illius erigenda cogitari. Quae omnia quia S. Congregationi scripta sunt, B. V. illis obstrepere nolui.

Unum tantum humillime nomine totius meae dioecesis peto, ut saltem Polociae ad sepulchrum eiusdem Servi Dei altare erigi B. V. patiat, ne tanto praecum ipsius tamdiu privemur bono.

Quae tamen omnia sub pedes B. V. humillime mecum subiicio atque pro me et omnibus ovibus meis paternam benedictionem B. V. exopto. Quam Deus praepotens Ecclesiae suae sanctae et reipublicae christianae ac inprimis ritus Graeci catholici augmento quam diutissime servet incolumem.

Polociae 20 decembris anno 1626.

B. V. indignissimus filius

Antonius Sielawa, archiep. Polocen.(mp)

f. 226v.: S. D. N. Domino clementissimo. (L. S.).

## 55.

Polock, 20. XII. 1626.

A. Sielawa S. C. de Prop. Fide supplicat, ut pro causa sua (erectio altaris super sepulchrum Josaphat) apud Pontificem Urbanum VIII intercedat.

APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 228rv.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 184.

Ill.mi et Rev.mi Antistites S. Congregationis de Propaganda  
Fide. Domini Colendissimi.

Litterae S. Rituum Congregationis ad instantiam Dominationum V. Ill.marum expeditae in causa canonisationis Servi Dei Josaphat Chuncevitii praedecessoris mei et gaudere me fecerunt et dolere. Et gaudere quidem, quod Deus gloriosus D.tiones V. Ill.mas eo fecerit ferri fervereque studio in viros catholicae fidei defensores, ut id moliamini, quod per nos exiguasque ac pene nullas nostras opes et operam ne quidem attentare praesumeremus. Dolere vero, quod tam sancti conatus vestri quamprimum ad exitum deduci non possint neque illa inquisitio de morte S. praesulis et martyris ex nunc credo absolvi valeat.

Novis enim in dies recrudescentibus bellorum malis Ill.misque Antistitibus,<sup>123</sup> quibus gravissimum hoc negotium demandatum, in varia distractis, sed et longissime ab Archiepiscopatu meo distantibus fit, ut

<sup>123</sup> Agitur praesertim de Episcopo Vिल्nensi, Eustachio Wołłowicz (1615-1630).

vix ac ne vix quidem hac hieme illud, quod vellemus et deberemus, exequi valeamus.

Sed ecce hunc dolorem lenit nova res novaque per merita Servi Dei Josaphat orbi nostro praestita beneficia; dum enim nos sola adhuc spe alimur expectantes fore, ut tanti viri virtus debitis honoribus excipiatur, Deus Opt. Max. re ipsa recreat, animans certe ad indigentem divum precatu celebrandum. Novembris duodecima proxime elapsa, dum anniversarium diem mortis eius pro more suo civitas Polocensis ea qua alias solita fuit solemnitate celebraret, duae feminae paralyticae, utraque ritus latini, sanitati sunt restituae, de quo latius Rev P. Nicolao Novacio scripsi D.nis V. Rev.mis referendum.<sup>124</sup> Hoc vero miraculo permoti nonnulli ex primariis notabilem contribuere summam pecuniae pro altari ad tumulum erigendo, me ad licentiam sibi ad hoc dandam instantissime molestantes. Sed quoniam a mente SS.mi D. Nostri ne ad latum quidem unguem recedere vellem, hoc D.nibus V. Ill.mis referendum censui, supplicans nomine illorum et meo, ut antequam servus hic Dei tanquam exemplar omnibus ad imitandum publice proponatur, mediantibus D. bus V. Ill.mis Polociae saltem ad sepulchrum illius altare erigi S. D. N. patiatur. Nos vero obtenta hac a D.nibus V. Ill.mis gratia conabimur Deo auspice non degeneres tanti patris filios exhibere propensumque affectum nostrum in S. Romanam Ecclesiam maiore in dies surgere incremento et respondere pio conatui D.num V. Ill.marum.

Quas Deus praepotens Ecclesiae suae s. et reipublicae christiana ac inprimis ritus nostri Graeci catholici incremento quam diutissime servet incolumes.

Polociae 20 die Decembris anno 1626.

Dominationum V. Ill.marum et Rev.marum humillimus servitor  
Antonius Sielawa archiepiscopus Polocensis (mp).

f. 228. v : Ill.mis ac Rev.mis D. D. Antistitibus S. C. de Propaganda Fide D. Colendissimis.

(L. S.).

## 56.

Polock, 20. XII. 1626.

*Eadem petitio de altari super sepulchrum Josaphat erigendo etiam Card. Bandino commendatur, ut suas intercessionones apud Pontificem interponere vellet.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, f. 224r.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 186.

Ill.me et Rev.me D. D. Colendissime.

Novi de coelo favores meritis Servi Dei Josaphat praedecessoris mei sanctissimi in oculis nostris urbi nostrae et orbi Rutheno praestiti novas nos a S. D. N. gratias petere cogunt. Quid duabus feminis ho-

<sup>124</sup> Epistolam ad P. Nicolaum Nowak non potui invenire, nam nescitur ubi collocata fuerunt documenta procuratoria post eius mortem, sub finem anni 1632.

nestis proxima anniversaria die obitus eius, quam pro zelo suo Polocenses sollemnissime celebrant, Deus gloriosus praestiterit, ex litteris ad S. Congregationem de Propaganda Fide D. tio V. Ill. ma colligere poterit.

Ad quam etiam scribo, ut quoniam summo nostro dolore inquisitionem de vita et martyrio illius differre cogimur, saltem altare S. D. N. erigi patiatur ad sepulchrum Servi Dei, quod sit tanquam privata in sola Polocia capella, cum facultate votivum illi sacrum celebrandi, idemque a D. ne Sua Ill. ma tanquam a protectore nostro humillime peto. Et ne precox hoc ingenium odio alicui obnoxium sit vel invidiae, ad hoc me impellit zelus nonnullorum, qui morientes insignes legationes fundant pro fabricanda capella illius erigendoque altari. Accidit, quod quidam zelantissimi solam expectent benedictionem Romanam pro instituenda congregatione S. Josaphat, id est Unionis. Quae sodalitas, quo Unionis bono futura sit vel hoc solum promittit, quod illius officium futurum sit suis impensis alere bonos in civitate Polocensi praedicatores et scholarum magistros, qui nunc propter tenuissimos Ecclesiarum redditus haberi non possunt. Humillime itaque D. ni V. Ill. mae supplico, ut hoc obtinere possim, quod meo et aliorum nomine a S. Congregatione et D. ne V. Ill. ma humiliter peto.

Quam Deus praepotens Ecclesiae suae s. et reipublicae christianae ac imprimis ritus Graeci catholici augmento quam diutissime servet.

Polociae, die 20 Decembris anno 1626.

Ill. mae ac Rev. mae D. nis V. humillimus servitor

Antonius Sielawa Archiepiscopus Polocensis (mp).

f. 224v.: Ill. mo et Rev. mo D. D. Octavio cardinali Bandino D. Col. mo.  
(L. S.).

## 57.

Polock, 30. XII. 1626.

*Litterae Sielawa ad Secret. de Prop. Fide, Ingolum, ut sibi licentiam procuraret pro altari in Polocia super sepulchrum Servi Dei Josaphat erigendo.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 227rv.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 187.

Perillustris et Rev. me Domine.

Ordini S. Basilii in Russia concessi favores in dando singulis illius monasteriis altaria privilegiata induxerunt me, ut ego quoque similem peterem a S. D. N. per praesentes gratiam, et quo petiti mei certior esse possim, scribo D. ni V. Rev. mae quam rerum nostrarum Deus Opt. Max. inibi proposuit et praeposuit patronum, ut haec, altare scilicet privilegiatum, pro mea Polocensi ecclesia cathedrali, S. Sophiae nuncupata, ad minus tribus in hebdomandam diebus, hoc est feria secunda, quarta et sabbato obtinere dignetur; suppono vero, quod morem Ecclesiae Graecae sciat non posse in uno altari bis in die haberi Sacrum propter scandalum consuetudinemque ab initio Ecclesiae Graecae in toto orbe introductam, ne ad aliquot in die Sacra celebranda oblige-  
mur.



Altare vero cuperet civitas Polocensis erigere novum S. Martyri Josaphat, de quo scribo S. Congregationi de Propaganda Fide. Mirum enim dictu est, quam in dies crescat devotio erga S. Martyrem, maxime post recensita duo miracula novissime meritis illius facta. Et quidem cuperemus hanc licentiam absoluta inquisitione fieri, sed quia inquisitio haec differri fortasse diutius debet propter rumores bellicos, Ill. Mumque Vilmensem commissarium inquisitionis longissime hinc et fere quingentis milliariibus Italicis distantem, inde longum videtur expectare Polociae, maxime tot miraculis in dies crescentibus, quae in inquisitione latius patebunt. Obnixae itaque D. nem V. Rev. mam rogo, ut pio Polocensium zelo cooperari dignetur et facultatem obtinere pro altari D. Josaphat a tota civitate Polocensi ad tumulum illius erigendo.

Interim pro sua consolatione mitto D. ni V. Rev. mae aliquod Servi Dei Josaphat memoriale, particulam scilicet ex sudario sanguine Servi Dei Josaphat tincto itemque ex cilicio illius et capillum capitis illius. Suscipiat haec velut fragmenta insignis colossi affectus, inquam Russiae, erga se indicia et quo coepit studio, nostra tueri velit, aeviternum praemiandus a iusto Iudice, a nobis vero laudum Suarum praecombibus aeternum gratias relaturus.

Deus Opt. Max. D. nem V. Rev. mam Ecclesiae suae s. ac inprimis ritus Graeci catholici augmento quam diutissime servet incolumem.

Polociae, 20 die Decembris anno 1626.

Dominationis V. rae Rev. mae uti frater

Antonius Sielawa Archiep. Polocensis (*mp.*).

*fol. 227v.*: Perillustri ac Rev. mo D. D. Francisco Ingolo secretario S. Congregationis de Prop. Fide. Fratri Colendissimo.

(*L. S.*).

### 58.

Vilna, 1. II. 1627.

*Ex epistula Raphaelis Korsak ad Secretarium Ingoli. Etiam de imagine S. Josaphat agit (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 387.

Perillustris et Rev. me Domine. Frater observantissime.

Jubilaeum pro PP. Societatis octiduanum exercitium facientibus...

De distributione illorum 108 ungaricorum scripsi P. Nicolao; hoc itaque nunc non repeto. Et quia toties scriptum est mihi de imagine<sup>125</sup> Servi Dei Josaphat, iterum Romam mittenda, eandem nunc mitto, neque pluribus interpello D. V. Rev. mam, quam Deus Gloriosus bonis omnibus quam diutissime servet incolumem.

Vilnae, Februarii 1, Anno 1627.

Affectionatissimus Servitor

Raphael Korsak Episcopus Haliciensis (*mp.*).

<sup>125</sup> Iterum agitur de eadem imagine transmittenda, prout sub Nr. 28, 40, 46.



## 59.

Vilna, 17. II. 1627.

*Ex litteris Raphaelis Korsak: de miraculis S. Josaphat (excerptum).*APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 388 (orig.).

Perillustris et Rev.me Domine. Frater observandissime.

Scriptis prioribus D. V. Rev.mae et iam signatis, missa est mihi copia litterarum ab Ill.mo Metropolita...

Sed ecce dum haec scribo Rev.mus Dominus Georgius Tyskiewicz, Suffraganeus Vilnensis<sup>126</sup> ad me scribit, deque recentissimo miraculo S. Josaphat consolatur. Dederamus illi particulam lintioli sanguine Servi Dei tinctam, qui eandem multis distribuit per partes novissime. Inter alios dederat cuidam P. Societatis nostri, Patri Skolnisch; hic eandem secum in collo gestans, quadam nocte dum esset in via amiserat, adiensque Vilnam aliquot noctibus se illum thesaurum amisisse gemebat, donec tandem post aliquot noctes evigilans forte fortuna pectus suum tangit, eandemque particulam pectori ut ante affixam invenit. Non crederent, nisi a tali diceretur, multi.

Hac occasione eundem Rev.mum D. Suffraganeum D. V. Rev.mae et S. Congregationi unice commendo; de quo plura non dico, nisi quod Ecclesia Vilnensis nacta sit talem, qui decus sit illius...

Vilnae Februarii 17 Anno 1627.

D. V. Rev.mae humillimus frater et servus

Raphael Korsak Episcopus Halicien (*mp*).

Perillustri et Rev.mo Domino. Domino Francisco  
Ingolo. Sacrae Congreg. de Propaganda Fide  
Secretario. Domino observandissimo.

## 60

Roma, ..... 1627.

*Relatio de epistula Raphaelis Korsak, facta Romae, fortasse ab aliquo ex Societate Jesu, quia agitur de miraculo in persona aliqua huius Societatis, et adiuncta est nota de Generali.*APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 398.APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 404.

<sup>126</sup> Georgius Tyszkiewicz, Suffraganeus Vilnensis, Ep. tit. Metonensis. Ex famosa familia Tyszkiewicziana, Studuit Cracoviae, ubi postea etiam canonicus factus est. Translatus Vilnam fungebatur munere Canonici, Custodis, et Archidiaconi Vlnensis (1626). Ab Eustachio Wołłowicz assumptus est in Coadiutorem Vlnensem, deinde promotus fuit ad Sedem Samogitiensem, et qua talis Episcopus variis fungebatur legationibus externis et internis. Demum translatus fuit ad Cathedram Vlnensem 26.V. 1649, et obiit anno 1656 (17. I.), plenus meritis pro Ecclesia Dei suisque dioecesibus.

Parte d'una lettera scritta dal P. Raffael Corsach, Vescovo Haliciense, di Vilna 17 Febraro 1627.

Dà conto del Suffraganeo di Vilna figliuolo del Palatino Berestense,<sup>127</sup> l'avvisa d'un miracolo occorso ad un Giesuita, il quale, havendo un pezzetto del lenzolo tinto di sangue dell'Arcivescovo Giosafat attaccato al collo, lo perde nella strada, e ritornato à Vilna, dolendosi d'haverlo perso per alquante notti, dopo alcun'altre notti se lo trovò al collo, come l'havea prima attaccato.

Che favorendo grandemente il detto Suffraganeo le cose de Ruteni uniti, supplica N. Signore ad honorarlo d'un Breve, et ad essortarlo à continuar nella protezione de Ruteni Uniti etc.

Il nostro Padre Generale ha inteso il miracolo occorso e che il Vescovo Giosafat era stato lapidato per esser buon Cattolico et homo di segnalata virtù, e fù martire glorioso, hà inteso anche così in generale che haveva fatti altri miracoli per confusione di quei Scismatici che l'havevano martirizzato.

Al Signor Ingoli.

## 61.

*Cholm, 12. V. 1627.*

*Ex epistula Metropolitanae Rutskyj ad Card. Praefectum S. C. de Prop. Fide aliosque Cardinales (excerptum).*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 359 (orig).

Ill.mi et Rev.mi Domini. Domini Colendissimi.

Negotium de Patriarcha Rutheno per vos Ill.mi et S. Sedem determinatum...

Nunc pro consolatione D. V. Ill.marum hic includo attestationem nobilissimi miraculi per Servum Dei Josaphat patrati,<sup>128</sup> cuius originali mihi relicto eiusdem copiam manu mea subscripsi. Speramus fore ut sanguis illius fiat semen Unitorum, promotoribus D. V. Ill.mis, quas Deus gloriosus Ecclesiae suae Sanctae et Reipublicae Christianae quam diutissime servet incolumes.

Chelmae 12 Maii 1627. -

Ill.marum et Rev.marum Dominationum Vestrarum  
humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae (mp.).

<sup>127</sup> Eustachius Joannes Tyszkiewicz.

<sup>128</sup> Non inveni hanc attestationem.

## 62.

Roma, ..... 1627.

*Relatio de litteris Archiepiscopi Polocensis, Antonii Sielawa.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 372.E litteris Archiepiscopi Polocensis ad Sacram Congregationem.<sup>129</sup>

1. Dolet quod conatus Sacrae Congregationis circa inquisitionem de vita et morte Archiepiscopi Polocensis propter bella in Regno nunc exequi non possunt.

2. Significat de miraculis quae fiunt ad sepulchrum Martyris ab illo tempore, quo inquirere coeperunt de vita ac morte ipsius, cum magna confirmatione in fide Catholica civitatis Polocensis, non ita pridem ad fidem conversae.

3. Petit licentiam erigendi altare in honorem Martyris.

Ex eiusdem litteris ad Reverendissimum D. Secretarium Sacrae Congregationis.<sup>130</sup>

1. Petit altare privilegiatum

2. Petit, ut adiuvet zelum Polocensium in erigendo altari in honorem S. Josaphat.

## 63.

Roma, .....1627.

*Relatio de litteris Archiepiscopi Polocensis de data 20 . XII . 1626.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol. 401.

Antonio Arcivescovo Polocense. Polocia 20 Decembris 1626.

1. Dà conto per gl'impedimenti delle guerre non essersi potuto fare il processo della pia memoria dell'Arcivescovo Josaphat suo Predecessore, occiso da scismatici per haver difeso il Primato del Pontefice Romano.

2. Essendosi fatti da Dio diversi miracoli al sepulcro di detto Josaphat, et in particolare nell'anniversario della sua morte, essendosi liberate due donne latine, che erano paralitiche, molti anno lasciato de legati per fabricare una Cappella al detto Josaphat; però per aumento del culto divino, e devotione del popolo supplica, che si li dia facoltà, che possa erigere un'altare sopra il sepulcro di detto Josaphat, il cui nome si propone dalli Ruteni far una Compagnia, o Confraternità, che habbia cura di promuovere l'Unione.

3. Desidera un'altare privilegiato...

<sup>129</sup> Cfr. sub Nr. 55, de data 20 . XII . 1626.

<sup>130</sup> Cfr. sub Nr. 57, de data 20 . XII . 1626.

## 64.

Roma, 21. V. 1627.

*In Congregatione de Prop. Fide tractatur negotium processus Servus Dei Josaphat conficiendi, et responsum datur ad petitionem Archiepiscopi Polocensis pro licentia erigendi altare super eius sepulchrum.*

APF, *Acta*, vol. 4, fol. 215v-216v, n. 3.HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 188.

1627, maji 21.

Referente eodem Ill.mo Cardinali Bandino miracula quaedam,<sup>131</sup> quae ad sepulchrum piae memoriae Archiepiscopi Polocensis Josaphat fieri dicuntur, et simul impedimenta, quae propter Poloniae bella Metropolitae Russiae, Archiepiscopus Polocensis Rutheni uniti, et Episcopus Vilmensis Latinus, per remissoriales a Sac. Congregatione Rituum delegati, habere dicuntur in compilando processu super dicti Archiepiscopi Polocensis Josaphat interfectione, et super causa mortis eius, ob defensionem videlicet S. Catholicae Fidei, et Pontificis Romani primatus contra Schismaticos, et denique petitionem Archiepiscopi Polocensis postulantis facultatem erigendi super sepulchro praefato altare in honorem dicti Josaphat; Sac. Congregatio:

1. Ne retardetur processus praedictus censuit per Ill.mum D. Cardinalem Millinum<sup>132</sup> in Sac. Congregatione Rituum agendum esse de modo quo, bellorum Poloniae impedimentis vigentibus, possit per unum ex delegatis in causa praedicti Josaphat ulterius procedi.

2. Inclinat SS.mus ad gratiam faciendam, ut scilicet non obstante Decreto suo de non aperiendis processibus Beatificationum vel Canonizationum, nisi post quinquaginta annorum curriculum,<sup>133</sup> processus dicti Josaphat cum compilatus fuerit statim aperietur.

3. Dixit non convenisse Sedem Apostolicam ante processus legitime factos concedere facultatem erigendi altaria super sepulchris eorum, qui cum opinione sanctitatis obierunt.

4. Denique censuit posse concedi eidem Archiepiscopo Polocensi, ut iuxta Decretum Congregationis dicti S. Officii<sup>134</sup> de imaginibus, tabellis et aliis cultibus eorum, qui cum fama martyrii, aut sanctitatis mortui sunt, ante beatificationem, vel canonizationem eorum ad ipsorum sepulchra non admittendis, possit vota, tabellas, imagines, cande-

<sup>131</sup> Cfr. Nr. 55, 62, 63.<sup>132</sup> Millinus Giangarzia, cardinalis, patricius Romanus, socius card. Gaetani in itinere Polonico (an. 1596-97); Creatus cardinalis die 11. IX. 1606, archipraesbyter Basilicae Liberianae, 1629 obtinuit titulum S. Laurentii in Lucina; obiit anno 1629, anno aetatis suae 57. (MORRONI, *Dizionario*, v. 45, col. 140-142).<sup>133</sup> Decretum de non aperiendis Processibus super vita et moribus Servorum Dei editum fuit anno 1625.<sup>134</sup> Decretum S. Officii de imaginibus etc. ad sepulchra eorum, qui cum fama sanctitatis obierunt, editum fuit anno 1625.



las, lampadas, et alia huiusmodi in testimonium gratiae receptae, quae ad sepulchrum praedicti Josaphat offerentur recipere, factis tamen peculiaribus eorum notis, et causarum per quas offerunt, per notarium publicum in libro ad hunc effectum parando describendis.

## 65.

Roma, 29. V. 1627.

*S. C. de Prop. Fide Archiep. Polocensi, Sielawa, rescribit in causa processus super vita Servi Dei Josaphat.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, fol. 141v-142v.

Antonio Archiepiscopo Polocensi.

Discplicuit non mediocriter SS.mo D. N. et Sacrae Congregationi de Prop. Fide bellorum impedimentis differri piaec me. Archiepiscopi Josaphat, Ampl. Tuae praedecessoris, processum, eoque amplius, quod auditis quae ad eius sepulchrum fiunt miraculis, et gratiis, Sanctitatis Suae animus adeo commotus est, ut in proxima Sacrorum Rituum Congregatione agi praeceperit de novis litteris concedendis,<sup>135</sup> quibus uni tantum ex Delegatis in tanti viri causa procedere, si fieri poterit, permetteretur. Ceterum quod attinet ad Ampl. Tuae petitionem, licentiae scilicet super eius sepulchro erigendi altare, una fuit Ill.morum Patrum sententia, illam nondum esse admittendam, sed omnino reiciendam, ea permoti validissima ratione, quod Martyri nondum vindicato, ut recte Optatus Milevitanus inter Aphricanae Ecclesiae Patres vir studiosissimus dicebat, honores, qui iam vindicatis exhibentur attribuere neque liceat, neque licebat, quod Sanctae Romanae Ecclesiae ritu vetustissimo, inveterataque consuetudine semper fuit observatum, et hisce temporibus observatur. Duo tamen Beatitudo Sua praestabit, ut Ruthenis Unitis, quantum fieri poterit, gratificetur, faveatque, quorum alterum est, ut Amplitudo Tua iuxta Decretum, cuius copia tibi transmittitur, possis recipere vota, imagines, et donaria, quae in gratiarum receptarum testimonium ad praefatum sepulchrum offeruntur, et in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco custodire, et asservare, iis tamen per Notarium publicum simul cum gratiis obtentis in libro ad hunc effectum peculiariter parando adnotatis. Alterum vero est, quod processum dicti Archiepiscopi Josaphat cum Romam transportatus fuerit statim aperiri iubebit, cum alii similes per aliquot annos ex Sanctitatis Suae Decreto in Archivio clausi conservari debeant. De Altari privilegiato, quod Ampl. Tua petit, cum Brevium Secretario agi curabimus, et gratiam expeditam suo tempore ad te, ea qua possimus sollicitudine, mittemus. Vale.

Romae 29 Maii 1627.

<sup>135</sup> De facto expeditae sunt eadem litterae remissoriales, mutatis nominibus Iudicum remissorialium, prout patet ex Processu Polocensi an. 1628, in introductione (cfr. Processus an. 1628).

## 66.

Roma, VI, 1627.

*Novae litterae remissoriales parantur.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 379.

Ill.mo D. Cardinali Millino, qui dignetur in proxima Congregatione Rituum referre litteras Archiepiscopi Polocensis,<sup>136</sup> quae intus in Summarium redactae habet, ut in ea iuxta S.mi mandatum agatur de modo, quo possit facilius reddi Processus in causa Archiepiscopi Josaphat ob Catholicam fidem a Schismaticis interempti, ne videlicet ob bella, et ob distantias duorum delegatorum, videlicet Episcopi Vilmensis latini, et Archiepiscopi Chioviensis a 3<sup>o</sup>, scilicet moderno Archiepiscopo Polocensi, cum periculo amissionis probationum retardari nimis contingat.

## 67.

Dubno, 10 . VII . 1627.

*Metrop. Rutskyj conversionem Meletii Smotryckyj sanguini Servi Dei Josaphat attribuit, litteris ad Franciscum Ingoli datis (excerptum).*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 360 (orig.).

Perillustris et Rev.me Domine. Frater Colendissime.

Ruthenae sagena Ecclesiae in portu Romano exoneratur magnis piscibus, si non plena, saltem onusta. Meletius ille Smotricius, nuncupatus apud Schismaticos Archiepiscopus Polocensis, quo neminem doctiorem aequae ac Unioni S. infestioris Schisma in his partibus habuit, mihi iam reddidit et per me S.D.N. reddit obedientiam. Sed quomodo cum illo processum ex inclusis literis colliget D. V. Rev.ma.<sup>137</sup>

Ego nulli alteri quam sanguini Servi Dei Josaphat hanc concessionem adscribo; sicut e converso mortem eiusdem tanquam causae originali Rev.mo Meletio cum voce populi attribuo. Ecce ergo ex Saulo Paulus,<sup>138</sup> ex lupus agnus. Spero ego, Deo iuvante, magnum per illum in Ecclesia Ruthena Catholica fructum...

Dubnae Julii 10 anno 1627.

Illustris ac Rev.mae D. V. addictissimus frater et servus

Josephus Velamin Rutschi Metropolitae Chioviensis totiusque Russiae (mp)

<sup>136</sup> Litterae A. Sielawa de data 20 . XII . 1626. Tractabantur in S. C. de Prop. Fide die 21 . V . 1627 (cfr. Nr. 64).

<sup>137</sup> De conversione Meletii Smotryckyj Metropolitae Rutskyj retulit S. C. de Prop. Fide in epistula de data 10 . VII . 1627 (APF., *Scritt. rif. nelle Congreg. Generali*, vol. 67, fol. 360).

<sup>138</sup> Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis (1652-1685), durante sua commoratione Romana anno 1664-1666 de Smotricio scribens, alludit ad hanc commotionem persuasionem in titulo operis: «Saulus et Paulus Ruthenae Unionis...».

## 68.

Vilna, 1. XII. 1627.

*Ep. Haliciensis, R. Korsak, ad Franc. Ingolum de acceleratione processus beatificationis Servi Dei Josaphat et de novo miraculo eius intercessione facto refert (excerptum).*

APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 69, fol. 318.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 191.

Perillustris et Rev.me D. Frater Colendissime.

Processum B. Martyris Josaphat Archiepiscopi Polocensis tardiorum reddit tardissima necdum absoluta Rev.mi episcopi Methonensis consecratio,<sup>139</sup> cum enim ille per Ill.mum episcopum Vilmensem tanquam suus suffraganeus iudex deputatus sit, ex alia vero parte ad maiorem tali tantoque negotio auctoritatem conciliandam iudicem principalem episcopum esse debere necessum videatur, magno animi nostri multorumque piorum dolore dicta inquisitio hucusque differtur neque ante proximum pascha ullo modo speramus nos hunc processum absoluturos.

Porro autem Deus gloriosus novis in dies, iisque maximis miraculis servum suum glorificat. Excell.mus Alexander dux ab Ostrog Zastaviensis palatinus Braclaviensis<sup>140</sup> annorum quinque podagricus sumpto venerabili sacramento et reliquiis Servi Dei a me sibi oblatis et per manus sacerdotis collo suo appensis votoque Servo Dei post canonisationem ecclesiam extruendi emisso, pristinae incolumitati intantum restitutus est, ut sequenti die unum integrum milliare pedes laetus confecerit neque decem diebus citius me Ill.mumque metropolitam sibi congaudens a se dimiserit multis utrumque muneribus afficiens. Ill.mus Palatinus Kioviensis,<sup>141</sup> in medio totius civitatis Zamosciensis incendio voto ad eundem Servum Dei facto, ex sereno coelo largum evocavit imbrem flammasque iamiam urbem absumpturas extinxit.

D.tio V. Rev.ma ad caetera in Ruthenam Ecclesiam beneficia hoc quoque addere dignetur, ut binas litteras a S.D.N. habere possimus vel ad minus a S. Congregatione, scilicet ad Ill.mum episcopum Vilmensem

<sup>139</sup> Georgius Tyszkiewicz ab Eustachio Wołłowicz, Ep. Vilmensi, in Coadiutorem assumptus est sub fine anni 1626 vel initio anni 1627, sed sub finem tantummodo huius anni, vel primis duabus mensibus anni 1628 consecratus fuit Episcopus (cfr. Nr. 59, nota 126).

<sup>140</sup> Ex vetusta principum Russiae familia; filius Janúsij Zastawskyj natu maior, educatus apud exterarum nationes. Jam ab anno 1605 Castellanus Volhinensis, dein Palatinus Braclaviensis (1613), et Kioviensis ab anno 1628. Scripsit sat longam epistolam ad Meletium Smotryckyj, refutans eius errores (ed. in J. Susza, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis... Meletius Smotriscius...*, ed. 2, Bruxellis 1864, p. 39-65). Fuit misericors, pius, benefactor Ordinum Religiosorum et ecclesiarum, nec non pauperum. Anno 1629 (26. X.) venit Leopolim, ut Synodo inter Unitos et Non-Unitos celebranda assisteret; sed Synodo frustrata ibidem etiam occubuit 14. XI. 1629.

<sup>141</sup> Zamoyski Thomas (1594-1638) varia obibat munera et officia Regni Poloniae. Anno 1619 nominatus fuit Palatinus Kioviensis, ab anno vero 1635 fuit Magnus Cancellarius. Regni Poloniae. Zamostia - urbs familiae.

et Rev.mum ipsius Suffraganeum, quibus processus dictus urgeatur, quod iterum iterumque humillime peto.

(*Sequitur ulterior textus de Seminario exstruendo in Russia et de Alumnis*).

Vilnae, 1 Decembris 1627.

Perillustris ac Rev.mae D.nis V. obsequentissimus frater et servus Raphael Korsak episcopus (*m.p.*).

## 69.

Roma, 15. I. 1628.

*Decisio Urbani VIII de non aperiendis processibus aliquantulum moderatur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 182, fol. 244rv.

Die 15 Januarii 1628.

Sanctissimus D. N. expresse mandavit non agi amplius in Sacra Rituum Congregatione de processu cuiusquam<sup>142</sup> super praesentiam sanctitate, aut etiam martyrio ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius, quin etiam lapsis quinquaginta annis de similibus processibus, tam factis, quam faciendis agi venit, nisi habita prius, et expresse obtenta a Sanctitate Sua, vel eius Successoribus licentia.

Verum ne pereant huius dilationis probationes permisit Sanct.mus singulos Ill.mos Cardinales, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, posse in qualibet trium Congregationum ad id destinatarum proponere unam eandem, vel processum, sive auctoritate ordinaria fabricatum ad effectum deliberandi, an debeant concedi litterae remissoriales in forma, sive etiam auctoritate apostolica factum ad effectum cognoscendum, an legitime servatisque servandis factus sit.

Quibus duobus anomalis definitis, nimirum, vel concedendi remissoriales, vel declarandi processus auctoritate apostolica rite factos, nullaque nullitatis sanatione, vel testium repetitione indigere, Sanctitas Sua de his ulterius agi expresse prohibuit, nec de sanctitate, vita, miraculis, et aliis ad Beatificationem, vel Canonizationem ( 244v) requisitis tractari voluit, nisi elapsis quinquaginta annis, et obtenta licentia, seu beneplacito Sanct.mi vel Successorum, ut supra.

Declaravit praeterea idem S.mus sub praedicta lege quinquaginta annorum comprehendi causas iam propositas Nicolai factor, et Juliani de Sancto Augustino die 20 novembris 1627.

Quod decretum, cum Ill.mis DD. videatur nimis praeciudiciale, maxime processibus auctoritate ordinaria factis cum possint perire probationes, dum expectatur tempus praefixum ad illos referendos, iidem Ill.mi Patres mandarunt mihi Secretario, ut de hoc agerem cum SS.mo.

<sup>142</sup> Cfr. Nr. 64, 65. Quia casus Archiepiscopi Polocensis aliquomodo influxum exercuit in hanc moderationem, opportunum duximus hoc documentum in nostra collectione publici facere iuris (cfr. Nr. 64, de data 21. V. 1627).



Die 29 Januarij 1628.

Retuli me allocutum cum Sanctissimo prout mihi fuerat iniunctum de processibus auctoritate ordinaria factis, et Sanctitatem Suam annuisse: Ill.mos DD. posse in qualibet trium Congregationum ad id destinatarum proponere quot processus voluerint auctoritate ordinaria factorum.

70.

Vilna, 12. III. 1628.

*Ex litteris Raphaelis Korsak; fabricatio processus urgetur.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 69, fol. 494, 475v.

Perillustris et Rev.me Domine. Frater colendissime.<sup>143</sup>

Occasione Synodi in Polonia Provincialis Ill.morum Romani Ritus Episcoporum scribo ad P. Nicolaum...

Inquisitio etiam S. Patris nostri Josaphat urgeri quidem apud Ill.mum Episcopum Vilnensem,<sup>144</sup> et dictum Rev.mum Suffraganeum.<sup>145</sup> Differunt tamen propter causas illis notas, quamvis altero renitente etiam. Et tamen fronte capellata etiam...

Vilnae, Martii 12, 1628.

Perillustris et Rev.mae D. V. addictissimus servitor  
Raphael Episcopus Haliciensis

(mp).

*f. 475v*: Episcopi Haliciensis ad Reverendissimum D. Secretarium.  
...Significat quod Episcopus Vilnensis propter rationes sibi soli notas differt negotium inquisitionis circa vitam et mortem Servi Dei Josaphat...<sup>146</sup>

<sup>143</sup> Franciscus Ingoli, Secretarius S. C. de Propaganda Fide (1622-1649).

<sup>144</sup> Eustachius Wołowicz, Episcopus Vilnensis (1615-1630).

<sup>145</sup> Georgius Tyszkiewicz, Ep. tit. Metonensis ab anno 1627.

<sup>146</sup> De facto iam die 2 martii 1628 terminus Processus preemptorius per litteras publicas Episcopi Vilnensis intimatus fuit.

DOCUMENTA BEATIFICATIONIS AN. 1628

---

*Polock - Roma, 20. III. 1628.*

*PROCESSUS BEATIFICATIONIS SERVI DEI JOSAPHAT KUNCE-  
WYCZ ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS.*

ASV, Arch. S. C. Rituum, v. 2287; Alia copia: v. 2285, 2286.

**Polocen - Canonisationis Gloriosi Martyris Josaphat Cuncevitij  
Archiepiscopi Polocensis**

D. CLEARCHUS BUSCUS Notarius<sup>1</sup>  
(Ex Archivio Vaticano. S. Congregationis Rituum 1642)<sup>2</sup>

IN NOMINE DOMINI AMEN.

*(Initium processus)*<sup>3</sup> (1)

Notum sit universis praesentes litteras sive processus visuris seu legi auditoris, quod Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, Die vigesima mensis Martii, Pontificatus SS.mi in Christo Patris et D.N.D. Urbani divina providentia Papae octavi anno quinto.

*(Nomina Iudicum remissorialium)*

Coram Ill.mo et Rev.mo D. Antonio Sielawa, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Polocensi, Ill.ri et Rev.mo D. Domino Georgio Tyszkiewiczio, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Metonensi,

---

<sup>1</sup> Clearchus Buscus, Notarius in Curia Romana, qui Processus exemplar originale, Polociae exaratum, Romae ad usum S. Congregationis Rituum transcribi curavit, et pro fidelitate transumpti nomine proprio subscripsit et sigillo notarili munivit.

<sup>2</sup> Hoc modo confecta est prima pagina, sive involucrum huius Processus an. 1628. Agitur solummodo, prout notatum est, de copia notarili Romae confecta.

<sup>3</sup> Haec subdivisio textus, quae litteris s. d. *cursivis* in hoc Processu facta invenitur, videtur fuisse superaddita. Nam ponitur in margine, alia manu et non semper in loco opportuno. Eandem tamen hic imprimi sat utile fore duximus. Notandum tamen est, quod numeratio testium hic posita non sequitur fideliter elenchum, positum in initio ipsius Processus (fol. 15-18), imo numeri saepe saepius repetuntur.

Suffraganeo et Custodi Vilmensi, Adm. R. D. Domino Nicolao Sinicki, Canonico Vilmensi, et Albae Russiae Archidiacono, per litteras speciales ab Ill.mo et Rev.mo D. Eustachio Wołowicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Vilmensi, et praesentis Inquisitionis Commissario Principali Subdelegato, Adm. R. in Christo Patre Gennadio Chmielnicki, Igu-  
meno Monasterii Polocensis Ordinis Sancti Basilii, Adm. R. in Christo Patre Gervasio Hostyłowski, Igu-  
meno Monasterii Mohyłoviensis, eiusdem Ordinis, Iudicibus subdelegatis virtute litterarum remissorialium super Canonizatione Servi Dei Josaphat Cuncevitii Archiepiscopi Polocensis, expeditarum a Sacra Rituum Congregatione Ill.morum, et Rev.morum Dominorum Cardinalium, expresse deputatis, vel per expresse deputatos substitutis, in Civitate Polocensi, in ecclesia cathedrali Sanctae Sophiae nuncupata, in Residentia dictorum Dominorum Iudicum simul congregatorum et me Alberto Branicki notario apostolico

*(20 martii 1628 comparuit coram D.D. Iudicibus remissorialibus Ill.mus et Rev.mus D. Raphael Korsach procurator in causa Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis. Praesentavit Rev.mis DD. Iudicibus litteras remis. S.C. Rituum petens recipi et audiri et in causa ad ulteriora procedi)*

comparuit Ill.mus et Rev.mus D. Raphael Korsak, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Haliciensis, Coadiutor Metropolitae Kiioviensis, Procurator in huiusmodi causa Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis (cui etiam tempore testimoniorum per unanimum Dominorum Iudicum consensum locus in sessione datus est) et eisdem DD. Iudicibus praesentavit literas remissoriales sigillo Ill.mi et Rev.mi D. Francisci Maria Episcopi Ostiensis Cardinalis de Monte,<sup>4</sup> Sacri Cardinalium Collegii Decani, Praefecti Sacrae Congr. Rituum, obsignatas, petens ut illas reciperent, aperirent, et admitterent, et (1v) ad illarum executionem iuxta earum formam, continentiam et tenorem procederent,

*(Idem Rev.mus Procurator petiit deputari notarios et nuntios)*

nec non deputarent notarios et nuntios pro formando processu super illis, eisque et cuilibet eorum deferrent iuramentum de fideliter exercendo eorum officium,

*(DD. Iudices admiserunt et aperuerunt lit. rem. et deputarunt notarios et nuntios, ut infra)*

qui quidem DD. Iudices supradictas literas remissoriales receperunt et aperuerunt, illisque visis et lectis acceptaverunt et admiserunt ad illarum prosecutionem prosequi mandaverunt, iuxta earum formam, continentiam et tenorem et pro notariis eiusmodi processus deputaverunt

---

<sup>4</sup> Franciscus Maria de Monte, Cardinalis, Episcopus Ostiensis, Decanus S. Collegii Cardinalium, Praefectus S. C. Rituum, obiit anno 1626, (28. VIII).

RR. in Christo Patres Sebastianum Kaczyński, et Germanum Hostyłowski, Praesbyteros Ordinis S. ti Basilii, et nuntios seu cursores deputaverunt, et elegerunt RR. DD. Abrahamum Hriniewiecki, et Martinum Trzcński. Qui RR. DD. Patres, Notarii deputati, personaliter comparentes coram dictis DD. Iudicibus delegatis in eorundem manibus tacto pectore solemne praestiterunt iuramentum, quod fideliter in faciendo hoc processu notariorum munus forent obituri. De et super quibus praemissis ego Albertus Branicki, Notarius Apostolicus, rogatus fui per dictum Ill. mum et Rev. mum D. Episcopum Haliciensem, huiusmodi sausae pro Canonizatione procuratorem, ut praesentem actum facerem. Acta fuerunt haec in ecclesia cathedrali Polocensi, residentibus DD. Iudicibus, anno, indictione, mense et Pontificatu quibus supra, praesentibus ibidem Ill. mis et generosis DD. Alexandro Tyszkiewiczio, supremo Terrae Polocensis Iudice, Domino Daniele Szczyt, Subiudice eiusdem Terrae Polocensis, et D. Michaele Tyszkiewiczio, eiusdem Terrae Protonotario, testibus rogatis. Et ego Albertus Branicki, Notarius, de praedictis rogatus subscripsi et signum consuetum in fine totius processus apposui.

In Dei nomine Amen. Eisdem anno, die, mense. Mox et in continenti post supradictam praesentationem et receptionem literarum remissorialium, deputationem, et iuramenta in eodem loco, et coram eisdem DD. Iudicibus Commisariis subdelegatis apostolicis, Ill. mus et Rev. mus D. Episcopus Haliciensis, Procurator in huiusmodi causa Canonizationis Servi Dei Josaphat, petiit, ut dicti DD. Iudices pronuntient se esse iudices competentes et mandent ad ulteriora procedi in huiusmodi causa, et deputent locum, dies et horas audientiarum pro faciendo processu iuxta formam et tenorem dictarum literarum remissorialium.

*(DD. pronuntiarunt se esse iudices competentes in huiusmodi causa nec non deputarunt locum ac diem et horam audientiae, prout infra)*

Dicti vero DD. Iudices remissoriales, stante supradicta instantia et petitione, declaraverunt (2) et pronuntiarunt se esse iudices competentes et ad ulteriora procedi mandaverunt in huiusmodi causa, iuxta dictarum literarum remissorialium continentiam et tenorem, et pro loco examinis festium tam spiritualium quam saecularium, tam virorum quam mulierum elegerunt et deputaverunt ecclesiam cathedralem Polocensem, Sanctae Sophiae nuncupatam, Polociae; Vitepsci vero ecclesiam parochialem ritus Graeci catholici, B. mae V. dictam. Reservantes sibi facultatem eligendi alia loca, prout oportunitas suadebit; et pro audientiae die et hora omnes dies omnesque horas ab octava antemeridiana usque ad tertiam pomeridianam cuiuslibet hebdomadae, non impeditos aliquo festo in honorem Dei vel Sanctorum eius, usque ad diem primam mensis aprilis anni currentis, et horis tertiarum et vesperarum cuiuslibet dierum observatis. Et ulterius tradiderunt mihi Alberto Branicki, Notario Apostolico, supradictas remissoriales et in actis huiusmodi causae registrandas, praesentibus ibidem supradictis Ill. mis et generosis Dominis Terrae Polocensis Officialibus, testibus ad praemissa specialiter adhibitis atque rogatis.



*(Tenor litterarum remissorialium)*

Tenor vero instrumenti litterarum remissorialium, interrogatorio-  
rum, et actorum supradictis DD. Iudicibus, ut praemittitur, praesenta-  
tarum talis est, ut infra, videlicet:

In nomine Jesu Amen. Franciscus Maria Episcopus Ostiensis Cardi-  
nalis de Monte, Sacri Cardinalium Collegii Decanus, S. Congregationis  
sacrorum Rituum Praefectus. Vobis Rev.mo D. Antonio Sielawa, Archie-  
piscopo Polocensi, et, eo absente vel impedito, Rev.mo D. Josepho Vela-  
min Rucki, Archiepiscopo Kiioviensi et Haliciensis ac totius Russiae,  
nec non RR. Patri Gennadio, Monasterii Polocensis Superiori, ac Pa-  
tri Hervasio, Superiori monasterii Mohiloviensis, Iudicibus per Nos ad  
infradicta specialiter deputatis salutem in Domino sempiternam, et no-  
stris huiusmodi imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. No-  
veritis quod alias exhibitis coram Nobis et hac Sacra Congregatione  
processibus auctoritate ordinaria sive per simplices relationes confec-  
tis<sup>5</sup> super vitae sanctitate, martyrio ac miraculis Servi Dei Josaphat  
Chuncevitii, Archiepiscopi Polocensis, una cum memoriali porrecto SS-  
mo D. N. Urbano VIII per Sacram Congregationem de Propaganda Fide,  
et ad eandem Sacram Rituum Congregationem per eundem SS.mum  
D. N. Urbanum VIII transmissis,<sup>6</sup> e visis et diligenter discussis et exami-  
natis huiusmodi actis, habita de praemissis fideli ac plena relatione,  
eadem Sacra Rituum Congregatio communi omnium voto censuit et  
decrevit, si eidem SS.mo D.N. videretur, ad specialem inquisitionem  
per novas probationes tam in Curia, quam extra deveniri. Cui Decreto  
SS.mus D. N. Urbanus VIII, et pro potiori cautela per speciale suum  
rescriptum eidem Sacrae Rituum Congregationi directum ad preces et  
ad instantiam dictae Sacrae Congregationis de propaganda fide verae  
orientis cognitionem causae, et earum verificationis seu probationis sanc-  
tissimae vitae, martyrii, et miraculorum praedicti Servi Dei remisit in-  
fradicti tenoris, videlicet: (2v)

POLOCEN. Beatissime Pater. Josaphat Chuncevitijs, vir ab adole-  
scentia sua singularis in Deum religionis, et vitae probitatis, anno 1604,  
viginti et aliquot annos natus, vitam monasticam sub regula S. Basilii in  
ritu Graeco catholico Vilnae amplexus fuit, in qua per aliquot annos  
nonnisi aquae potu utebatur et eo semper usus fuisset, nisi Superiores  
eius ob graves ventriculi dolores aliter ordinassent; sed tamen corpo-

<sup>5</sup> Etiam si sub NNr. 29-30 agitur de Brevi expediendo pro conficiendo Pro-  
cessu auctoritate apostolica (30 . IV . 1624), tamen, ut diximus, Processus hic nun-  
quam locum habuit. Etiam ex tenore interrogatoriorum, praesertim vero articu-  
lorum in his litteris remissorialibus positorum, deduci potest, fontem fere unicum  
fuisse « relationem » Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj (cfr. sub Nr. 3).

<sup>6</sup> Documentum originale huius memorialis non inveni in Archivio S. C. Ri-  
tuum. In hoc eodem Archivio desunt hodie etiam alia documenta S. C. Rituum,  
ipsum Processum Polocensem an. 1628 praecedentia. Et hoc sat mirum mihi vi-  
detur, nam plura alia, etiam minutissima, negotia in congregationibus S. C. Ri-  
tuum discussa fideliter adnotata inveniuntur. Mihi videtur, omnia respectiva  
documenta causam hanc S. Josaphat spectantia, collecta fuisse in aliquo separato  
fasciculo, qui postea temporum nequitia periit.

ris mortificationes toto vitae suae tempore continuavit; divinorum etiam meditationi, et sacrorum librorum lectioni incumbendo adeo profecit, ut multis annis populo praedicaverit ac tantam peritiam oppugnandi Schismaticorum et Haereticorum errores acquisiverit, ut a Catholicis flagellum hostium Domus Domini, a Schismaticis loco Josaphat « Duszochwat », quod raptorem animarum significat, vulgo vocaretur; theologicas vero difficultates circa misterium SS. mae Trinitatis et alia huiusmodi facilius intellexerit, quam subtilissimus quisque explicare potuisset. Quae omnia effecerunt, ut assumpto Josepho ex Archimandrita Vilnensi ad totius Russiae Metropolim, Josaphat in eius locum successerit. Et quia praedictum Vilnense monasterium in initio reformationis tunc erat, et non nisi monachos iuvenes continebat, idcirco archimandritae, concionatoris ordinarii, publici confessarii omnium omnis conditionis, et sexus, in ecclesia protopsaltis, in domo oeconomii officia maxima cum omnium satisfactione sustinuit; pauperum certum refugium, in componendis discordiis dexter et foelix, in cura animarum vigilantissimus fuit, multoties sex horis continuis in audiendis confessionibus sedebat, ordinarie de nocte surgebat et per campanam domesticam omnes excitabat, sed antea disciplinam praemittebat; iter agens ubicumque subsistebat confessiones excipiebat, alios, data pecunia, ad confessiones inducebat. Semel ob difficultatem transitus in principaliori Lithuaniae flumine, dicto Chrono lingua nativa Nemen, in littore multos homines reperit commoditatem transeundi expectantes, multi alii deinde supervenerunt, tantum cum illis egit, ut eorum omnium confessiones, antequam flumen pertransissent, audiverit. Demum, defuncto Gedeone Archiepiscopo Polocensi,<sup>7</sup> idem piaae memoriae vir in loco demortui post annos suae monasticae vitae suffectus fuit, in qua dioecesi late grassantem pestem Schismatis infra duos fere annos, Deo auxiliante, sedavit. Reperit quoque Clerum ex omni parte inordinatum, quem per synodos singulis annis celebratas et per locorum visitationes reformavit, bona suae Ecclesiae per diversos occupata, iure mediante, recepit. Ecclesiam cathedralem Polocensem, S. Sophiae nuncupatam, fere collapsam ingentibus sumptibus in eximiam pulchritudinis formam erexit. Dum haec (3) ille ageret homo quidam, Patriarcham Hierosolymitanum se vocans, ex Moschovia in fines Regni Poloniae venit, Pseudo Metropolitanum pro Metropoli Kiioviensi, et alios Pseudo Episcopos pro omnibus Episcopatibus Ruthenis legitime unitis, et inter caeteros pro Polocensi Meletium Smotricium creat,<sup>8</sup> qui confestim per totam Polocensem dioecesim ad Unionem conversis literas scribit, ne Josaphat uti illegitimo Pastori, papistae, haeretico, sed sibi vere orthodoxo, et a legitimo Pastore ordinato obedientiam praestent. Mittit cum his monachos quosdam et sacerdotes saeculares, qui omnes ab obedientia S. Antistitis, tum Warsaviae in Comitibus Ecclesiae, et Unionis firmandae gratia commoranti, reducerunt, et persuaserunt, ut dictum Meletium ad se vocarent, Josaphat vero pellere constituerunt. Sed ille hoc

<sup>7</sup> Gedeon Brolnickyj vita functus est anno 1618.

<sup>8</sup> Anno 1620, mense probabiliter Augusto. Nomen Patriarchae erat Theophanes.

accepto nuntio ad ovile accurrit, per civitates, et loca suae dioecesis discurrendo, errantes revocat, pertinaces edictis regalibus redigere cogit. Verum licet Polociae his studiis multum profecisset, Vitepsi tamen parum; quare cupiens illius civitatis malis occurrere ad eandem accedit. Quem Vitepscenses hilari, simulato tamen, animo suscipiunt, interim illi mortem intentant. Ad quem effectum, sub die XI Novembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, quemdam sacerdotem<sup>9</sup> schismaticum instruunt, qui convitiis ipsum Antistitem, et eius familiam insectaretur, cogitantes famulos Antistitis contra eum irruituros, quem illa occasione Schismatici opprimi iusta de causa posse existimarent. Summo ergo mane die Dominica, quae fuit 12-a dicti mensis, sacerdos ille schismaticus ante Curiam Episcopi subsistens ipsum Antistitem in ecclesia tunc pro matutino agentem, et eius famulos domi commorantes iniuriose tractavit, quem tandem famuli Episcopi comprehendunt. Unde subito tumultus fit in populo, ac in Curiam episcopalem irruunt, sed a famulis Archiepiscopi repelluntur. Audiens hoc Antistes confestim dictum sacerdotem dimitti iubet, ipseque ex ecclesia domum suam, per mediam hostium transiens, redit absque ulla laesione; sed eo vix domum ingresso Schismatici maximo impetu Curiam episcopalem aggrediuntur, et quia bonus Antistes prohibuerit, ne sua familia quemquam interficeret, in autem domus portam sine obice effringunt, et famulos gravissime vulnerant, inter quos duo prae omnibus maxime fustibus caesi fuerunt Archidiaconus Dorotheus, et Emanuel Cantacusenus, Maiordomus, ex nobilissima Cantacusenorum Constantinopolis familia, ante omnia autem optimus catholicus; miraculo certe ab omnibus adscriptum est quod supervixerint ad tam crudelem vulnerum inflictionem; ad clamorem familiae suae Antistes, post orationem in quodam eius domus penetrali factam, ad sicarios prodit, et signo crucis eos signans dicit: « cur occiditis insontes famulos meos? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum ». Obstupuerunt omnes, et a caede parumper cessarunt. Duo tamen per mediam turbam (3v) de foris irruunt, ex quibus unus fuste frontem Antistitis percutit, et in terram elidit, alter securi oblonga caput dissecat; et cum adhuc vidissent Antistitem manum movere, eundem ex atrio in aream domus extractum duplici globo traiciunt, et totum corpus confodiunt, et contundunt, canem super eodem dissecant, ut sanguine canis in maius ludibrium foedarent. Post haec idem corpus in viam publicam extraxerunt, ad quod accurrentes viri et faeminae illud pedibus calcabant, barbam et capillos capitis evellebant, in faciem expuebant supra idem sedentes vinum (quod crematum vocant) bibebant. Sed ecce nubis atra a fluvio Vidbla<sup>10</sup> superveniens super corpus Antistitis stetit, in cuius nubis medietate radius lucidus apparuit, qui paulatim se elevando evanuit. Tandem sicarii, iam temulenti, corpus denudant, et, cilicium loco indutii invenientes, alligato fune ad pedes corpus, solo cilicio tectum,

<sup>9</sup> Nomine Heliam.

<sup>10</sup> Fluvium Vidbla aquas suas parvas immittit flumini Duna (Dvyna) s. d. septentrionali, quod flumen transit per civitatem Vitebsk, directum occidentem versus usque ad Mare Venedicum (Balticum).



contumeliose per plateas raptant, ac denique ex supercilio montis valde ardui precipitem dant vociferantes: «ferma te Episcopo, ferma te!» Postea idem corpus in loco magis profundo fluminis Duna, appenso ad collum eius cilicio, quod in modum sacci saxis repleverant, et alligato grandi saxo ad pedes, submergunt. Post haec Magistratus Castrensis, et alii pii viri per quinque dies maximam de inveniendo corpore diligentiam fecerunt, sed illud nullatenus invenire potuerunt, donec lumine, ad instar fulminis ex aquis emicante, locus divinitus indicatus fuit, ex quo sexta die corpus extractum honorifice in ecclesia Arcis murata collacatum fuit. Inde octiduo post per Clerum ecclesiae cathedralis Polocensis, et Nobilitatem illius districtus per flumen Duna vectum magna comitante caterva, inter quos minister etiam Calvinistarum haereticorum cum suis asseclis, Juadaei quoque ipsi lachrymis corpus prosequerantur. At tandem Polociam advectum est, cui ingens hominum multitudo omnis aetatis, et sexus cum lacrimis, ac planctu occurrit, instrumenta martyrii eius praeferebantur usque ad ecclesiam dictam cathedralem Sanctae Sophiae, in qua omnibus ad videndum expositum per decem dies absque ulla mutatione permansit. Ante haec omnia cum dictus Antistes Polociae Vitepscum ire statuisset, quasi a Deo praemonitus districte praecepit, ut ante eius reditum sepulchrum in ecclesiae pariete pro eo excavaretur; postea etiam in via frequentissime de morte sermonem habebat; unde dum semel ad coenam cum gustu de morte loqueretur, ipsius Archidiaconus dixit, semper de morte loquitur, ad minus permittat nos nunc comedere. Eadem die qua Antistes occubuit a Polocensibus visa fuit columna lucida (4) supra Vitepscum. Post submersionem corporis, Magistratus Castrensis timens ne noctu sicarii in ecclesiam Curiae episcopali adiunctam irruerent, et res ecclesiasticas diriperent eo descendit. Cista, in qua res erant propria, nulliusque conatu aperiri potuit, quare etiam clausa duobus satellitibus ad Arcem ferenda tradita fuit; qui cum per locum, in quo Antistitis sanguine terra conspersa fuerat, transirent, cista ab eorum manibus excidit, et ultro se aperuit, ex quo calix exiit, et rectus in ipso sanguine stetit, et penes ipsum patena, stella et crux, sicut solent in altari locari. Quam veritatem Vicepalatinus, licet haereticus Calvinista,<sup>11</sup> vidit, et fassus est. Polociae, dum nemo necem Episcopi sciret, infans expergefactus e somno patri suo dixit: «Deum occisum fuisse»; cunque hoc idem replicaret interrogatus, quisnam est ille Deus, respondit: «Is qui ecclesiam aedificavit»; quod apud parentes nullius considerationis fuit, nisi quando rumor post aliquot horas de occiso Archiepiscopo Polocensi volitari coepit. Quapropter Sacra de Propaganda Fide Congregatio S.V. humillime supplicat ut, attentam supradicta relatione, et quod causa favorabilis existit, quoniam de martyrio agitur pro catholicae fidei defensione suscepto cum miraculorum opinione, dignetur absque eo quod alii processus auctoritate ordinaria firmentur<sup>12</sup> vel, si firmati fuerint, expec-

<sup>11</sup> Vicepalatinus Vitebscensis, Calvinista, anno 1623 erat Joannes Użeniecki.

<sup>12</sup> Haec cautio novum est argumentum, quod nullus Processus auctoritate ordinaria factus Varsavia Romam transmissus fuit ante annum 1628, excepta «relatione» Metropolitae J. V. Rutzkyj (cfr. Nr. 3).



tentur donec ad Romanam Curiam transmittantur in eaque recognoscantur, committere et mandare S. Rituum Congregationi, ut in hac causa procedebat cum facultatibus literas remissoriales, et compulsoriales concedendi et articulos admittendi, interrogatoria dandi, Iudices deputandi aliaque necessaria, et opportuna et si maiori et speciali indigerent expressione faciendi pro formatione processus de vitae sanctitate, et martyrio Josaphat Archiepiscopi Polocensis, et de eius miraculis tam in vita, quam in morte et post mortem ad effectum eos referendi S.V., ut ipsa postmodum possit in hac causa procedere, et ea omnia quae sacrorum canonum statuta, et S.R.E. sacri ritus, et charitas christiana postulaverint praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis stylo Palatii, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque statum pro plene et sufficienter expressis habendi. De mandato D.N.P.P. Audiatur S. Rituum Congregatio procedat ut petitur P.E.M.<sup>13</sup> Cuius commissionis, et rescripti vigore, ad instantiam praedictae S. Congregationis de Propaganda fide requisiti, quatenus pro examinandis testibus in Rom. Curia degentibus, ac pro aliis in suprainserta Commissione expositis, et narratis probandi et verificandi opportune providere dignemur ad Dei gloriam et S. Matris Ecclesiae exaltationem, fideique catholicae propagationem, volentes igitur ea quae a SS.mo D.N. committuntur, et quae in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione statuta sunt debitae executioni demandare, exposito Nobis et in Sacra Congregatione, ut ex dicta Commissione latius constat, nonnullos testes illic in civitate Polocensi, et locis adiacentibus adesse et reperiri, qui notitiam habeant de sanctitate vitae, martyrio, et miraculis eiusdem Servi (4v) Dei Josaphat, considerantes et aequum et iustum esse Dei gloriam, quae in Sanctis suis resplendet manifestam fieri, praesentes litteras ad vos dirigentes decernendas censuimus. Quamobrem pro parte eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide coram Nobis, et in Sacra Rituum Congregatione praedicta, exhibitis nonnullis positionibus, et articulis continentes vitam, mores, martyrium, virtutes, et miracula quaedam praedicti Servi Dei Josaphat, illisque per Nos admissis remissoriales et compulsoriales praesentes concessimus, vosque in iudicem et executorem illarum tam pro examinandis testibus, quam pro extrahendis scripturis necessariis et opportunis nominavimus et constituimus. Idcirco vobis omnibus, de quorum fide, integritate, et religionis zelo, nec non perpetua, et debita erga hanc Sanctam Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino confidimus, auctoritate nostra ordinaria huius Sacrae Rituum Congregationis, et respective apostolica, qua fungamur in hac parte, per praesentes committimus, et mandamus, ut vos ipsi, vel adminus duo ex vobis coniunctim ac simul vice nostra procedentes, omnes et singulos testes, literas, scripturas, instrumenta, monumenta, et alia quaevis probationum genera, quos seu quae coram vobis seu duobus saltem ex vobis simul et coniunctim praesentari, produci et compulsari contigerit a personis man-

<sup>13</sup> Sigla haec nihil aliud significat, nisi: P(lacet) + E(piscopus) M(affeo). Matthaeus (Maffeo) fuit nomen cardinalis Barberini, electi in Summum Pontificem anno 1623, sub nomine Urbani VIII (1623-1644).

data procurae legitimae habentibus iuxta interrogatoria ex officio iuxta decretum Congregationis, et super positionibus et articulis in praesentibus nostris contentis, quos et qua sub sigillo nostro inclusos, et inclusa transmittimus in calce praesentium registratis in ista civitate Polocensi, in ecclesiis aut locis piis per vos eligendis, seu deputandis pro tribunali sedentes admittatis, receptoque prius in manibus vestris ab ipsis testibus de veritate dicenda super iis super quibus examinabuntur, eosque primum iuxta dicta interrogatoria et deinde super positionibus, et articulis praedictis per vos, vel duos ex vobis saltem coram provido notario apostolico sive a vobis similiter deputando, qui coram vobis in manibus vestris solitum iuramentum praestet de fideliter exercendo officium scribae sive notariatus huiusmodi, diligenter examinantes ipsorum testium attestations, dicta, depositiones, nec non literas, scripturas, instrumenta, iuraque omnia coram vobis exhibita, et compulsata, nec non acta, citationes, et actitata quaecumque fideliter transcribi faciatis, et clausa vestrisque sigillis munita per fidelem nuncium ad nos transmitti curetis, significantes nobis qualis et quanta fides testibus desuper examinatis, iuribus, scripturis, ac monumentis praedictis exhibitis, et compulsatis habenda et praestanda sit. Ut autem omnia et singula praedicta liberius exequi valeatis eadem auctoritate, qua supra, vobis committimus et mandamus, ut Nuntium seu Nuntios pro citationibus faciendis et aliis mandatis, et decretis nostris exequendis deputare valeatis auctoritate nostra eundemque et testes praedictos ut se examini subiiciant, et privatos quoslibet, et Notarios et Archivistas scripturas, iura instrumenta quaecumque ad causam huiusmodi quomodolibet pertinentes et pertinentia habentes, ut eas (5) vel ea vobis exhibeant sub censuris et poenis ecclesiasticis, cogere et compellere possitis, omni et quacumque oppositione remota, et postposita, omnibus iuris et facti remediis opportunis rogatis et compellatis, cogique et compelli faciatis. Insuper vobis, Iudicibus, committimus, et mandamus, ut supra, et pro finali complemento praemissorum sepulchrum seu tumulum, in quo dictum reconditum corpus dicti Servi Dei Josaphat Archiepiscopi, et alias eius memorias existentes visitetis, atque aperiatis, illudque et illam seu illas cum omnibus et singulis circumstantiis, et qualitibus recognoscatis, et describatis, recognoscique et describi faciatis. Ita tamen ut ibi nec quisquam vestrum, nec quis vel aliquis alius cuiuscumque fuerit status, dignitatis, et conditionis Archiducalis, Regiae, Ecclesiasticae, vel laicalis, aliquid in dicto tumulo seu sepulchro ponere, vel ex eo subtrahere, auferre, vel subripere etiam ex devotione studeat, vel praesumat sub poena excommunicationis latae sententiae eo ipso auctoritate eiusdem Sacrae Congregationis, de qua supra, incurrenda, a qua non nisi a Romano Pontifice possit absolvi; sed omnia prout in visitatione et recognitione huiusmodi fuerint inventa, eodem in statu, modo et loco relinquuntur, et suo pristino statu reponantur. Actus autem visitationis et recognitionis huiusmodi respective sepulchri secreta fiat, adhibitis tamen iis personis, quas vobis placuerit pro testimonio ferendo de repertis, et alias introducere et adesse, ut concursus populi, et omnis occasio vel offensionis, vel periculi evitetur. In quibus omnibus exequendis, ut supra, vestram diligentiam ac curam, et qualem de vobis speramus fidem adhibere, ut in

praemissis ita vos gerere studiat, ut et gratiam ab hac Sacra Congregatione inire, ac retributionem laboris vestri ab Altissimo consequi possitis. In quorum fidem omniumque et singulorum praemissorum testimonium praesentes manu nostra, nec non infradicti Prothonotarii Apostolici de numero participantium ad acta Canonizationis pro tempore deputati, ac eiusdem S. Congregationis Rituum Secretarii munitum fieri, expediri, et relaxari mandavimus.

Datum Romae in Palatio nostrae solitae residentiae Anno a nativitate D.N. Jesu Christi, ac iubilaei MDCXXV, Indictione octava, Die vero vigesima quinta mensis Septembris, Pontificatus SS.mi in Christo Patris, et D. N. D. Urbani divina providentia Papae 8-i, anno eius tertio, praesentibus ibidem DD. Carolo Gheto, et Matthaeo Moreto familiaribus nostris ad praemissa omnia, et singula vocatis, habitis, atque rogatis.

Tenores vero interrogatorium nec non positionum et articulorum sicut ponuntur in huiusmodi causa Canonizationis Servi Dei Josaphat datorum, exhibitorum, ac productorum, et per eundem Ill.mum D. S. Congregationis Rituum Praefectum ad probandum admissorum, unde et de quibus supra fit mentio, et hinc talis.

Ill.mus et Rev.mus D. Franciscus Maria Episcopus Ostiensis Cardinalis de Monte Sacri Collegii Decanus ac Sacrae Congregationis supra dictae Praefectus, a SS.mo D.N. Urbano VIII constitutus in causa Canonizationis supradicta Servi Dei Josaphat ex officio, et decreto eiusdem S. Congregationis mandavit testes producendos, et examinandos super excellentia vitae, martyrio, sanctitate, et miraculis illius, antequam super articulis examinentur, praemisso iuramento scripturis tactis, iuxta omnia, et singula interrogatoria infrascripta diligenter, et fideliter interrogari. (5v)

*(Interrogatoria in literis remissorialibus inserta etc.)*

Imprimis moneatur quilibet testis de gravitate periurii in similibus causis Canonizationum, cum agatur de sanctitate, et miraculis, uti est haec praesens causa, super qua est examinandus.

1. Item interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, parentibus, exercitio, et an sit dives, vel pauper, et cuius expensis vivat.
2. Item interrogetur, an sit eo anno confessus peccata sua tempore Paschatis, et cui confessori, et in qua ecclesia, et pariter an sumpserit Sacram Eucharistiam, et per manus cuius sacerdotis, et quibus praesentibus.
3. Item interrogetur, utrum citatus, vel sponte veniat ad examen huiusmodi.
4. Item an fuerit, doctus, et instructus, quid et quomodo respondere deberet, an aliquid sibi fuerit datum, promissum, vel omisum, aut remissum ad hoc ut se examinaret, et quid, et a quo.
5. Interrogetur an ipse testis unquam viderit, vel cognoverit, vel alias nominare audiverit Josaphat Archiepiscopum Polocensem, et si dixerit illum vidisse, vel cognovisse,
6. Interrogetur ubi eum vidit, cum qua occasione, de quo anno, et an



cum ipso fuerit allocutus, et per quot vices, et qua de causa, et an solus, vel associatus, si autem dixerit nominari audivisse,

7. Interrogetur a quo seu qua illum nominari, et pro quali persona communiter teneri audiverit, et an ii, qui illum nominabant, et de eo loquebantur, essent personae graves, ac timoratae conscientiae et per quot vices illum sic nominari audivit, et cum qua occasione.
8. Interrogetur an sciat dictum Josaphat reputatum fuisse, atque hodie reputari pro sancto, et magno Dei famulo, et pro tali venerari, et si dixerit quod sic,
9. Interrogetur quomodo id sciat, quibus signis id cognoverit, in quo loco, de quo tempore et causam sui dicti cum loco, loco loci, tempore et contestibus.
10. Interrogetur, an sciat dictum Josaphat pro fidei catholicae defensione martyrii palmam assecutum fuisse, in quo loco, et quomodo, ubi sepultus fuerit, et quo anno, et in qua opinione populi obierit, et an talis opinio deinde continuatur, et quae opinio de eo hodie vigeat.
11. Item interrogetur an sciat, vel dici audiverit, eiusdem Servi dei Josaphat meritis, et intercessione Omnipotentem Deum D. Nostrum operatum fuisse aliqua miracula, et an unum vel plura, et an in uno, vel in pluribus locis.
12. Item deveniendo ad articulos super quolibet interrogetur de causa scientiae, loco, loco loci, tempore et contestibus.
13. Et quoad miracula, de quibus testes deponunt, in specie interrogetur quilibet super singulo (6) super quo fuerit inductus, quam causam et rationem reddat per quam concludat illud fuisse miraculum, et an illa sanatio vel curatio de qua deponet, potuerit vel possit tribui medicamentis, et operibus humanis, vel potius illorum vires excesserit, et supra naturae facultatem emanaverit, et quas circumstantias, et causas adducat propter quam concludat talem sanationem, et curationem tribuendam divinae gratiae, meritis ac intercessione Servi Dei Josaphat emanatam, et an fuerit in instanti, vel ex intervallo, et an invocatio ipsius Servi Dei Josaphat, et illius intercessio apud Deum fuerit prius, et in ipso actu implorata, ac orationes et preces praecesserint, et quomodo id sciat, locum, tempus, et testes exprimendo.

In reliquis suppleat integritas, atque prudentia DD. Iudicum examinare debentium, in quorum arbitrio sit addere, vel minuere quidquid libuerit, et aliqua ex positis interrogatoriis omittere, prout expedire videbitur.

*(Articuli etiam in literis inserti)*

1. Abbas Victorius Acurensis, Maronita, prout in causa Beatificationis, et Canonizationis Servi Dei Josaphat Chuncewicz Archiepiscopi Polocensis ad docendum in specie de illius fide, sanctitate vitae, martyrio, et miraculis, et ad omnem bonum finem, et effectum dat, facit, et exhibet articulos infrascriptos ad quos probandum se admitti, et super eis testes examinari, et examinatos, quantum opus sit repetere ubicumque opus fuerit, petit, et instat, nec non ad eos



- probandos reproducit omnes scripturas et acta usque ad hanc diem in dicta causa confectas, et confecta, non tamen se adstringens ad onus superfluae probationis de quo expresse protestatur praemisso, et omni alio meliori modo etc.
2. Item procurator praedictus dicit, et quatenus opus est probare vult et intendit, quod in civitate Vilnae, seu alibi in Regno Russiae nobilissima natus est venerabilis vir Josaphat ex catholicis parentibus, quorum nomina annum, et diem testes specificabunt in processibus, et de hoc fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, manifestum.
  3. Item quod ab iisdem parentibus Servus Dei et Martyr Josaphat Chuncewicz baptisatus fuit more Catholicorum, et Josaphat in ipso baptisate vocatus est, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  4. Item quod dictus Dei Servus, et Martyr a parentibus in fide catholica pie et christiane aducatus, et praecipue doctrinae, pietatis, aliarumque virtutum principiis imbutus est, adhibitis etiam optimis, et catholicis praeceptoribus, qui illum edocuerunt literas et optimos mores, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  5. Item ponit quod in ipso adolescentiae suae initio fuit singularis in Deum religionis, et vitae probitatis, assiduus erat in ecclesia SS. mae Trinitatis Unitorum Vilnae, praesens erat officiis divinis quae singulis diebus in illa ecclesia monastico more peragebantur, nec Matutinum, quod ante diluculum celebrabatur, omittebat, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum. (6v)
  6. Item ponit quod licet a supradicta ecclesia Schismatici illo tempore, quo Unio in illis partibus incipiebat, fere omnes Catholicos abstraxissent, ita ut die festo vix viginti personae utriusque sexus in illa ecclesia numerarentur, et ex Clero unus tantum aderat monachus, Archimandrita nuncupatus, e contra vero Schismaticorum magna multitudo ad ecclesiam ita confluebat, ut eos capere non posset, ut est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  7. Item ponit quod ipse Josaphat a Deo edoctus (non enim tunc ex unitis Vilnae quispiam reperiebantur, qui ea quae ad unionem pertinebant ipsum iuvenem doceret) ex ecclesia non discedebat, sed ipse in ea erat Cantor, ipse Lector, ipse denique non infrequenter campanas pulsabat, quae omnia libenter praestabat et gratis, et cum dispendio suarum occupationum, quibus detinebatur inserviens cuidam Civi Vilnensi mercatori,<sup>14</sup> de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  8. Item quod postquam servitiis praedicti mercatoris se tradidit, non solum domi, sed etiam in officiis mercatoriis lectioni librorum spiritualium, et orationi intentus erat, ut etiam eo modo ad emendas

---

<sup>14</sup> Mercator Vilnensis, nomine Hyacinthus Popowicz, qui simul erat et Consul Vilnensis.

merces invitaret transeuntes, quod in more est mercatorum illarum partium, et de hoc fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.

9. Item quod anno Domini millesimo sexcentesimo quarto, viginti et aliquot annos natus, monasticam vitam sub Regula S. ti Basilii in ritu Graeco Catholico in dicta ecclesia SS. mae Trinitatis Vilnae amplexus fuit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
10. Item quod Servus Dei per aliquot annos non alio potu, quam naturalis aquae usus est, et forsitan in toto vitae suae curriculo ab incepto non destitisset, nisi Superior ob graves ventriculi dolores, quibus eam ob causam vexabatur, aliter praecepisset, sed tamen corporis mortificationes, et cilicia, disciplinas, ieiunia, et vigiliis non dimisit, imo toto suae vitae spatio iis omnibus continuo utebatur, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
11. Item ponit quod assiduo divina meditabatur, ac librorum lectionem, et Sanctorum Patrum dicta diu noctuque pervolvebat et brevi tempore cum omnium aedificatione, et admiratione adeo his omnibus profecit, ut eximius praedicator evaserit, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
12. Item ponit quod nullam aliam linguam praeter sclavonicam, et polonicam callebat, sed ea tam docte confutabat Schismaticorum, et Haereticorum errores, ut eximius theologus (7) et doctissimus ab omnibus reputaretur, praeterea a Catholicis Schismaticorum, et Haereticorum flagellum, a Schismaticis loco Josaphat mutato nomine « Duszochwat », nempe raptoris animarum nomen adeptus est, de quo fuit, et est publica vox, et fama, publicum, notorium, et manifestum.
13. Item ponit quod tam felix fuit ingenii, ut subtilissimas quasque theologicas difficultates, nempe mysterium SS. mae Trinitatis, Incarnationis et alia huiusmodi facilius ipse perciperet, quam subtilissimus quisque theologus eidem explicare potuisset, tam mirabili memoria praeditus erat, ut quaecumque legisset, vel audivisset ab aliquo memoria retinisset, ita ut Cronicam, vel omnium librorum, et Sanctorum Patrum diceret illum fuisse thesaurum, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
14. Item ponit quod his omnibus virtutibus insignitus, assumpto Josepho ex Archimandrita Vilnensi ad totius Russiae metropolim, ipse Josaphat in ipsius locum successit, et quia tum monasterium in initio reformationis erat, et in eo non aderant nisi pauci monachi iuvenes, et inexperti, qui literis operam dabant, Archimandritae, et Concionatoris, ac publici Confessarii monachorum, monialium et saecularium utriusque sexus munus in ecclesia suscepit. Domi vero Oeconomum vigilantissimum maxima omnium satisfactione se exhibuit. Pauperum, viduarum, et pupillorum oppressorum erat certum refugium; in componendis discordiis dexter, et in cura animarum diligentissimus. In ipsis reformationis initiis in monasterio

- duo sacerdotes tantum aderant; Servus Dei multam rusticorum turbam ad monasterium duxit, ut eorum peccata sacerdotibus confiterentur, et cum alter ex dictis sacerdotibus confessiones excipere nollet, Servus Dei tum diaconus tot lacrimas, et preces effudit, ut sacerdotem ad audiendas confessiones adduxerit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
15. Item ponit quod quamplurimos a Schismate, et haeresi ad gremium Ecclesiae Catholicae reduxit, propterea eorum Pater appellatus est; in laboribus adeo indefessus erat, ut humanas vires superare videretur, nam saepissime sex horas in confessionibus excipiendis sedebat, hyeme a ferna, aestate a secunda post mediam noctis hora surgebat, campanam domesticam pulsans omnes excitabat, licet Superior esset; singulis diebus disciplina, seu flagellis se caedebat, et ab illa hora usque ad noctem in continuis occupationibus extabat, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
16. Item quod in audiendis confessionibus quam maxime delectabatur, propterea per viam quocunque ibat, et ubicumque pernoctabat, confessiones audiebat, et aliquos data pecunia ad peccatorum (7v) confessionem induxit. Cum vero Lithuaniae flumen Chronos<sup>15</sup> transire non potuisset, et ad ripam fluminis spatio unius diei et amplius commorari compulsus esset, multos ibi homines reperit multique alii supervenerunt, quorum omnium confessionem audivit, neminemque transire permisit, nisi confessione praemissa, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
17. Item ponit quod defuncto Gedeone, Archiepiscopo Polocensi, idem Servus Dei ad Archiepiscopatum tam temporalibus quam spiritualibus destitutum post suae monasticae vitae quindecim annos cum omnium acclamatione et laetitia, invitus, assumptus est, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
18. Item ponit quod Archiepiscopatus iste est in Alba Russia, in confinibus Moscoviae, sic dictus non quod alios Episcopos sub sua iurisdictione habeat, sed quia ab antiquo primum locum post Metropolitanum inter alios Ruthenos Episcopos habuerit idem Archiepiscopus. Satis amplam habet dioecesim, continetque inter alias plures minores tres praecipuas civitates, Polociam, a qua etiam nomen habet, Vitepscum et Mscislaviam, quae omnes ab antiquo tempore titulo Palatinatus, a Ser.mis Poloniae Regibus sibi indito, gaudebant, de quo fuit, et est publica vox et fama.
19. Item ponit quod in hac universa dioecesi, et praesertim in dictis civitatibus, dictus Antistes Schismatis pestem reperit late grassantem, quam post duos fere annos, Deo iuvante, non exiguo labore, singulari industria et prudentia non solum sedavit, sed extinxit, ita ut vix aliqua vestigia remanserint, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.

<sup>15</sup> Nemen in lingua vulgari.



20. Item ponit quod ecclesiam cathedralem Polocensem S. Sophiae fere collabentem reperit, et clerum synodalibus decretis, quae singulis annis celebrabat, reformavit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
21. Item ponit quod bona dictae Ecclesiae, a diversis occupata, magna cum industria recuperavit, alia illius praedia ad culturam reduxit, domos, et integras Curias aedificavit, ecclesiam ipsam ingentibus sumptibus pulcherrimam brevi tempore erexit, et ampliavit, et de hoc fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
22. Item ponit quod dum haec Servus Dei ageret, homo quidam, Patriarcham Hierosolymitanum se vocans, in fines Regni Poloniae venit ex Moschovia, Pseudoepiscopum pro Metropolitano Kiioviensi, et alios Pseudoepiscopos pro omnibus Episcopatibus Ruthenis, qui tunc legitime uniti sunt, singulos pro singulis nominavit, inter caeteros autem pro Polocensi Meletium Simoniacum<sup>16</sup> creat, qui confestim per totam Polocen ad unionem conversis necdum in ea perfecte firmatis scripsit literas, ne Josaphat, eorum Pastori illegitimo et haeretico, (8) Papistae, non orthodoxo, sed sibi vere legitimo, orthodoxo, ac a legitimo Pastore ordinato praestent obedientiam. Cum quibus ministros Sathanae quosdam monachos, aut saeculares sacerdotes, misit, qui omnes ab obedientia dicti S. Antistitis, tunc Varsaviae in Comitibus Ecclesiae et Unionis firmandae gratia commorantis, totam dioecesim perturbarunt, ac omnes ab Unione ad Schisma veluti canes ad vomitum reduxerunt. Vix aliquis remansit, qui fidelem David sequeretur, omnes post haereticum Antistitem abierunt eique obedientiam praestiterunt, illum in Episcopatum ad se venire desiderantes, verum Pastorem pellere constituentes, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
23. Item ponit quod cum bonus Pastor audivisset tristem et inopinatum nuntium ad ovile suum currens a rapacibus lupis devastatum, ac dispersum invenit, attamen non cecidit, sed ut verus Pastor oves suas non deserit, deperditas ad munitum ovile reducere conabatur, per civitates et loca suae dioecesis hac illuc errantes revocabat, pertinaces edictis regalibus redire cogebat, Meletium Symoniacum, ne in ovile irrumperet, inde arcuit. At ipse bonus Pastor licet Polociae, Archiepiscopali Sede, in his multum profecisset, in aliis tamen civitatibus, et praecipue Vitepscii parum; quin imo haec sola civitas contra omnem spiritualem et saecularem totius Regni potestatem ausa est, et duas synagogas contra omnes alias ecclesias unitas extruxit, in quas sacerdotes schismaticos a Meletio Pseudoepiscopo Simoniaci quasi ordinatos introduxit, qui populum in legitimum Pastorem concitarent, et Unionem labefactantes in Schismate continerent, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.

<sup>16</sup> Error scribae, nam debet esse « Smotricium ».



24. Item ponit quod sanctus Antistes cupiens praedictis suis ovibus succurere, denuo Vitepscum civitatem petiit, quem cives hilari simulato vultu venientem Pastorem ac Patrem susceperunt, et ad dirimendas quasdam eorum dissensiones arbitrum constituere simulant, sanctumque virum perdere, ac interficere excogitarunt, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum notorium, et manifestum.
25. Item ponit quod die undecima novembris, millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, constituerunt et instruxerunt quendam sacerdotem schismaticum,<sup>17</sup> qui contumeliose convitiis et iniuriis ipsum Antistitem, ubicumque eum cum sua familia reperisset, insectaretur; qui scelestus sacerdos omnia ad exitum perduxit; existimabant enim Schismatici a famulis Archiepiscopum defendendum esse ab iniuriis, et contumeliis, quibus eum sacerdos affliciebat; dicebant enim inter se: vel sacerdotem oppriment, vel in carcerem tradent, si unum aut alterum contigerit, iusta de causa Antistitem opprimere poterimus; et sic ante diem Dominicam, quae fuit duodecima novembris, (8v) ordinarunt. Summo mane, quando sanctus Antistes ad recitandas preces matutinas ad suam ecclesiam accedebat, sacrilegus sacerdos ante domum Episcopi, qui licet optimum Pastorem absentem, et eius famulos domi commorantes iniuriis et calumniis affecisset, tandem illum sacerdotem ceperunt, et in quadam coquina recluserunt; quapropter subito magnus tumultus in populo excitatus est, campanae ubique pulsatae, et in Curiam episcopalem, absente sancto Antistite, irruerunt, qui a famulis dicti Antistitis caesi fuerunt, et de hoc fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
26. Item ponit quod haec omnia audiens ipse Pastor bonus in ecclesia statim dictum sacerdotem dimitti iussit ipseque, qui eadem die pontificali habitu celebraturus erat, ex ecclesia domum suam per medium hostium transiens absque ulla laesione rediit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
27. Item ponit quod vix domum ingressus Schismatici maximo cum impetu Curiam episcopalem aggressi fuerunt, a qua licet a famulis Archiepiscopi repelli potuissent, prohibuit tamen, ne dicta sua familia eos interficeret. Sed ipsi ardentius institerunt, et fracta ianua maiori domus famulos se opposcentes invaserunt, plerosque eorum cum globis bombardarum, et gladiis gravissime vulnerarunt, inter quos duo prae omnibus maxime vulnerati, et fustibus caesi fuerunt; Archidiaconus Dorotheus ter positus in terra fustibus vulneratus extitit, et dum mortuus putaretur, et postea vivens apprensus ex atrio domus ad aream tractus iterum usque ad mortem caesus extitit, sed cum adhuc viveret, tertio in Coemeterio caesus fuit, et sic ipsum mortuum putantes in Coemeterio relinquerunt; supervixit tamen, quod ab omnibus miraculo adscriptum est, cum publice et communiter omnes diceret moriturum, de quo fuit, et

---

<sup>17</sup> Heliam.

- est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
28. Item ponit quod alter Emanuel Cantacusenus, natione Graecus, ex nobili familia Constantinopolitana Cantacusenorum, qui posquam Regiam Moschoviam a Ser.mo Rege Sigismundo tertio cum patriarcha Moschoviensi viro optimo Ignatio multis relictis possessionibus illas in partes accessit, vir omni ex parte laude dignissimus, optimus catholicus, ad conclave Antistitis appropinquantibus ipsis sicariis in ipso atrio restiterunt, sed ab his circumventi gravibus, et pene innumerabilibus vulneribus affecti relictis sunt, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum. (9)
  29. Item ponit quod ad tam crudelem vulnerum inflictionem, et clamorem familiae dictus Antistes ex oratione, quam in quodam penetrali eius domus in terra provolutus ad Deum effundebat, tamquam e somno experrectus ad sicarios occurrit, signoque crucis se signans eis dixit: « cur sic affligitis famulos meos innocentes? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum ». Obstupuerunt omnes et a caede parumper se abstinuerunt, nullusque ausus est loqui, et nemo ex circumstantibus manum in illum immittere, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  30. Item ponit quod duo per mediam turbam de foris irruentes in ipsum sanctum Antistitem manus iniecerunt, quorum alter innocentem Pontificem in fronte supra oculum percussit, et in terram deiecit, alter securi oblonga, « Bardysz » vulgo nuncupata, sacrum caput dissecuit, ac denique alii omnes totum corpus confoderunt, et contunderunt caput, ut vix forma hominis in facie remansit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  31. Item ponit quod neque hic finis immanitatis fuit, cum enim illum mortuum esse existimarent ad alios furorem suum converterunt, et cum vidissent ipsum sancti Antistitis manum moveri, statim ipsum arripuerunt, extraxeruntque ex atrio in aream, et ibi duplici globo bombardae percussus spiritum Deo reddidit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  32. Item ponit quod canem Antistitis, qui latratu et morsu suo a corpore Domini sui illos sacrilegos arcebat, supra corpus Archiepiscopi dissecuerunt, et eius sanguine in maius ludibrium sacrum corpus foedarunt, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  33. Item ponit quod ipsum corpus in viam publicam extraxerunt, ibique ad omnes irrisiones, et opprobria exposuerunt, ad quod concurrerunt non tantum viri, et pueri, sed etiam senes, foeminae, et vetulae, illud pedibus calcantes, barbam et capillos evellentes, in faciem expuentes, super illud sedentes, vinum, quod ipsi vocant crematum, bibentes, his et aliis ignominiiis, et iniuriis sacratum corpus afficientes, suam sitim explentes in ipsum Episcopum debacchati tanquam a triumpho discesserunt, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  34. Item ponit quod sicarii praedicti, vino temulenti, cadaver Martyris Antistitis spoliantes cilicium loco indusii invenerunt, propterea

- Episcopum se occidisse non credebant, sed alium quempiam monachum pro Episcopo interfecisse existimabant dicentes: « Archiepiscopum tenuibus indusiis, ex tela factis, uti consuevisse », adducunt ergo nonnullos famulos, quos captivos tenebant, (9v) ab iis exquirunt, num dominus ipsorum esset quem occiderunt, et quem cilicio indutum invenerunt; affirmant famuli illum esse dominum suum Archiepiscopum, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
35. Item ponit quod cum iam ex famulis cognovissent vere Antistitem illum fuisse, quem trucidaverunt, sacrum Martyris corpus, alligato ad pedes fune, solo cilicio tectum, contumeliose traxerunt, ac denique ad supercilium montis alti, ac valde ardui civitatis tractum ex eo praecipitarunt, vociferantes: « firma te, Episcopo, firma te ». His vero non contenti corpus in scaphulam positum in locum fluminis magis profundum, appenso eius cilicio admodum sacci lapidibus repleto ac alligato grandi saxo ad pedes, submerserunt, ut nullus inde postea corpus Martyris posset extrahere, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
36. Item ponit quod protinus dicti sicarii ad domum Archiepiscopi redeuntes omnia devastarunt, nihil penitus intactum relinquentes, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
37. Item ponit quod post haec Magistratus Castrensis, et alii pii homines tribus diebus, magna adhibita diligentia, corpus Martyris in flumine exquisiverunt, sed illud nullatenus invenire potuerunt, donec lumen ex aquis ad instar fulguris emicans divinitus locum indicavit; quo duce, ad perpetuam Schismaticorum confusionem, omnium Catholicorum laetitiam, sexta die corpus ex aquis extractum est, et honorifice in ecclesia Arcis murata per Magistratum Castrensem collocatum est, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
38. Item ponit quod paulo post a Clero ecclesiae cathedralis Polocensis, et Nobilitate illius districtus per flumen Duna, civium magna comitante caterva, etiam ministrorum haereticorum et Calvinistarum cum suis asseclis, sacrum corpus deductum est; et tandem dum Polociam adducebatur ingens hominum multitudo omnis aetatis ac sexus cum lacrimis ac planctu venienti Martyri occurrit, instrumenta martyrii illius, cilicium, lapides, et funes quibus adstrictus per plateam raptatus, et in flumen proiectus fuerat deferentes ac tandem, videntibus ipsis Schismaticis, in ecclesia cathedrali ab ipso Martyre exstructa collocatum, ac omnibus ad videndum expositum per decem dies absque ulla mutatione permansit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum. (10)
39. Item ponit quod ante haec omnia cum Antistes Polocia Vitepscum petisset, quasi a Deo praemonitus praecipit sibi in ecclesia parietem ante illius reditum excavari; propterea in via, et ubique frequentissimum de morte sermonem habebat; quare cum semel ad coenam cum gustu, et diutius quam audientes ferre possent de morte loqueretur, ipsius Archidiaconus prorupit dicens: « semper de mor-



- te loquitur, saltem nunc permittet nos comedere », de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
40. Item ponit quod eadem die, qua Sanctus morte occubuit, a Polocensibus, quorum civitas viginti quattuor leucis polonicalibus distat Vitepsco, visa fuit columna lucida supra Vitepscum post submersionem Martyris, quod fuit, erat, et est publicum, notorium, et manifestum, ac de quo publica vox et fama.
  41. Item ponit Antistitem praedictum pro Ecclesia Dei, et fide catholica Romana non solum se periculis commisisse, sed etiam suum sanguinem effudisse, et vitam ipsam pro Deo, ovibus, et fide catholica posuisse, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  42. Item ponit quod Martyr a Deo omnibus virtutibus theologalibus ornatus fuit, et imprimis fide catholica claruit, ita ut omnia a Deo impetrare non dubitaret; quam fidem catholicam a puero usque ad extremum spiritum vitae summa cum constantia publice et clam, spretis hostium minis et insidiis, tutatus est, propterea Schismaticorum errores pravitatesque ac Haereticorum haereses non solum impugnare, sed etiam expugnare, quantum poterat, conabatur, multos Schismaticos cum Ecclesia Catholica univit, erratas ad Romanum ovile reduxit, fideles in vita, et orthodoxa fide confirmavit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium et manifestum.
  43. Item ponit quod articulos fidei non solum in civitatibus, sed etiam in tota sua dioecesi publice et privatim omnes docuit, ignarosque erudivit, ut bonus magister, et fidelis servus, et ut catholicus et christianus Praeceptor, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  44. Item ponit quod dictus Martyr in omnibus Sacrarum Literarum monumentis versatus, Sanctorum Patrum expositionem, et doctrinam optime calluit, propterea fidei zelo commotus, Deo inspirante et excitante, divinum verbum, Pauli Apostoli exemplo concitus, Christi evangelium, fidem catholicam, virtutes omnes omnibus Christi fidelibus evangelizabatur, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  45. Item ponit quod diu noctuque in inserenda fide catholica, virtutes omnes in Christi fidelium pectoribus, (10v) in extirpandis zizaniis ab agro Christi, ab inimico hominis seminatis, in expurgandis Haereticorum perversitatibus, in uniendis Schismaticis laborabat, ut manipulos in horrea Christi reportaret, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  46. Item ponit qualiter ad catholicam doctrinam tum Catholicos, tum Haereticos concionibus vitaeque exemplo alliciebat, et ad pios mores ardentissimo animi studio omnes hortabatur, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
  47. Item ponit quod Servus Dei tanta spe praeditus fuit, ut maximos labores, et iniurias sustinuerit, ut ad coelestem patriam, et aeternam requiem pervenire potuisset; propterea in Religione Sancti Basilii monachus effectus est, in qua vigiliis assiduis, ieiuniis, ora-



- tionibus, corporis lacerationibus, et omnium virtutum generibus se tradidit, et tandem pro Deo, et fide catholica, pro spe vitae aeternae sponte gladiis inimicorum corpus suum obiecit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
48. Item ponit quod summo amore Deum Opt. Max. prosequatur, cuius gloriam summo in honore habuit, et in omnium hominum animis inserendam esse exoptavit; propterea continuis orationibus, et meditationibus, quae mentem in Deum elevant, incumbere, pro Dei honore, et gloria tum pericula tum labores tum persecutiones tum hostium insidias, denique ipsum martyrium aequo animo sustinuit, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
49. Item ponit quod proximum amavit, et omnes benigne tractabat, pro quorum salute Deo Missae sacrificium, preces et omnes suos labores, vigiliisque offerebat, deprecabaturque Christum Salvatorem, ut omnes salvos faceret, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
50. Item ponit quod zelo salutis exardescens a praedicatione Evangelii se continere non poterat, propterea et Haereticis, et Schismaticis divinum verbum, sanam doctrinam, virtutis vitia, inferorumque poenas terroresque annuntiabat; quibus quamplurimos Haereticos ad fidem catholicam, quamplurimos Schismaticos ad Romanam Unionem, fere omnes Catholicos ad virtutes amplectendas convertit; et ut animas ex daemonis manibus eriperet in audiendis confessionibus fere totum diem consumebat; qui tum in ecclesiis tum domi tum etiam in agris fidelium confessiones excipiebat; sciebat enim media confessione homines cum Deo uniri, de quo fuit, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum. (11)
51. Item ponit quod cum Martyr humilitatem omnium virtutum esse matrem, et sine qua nullum bonum opus perfectum esse posse cognovisset, eam a puero excoluit, et in omnibus suis actionibus tantam virtutem sequebatur, ut ab eius negotiis nunquam diverteret, qua duce contemptibilia quaeque summo in honore habuit, et se ipsum despiciendum esse exultabat, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
52. Item ponit quod huiusmodi humilitatis virtute duce adeo profecit, ut se omnium peccatorum maximum existimaret, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
53. Item ponit quod quia paupertas homines Christi fratres efficit, illam summo desiderio exoptavit, quocumque vocantem secutus est in Religione, in omnibus honoribus, ac dignitatibus; propterea omnia sua bona tum pauperibus, tum ecclesiis aedificandis distribuit, ipseque cilicio contentus erat, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
54. Item ponit quod sese in omnibus tum in saeculo tum in Religione quam maxime obedientem exhibuit; primo quidem Deo, deinde Romano Pontifici, et omnibus suis Superioribus; hac virtute duce sese, caputque suum omnibus periculis, et persecutionibus obiecit; sacrum Evangelium praedicans, fidem catholicam in omnium pectoribus

- inserendam esse cupiens, ita factus est obediens, ut mortem martyrii libentissime passus sit, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
55. Item ponit quod dictus Dei Servus virtutem religionis quam maxime amabat, propterea mira in Deum, et omnes Sanctos, praecipue in Sanctissimam Dei Genitricem ferebatur pietate, ad quam complectendam omnes Christi fideles hortabatur, et omnes eius ceremonias, et consuetudines ecclesiasticas quam maxime observabat, et de hoc fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
56. Item ponit quod ab omnibus tum in vita tum in morte tum post mortem ut maximus Dei Servus, Martyr, Sanctus est habitus et reputatus, prout habetur et reputatur; ad quem viventem praecipue maximus populorum concursus confluebat, sicuti etiam hodie ad eius sepulchrum confluit, eiusque sanctitatem, castitatemque omnes venerabantur, et admirabantur; de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum. (11v)
57. Item ponit quod diem obitus eius observat totus populus, eius imagines, reliquias, habitumque veneratur, cui tabellas, et vota tum aurea tum argentea, lampadesque accensas appendit, orationes fundit, eius orationi intercessionique se commendat, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
58. Item ponit quod fidelium pietas erga Martyrem non solum in civitate Polocensi, et Luceoriensi, sed etiam fere in tota Polonia, Russia, ac Religione S. Basilii in dies magis magisque crescit, eius imagines ubique colunt, et venerantur, multi apud se eas privatim habent, et multi a Deo multa, eo intercedente, impetrant, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
59. Item ponit quod corpore Beati exanimi in viam publicam ad opprobria, et iniurias extracto, ecce nubis atra a fluvio Vidbla superveniens super corpus martyris Antistitis stetit, in cuius medio lucidus radius apparuit, qui paulatim se elevans avanuit, quo spectaculo quamplurimi permoti accurrerunt ad dictum locum non tamen Episcopum occisum spectantes, sed etiam illum ipsum radium contemplantes, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
60. Item ponit quod post submersionem corporis Martyris in flumen Magistratus Castrensis, et alii pii homines tribus diebus, magna adhibita diligentia, ipsius Martyris corpus in flumine inquirebant, sed illud nullatenus invenire potuerunt, donec lumen ex aquis ad instar fulguris emicans divinitus locum indicavit, quo duce, ad perpetuam Schismaticorum confusionem, omnium Catholicorum laetitiam, sexta die corpus ex aquis extractum, et honorifice in ecclesia Dei murata per Magistratum Castrensem collocatum est, de quo fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum.
61. Item ponit quod eodem die, quo Sanctus morte recubuit, a Polocensibus, quorum civitas viginti quattuor leucis polonensibus Vitepsco distat, visa fuit columna lucida supra Vitepscum, pos submersionem Martyris.

62. Item ponit quod Magistratus Castrensis timens ne noctu sicarii in ecclesiam Curiae archiepiscopalis incurrerent ac res episcopales diriperent eo discendit. Cista in qua res ecclesiae erant, clavi munita nullo conatu, etiam ab eo qui illam aperire consueverat, et sine ullo impedimento, aperiri potuit, sic clausa duobus satellitibus ad Arcem deferenda tradita fuit; sed cum ipsi (12) per locum in quo sanctus Marrtyr per spatium unius horae iacuerat, et suo sanguine terram asperserat, transirent, cista ab eorum manibus excedit, et ultro se aperuit, ex qua calix exiit et rectus in ipso loco stetit, in quo fuit sanguis, sicuti in altari locari solebat, penes ipsum stella, et crux conspecta est; quibus visis obstupuerunt omnes, et Vice-Palatinusmet, licet Haereticus, cum quo erat magna hominum multitudo, hanc veritatem fassus est.
63. Item ponit quod Polociae infans duorum annorum, cum nemo Marrtyris necem scivisset, ac summo mane ante diluculum patri suo dixit: « Deum occisum fuisse », et audientibus eum, et ridentibus hoc idem repetebat; quapropter interrogatus, quisnam esset ille Deus occisus? respondit: « is, qui ecclesiam aedificavit »; quod apud parentes nullius considerationis fuit, licet ipsi bene intellexissent ecclesiam cathedralem paulo ante mortem Antistitis completam, nisi quando rumor post aliquot horas de occiso Archiepiscopo Polocensi volitare coepisset.
64. Item ponit alias visiones diversis personis factas, a multis relatas, quae in processibus exaratis apponendae erunt.
65. Item ponit quod de omnibus et singulis fuit, erat, et est publica vox et fama, publicum, notorium, et manifestum, communis opinio, et universalis credulitas.

Hos autem etc. palam etc, non se adstringens etc. salvo iure etc. et aliis omni alio meliori modo etc. Franciscus Maria Cardinalis a Monte. Octavius Regius. Proc. Joannes Baptista, Electus Firman., Secretarius (Locus sigilli).

(Eadem: Idem procurator *ibid.* etc. et coram eisdem DD. Iudicibus produxit literas patentes Inquisitionis intimationis Ill.mi et Rev.mi D. Episcopi Vilnen. triplices, et DD. Iudices mandarunt registrari)

Et quoniam verum tempus, difficultatesque itinerum moram pati non videbantur, lectis praedictis Sacrae Rituum Congregationis litteris statuerunt Domini Iudices ad rem ipsam accedere. Eadem itaque die XX mensis Martii, coram dictis DD. Iudicibus subdelegatis, et in mei, Alberti Brannicki Notarii, praesentia, in dicta ecclesia cathedrali dictus Ill.mus et Rev.mus D. Episcopus Haliciensis, Procurator in huiusmodi causa Canonizationis Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis, coram eisdem DD. Iudicibus remissorialibus exhibuit, et produxit litteras praesentis Inquisitionis intimatorias Ill.mi et Rev.mi D. Episcopi Vilnensis triplices, et Ill.mi D. Archiepiscopi Polocensis et in acta praesentia registrari petiit a DD. Iudicibus. Hoc petito admissa DD. Iudices registrari mandaverunt easdem in actis meis.

Tenores dictarum literarum tales sunt, ut sequuntur, et quidem praedictae literae idiomate latino scriptae de verbo ad verbum sic se habent. (12v)

*(Litterae patentes, ut supra, productae per d. D. Procuratorem)*

Eustachius Wołowicz Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Vilmensis, reverendis, venerabilibus et honorabilibus viris, Praepositis, Parochis, Commendatariis, Vicariis, et quibuslibet ecclesiarum Rectoribus tam saecularibus quam regularibus tenore praesentium requirentibus nobis in Christo dilectis salutem in Domino.

Noveritis causam a Sacra Sede Apostolica super cognoscendo et verificando vitae sanctitate, martyrio, et miraculis laudatissimi Servi Dei Josaphat Chuncewicz, Archiepiscopi Ritus Graeci Polocensis, idque ad effectum Beatificationis seu Canonizationis ipsius commissam, et demandatam esse nobis, quam nos tanto liberius executioni demandare censuimus, quanto cum maiori Dei gloria, honoreque Sanctorum, in quorum concilio glorificatur ipse Deus, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, fideique orthodoxae propagatione ea fiunt. Quia tamen nobis ipsis tum incommoda valetudine nostra tum Ecclesiae Dioecesisque nostrae, et Reipublicae negotiis legitime impeditis praemissa suum non ita facile effectum sortiri possent, res haec vicaria opera debitae executioni demandabitur, prout et terminum peremptorium ad praefata exequenda in anno praesenti diem vigesimum mensis Martii, et reliquos continuos vel interpolatos Polociae, et in aliis locis adiacentibus designavimus, et designamus praesentibus hisce nostris. Proinde vobis cunctis in virtute quidem sanctae obedientiae auctoritate nostra mandamus, Religiosos vero in Domino requirimus, quatenus viso robore praesentium, easdem nostras in ecclesiis diebus Dominicis et festis publice ex ambona coram populo ad divina audienda congregato publicetis, atque inquisitionem dictam auctoritate apostolica super vita, martyrio, et miraculis praefati Servi Dei Josaphat ad effectum Beatificationis, et Canonizationis ipsius Polociae, et in aliis locis adiacentibus in praefixo termino, die videlicet vigesima martii, et prout opus fuerit futuram intimetis idipsum repetita vice, diebus videlicet festis intervenientibus faciendam, ut si quis pro vel contra praemissa testimonia sua deponere voluerint, in termino praefixo coram Commissariis, seu Iudicibus ad praefata deputatis compareant. In quorum fidem hasce manu nostra subscripsimus, et sigillo nostro muniri mandavimus.

Datum Vilmensis in Curia nostrae solitae residentiae die secunda Martii, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo.

Eustachius Wołowicz Episcopus Vilmensis manu propria

*(Locus sigilli).*

Secundae litterae sic se habent.

Ill.mo et Rev.mo D. Domino Antonio Sielava Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Polocensi Eustachius Wołowicz eadem gratia Episcopus Vilmensis post diligentem studiorum meorum commendationem. (13)



Ill.me, et Rev.me Domine. Notum facio productas, et exhibitas esse coram me litteras commissoriales a Sacra Rituum Congregatione seu verius Apostolica Sede per rescriptum speciale, et authenticum Ill.mi et Rev.mi D. Francisci Mariae Episcopi Ostiensis Cardinalis de Monte, Sacri Cardinalium Collegii Decani, dictaeque Sacrae Rituum Congregationis Praefecti, ad me quidem primario, me vero occupato ad Rev.mum D. Suffraganeum meum Vilmensem, et reliquos in eodem rescripto specificatos directe emanatas, idque super cognitione facienda circa causam et causas de vitae sanctitate, martyrio, et miraculis Servi Dei Josaphat Choncewicz, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Tuae Antecessoris memoratissimi Archiepiscopi Polocensis, in ordine ad effectum Beatificationis seu Canonizationis ipsius prout de facto super praemissis processus, actaque auctoritate ordinaria sive per simplices relationes confecta in praefata Sacrorum Rituum Congregatione exhibita, pro parte vero Sacrae de Propaganda Fide Congregationis ad SS.mum D.N. Dominum Urbanum divina providentia Papam octavum in memoriali porrecta, atque ex commissione eiusdem SS.mi D.N. a dicta Sacra Rituum Congregatione visa, diligenter discussa, et examinata, ab eademque admissa sunt, auctoritateque eiusdem SS.mi D.N. decretum ad ulteriorem et specialem inquisitionem in forma iuris fieri solitam per novas probationes deveniri posse, et vicaria opera extra Curiam Romanam huiusmodi decreta, commissa, et mandata exequi debere. Ego pro perpetua et debita in Sanctam Sedem Apostolicam obedientia tanto libentius praemissa exequi censui, quanto cum maiori Dei gloria, quae in Sanctis suis resplendet, Sanctissimae Matris Ecclesiae Catholicae exaltatione, et fidei orthodoxae propagatione ea fiunt. Incommoda vero valetudine mea, tum et Ecclesiae, Dioecesisque meae, et Reipublicae nostrae negotiis praepeditus, cum ipse deservire in praefatis non possim, Rev.mo D. meo Suffraganeo Vilmensi id operae cum aliis Commissariis, vel eorum vices gerentibus, praemissa exequi libebit, et licebit. Terminum proinde peremptorium in anno currenti millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, diem vigesimum mensis Martii, et reliquos continuos, vel interpolatos in civitate Polocensi, aliisque adiacentibus locis ad praemissa exequenda praefigo, et assigno.

Tuaeque Ill.mae, et Rev.mae (13v) Dominationi denuncio, ut pro sua auctoritate, et pastoralis officio idipsum Clero suo, et populis fidelibus Ritus Graeci per processus suos intimari, et publicari Polociae et circum circa mandet et faciat, prout et ego auctoritate mea ordinaria Clero meo intimavi et publicavi, intimarique et publicari per ecclesias mandavi.

Valere interim perquam optime suam Ill.mam, et Rev.mam Dominationem cupio.

Datum Vilnae in Curia nostrae solitae residentiae die secunda martii, anno Domini 1628.

Ill.mae, et Rev.mae Dominationis Vestrae studiosissimus frater  
Eustachius Wołowicz Episcopus Vilmensis (Locus sigilli).

(Aliae litterae patentes, ut supra, productae, tenoris etc.)

Tertiae litterae sic se habent.

Ill.mo, et Rev.mo fratri charissimo Domino Georgio Tyszkiewicz Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Methonensi, Suffraganeo, et Custodi Ecclesiae Cathedralis nostrae Vlnensis, Praeposito Grodnensi, Eustachius Wołowicz eadem gratia Episcopus Vlnensis post diligentem studiorum meorum commendationem.

Ill.me, et Rev.me Domine. Notum facio causam super cognoscendo, et verificando vitae sanctitate, miraculis, et martyrio memoratissimi Servi Dei Josaphat Choncewicz, Archiepiscopi Polocensis Ritus Graeci, idque ad effectum Beatificationis, seu Canonizationis ipsius mihi quidem primario a Sancta Sede Apostolica commissam, et demandatam esse, quam Nos tanto libentius exequi censuimus, quanto cum maiori Dei gloria, et Sanctorum ipsius honore, Sanctaeque Matris Ecclesiae Catholicae exaltatione, ac fidei orthodoxae propagatione ea fiunt, prout quidem de facto ad praemissa exequenda terminum peremptorium diem vigesimum mensis currentis Martii, et reliquos continuos, vel interpolatos dies prout status rei exigere videbitur in anno praesenti millesimo sexcentesimo vigesimo octavo Polociae, et reliquis adiacentibus locis praefixi, idipsumque Ill.mo et Rev.mo Antonio Sielawa Archiepiscopo Polocensi denuntiavi, et per ecclesias meas tractus illius publicari et intimari mandavi. Incommoda vero valetudine mea tum et Ecclesiae, Dioecesis meae Patriaeque, et Reipublicae nostrae negotiis praepeditus, cum ea per me ipsum exequi non possim hoc pii oneris, et officii negotium Ill.ri et Rev.mae Dominationi vestrae etiam pro parte mea committendum esse duxi, prout hisce meis committo, ut iuxta rescriptum (14) auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae desuper emanatum, commissa, et mandata, decretaque in causa huiusmodi hic extra Curiam Romanam suum executionis Polociae, et ubi necessitas rei postulaverit, in termino a nobis praefixo, sortiantur effectum. Quia vero in eodem Sanctae Sedis Apostolicae rescripto alii Commissarii seu Iudices suprascriptorum nominati adm. RR.DD. videlicet Nicolaus Decius Sanctae T. Doctor, Decanus, et Nicolaus Jasinski, Primicerius ac Venerabilis Capituli Vlnensis Procurator, ille quidem ob decrepitam, et senilem aetatem, hic vero ob negotia quotidiana, et onera Venerabilis Capituli in praemissis deservire nequeant, eorum idcirco hac in parte adm. R. D. Nicolaus Siniczki, Canonicus Vlnensis et Albae Russiae Archidiaconus noster, a nobis ad praemissa deputatus, et assignatus vices supplebit Concommissariusque in praemissis Ill.mae et Rev.mae Dominationis vestrae erit. Bene valere interim suam Ill.mam et Rev.mam Dominationem cupio.

Datum Vilnae die decima mensis Martii, anno Domini 1628.

Eustachius Wołowicz Episcopus Vlnensis (Locus sigilli).

(Aliae litterae patentes, ut supra, productae etc.)

Quartae litterae sic se habent.

Antonius Sielawa Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Polocensis, reverendis, venerabilibus, praeclaris, et honorandis viris omnibus simul, ac singulis spiritualis, saecularisve conditionis, seu status

hominibus, ad quos hae litterae pertinere videbuntur, nobis in Christo Domino dilectissimis, pax et gratia a Christo Jesu.

Notum facimus vobis causam a S. Sede Apostolica super cognoscenda, et verificanda vitae sanctitate, martyrio, et miraculis laudatissimi Servi Dei Josaphat Kuncewicz Archiepiscopi Ritus Graeci Polocensis, idque ad effectum Beatificationis, seu Canonizationis ipsius commissam, ac demandatam esse nobis, quam nos tanto libentius executioni demandare censuimus, quanto cum maiori Dei ter Opt. Maximi gloria, honoreque Sanctorum in quorum concilio glorificatur ipse Deus, S. Ecclesiae Dei exaltatione, fideique orthodoxae propagatione ea fiunt. Huius rei gratia terminum peremptorium ad praefata exequenda in anno praesenti millesimo sexcentesimo vigesimo octavo die vigesima mensis Martii, et reliquos dies continuos, vel interpolatos Polociae, et in aliis locis adiacentibus designavimus, et designamus hisce litteris nostris intimatoriis, et vobis (14) omnibus, Decanis, Parochis, et quibuslibet ecclesiarum Rectoribus saecularibus in virtute sanctae obedientiae auctoritate nostra mandamus, Religiosos vero, ac Reverendos in Christo fratres requirimus, ut his nostris litteris visis ac lectis illas in ecclesiis propriis afflingant, diebus Dominicis ac festis promulgent, publice de ambona plebi pro divino officio congregato in medium proferant, et de supradicta inquisitione, et mandato, et iussu Summi Pontificis, Universalis Pastoris, supra vita, martyrio, et miraculis supranominati Servi Dei Josaphat, ad effectum supradictum Polociae, caeterisque civitatibus assignatis tempus videlicet diem vigesimam Martii, et prout res exostulaverit, ostendant, declarent, semel, bisve, idque per duos dies festos faciant, ut quilibet, qui contrarium, seu aliis conforme testimonium dare velit, tempore determinato coram Iudicibus, huius rei causa peculiariter deputatis, libere, ac sine ullo tenore se sistat, et ob meliorem fidem litteras has manu propria subscripsimus, sigilloque nostro obsignare mandavimus.

Datum Polociae in Aula nostra archiepiscopali die undecima Martii, anno 1628.

Antonius Sielawa Archiepiscopus Polocensis manu propria.

*(DD. Iudices omiserunt aliqua interrogatoria ob qualitatem personarum)*

Cum autem ex lectione litterarum remissorialium sufficientem instructionem cognoscerent DD. Iudices, maxime additam sibi facultatem considerantes, aliqua etiam interrogatoria omittenda visum est DD. Iudicibus absque nova articulorum, et interrogatoriorum confectione, sed tantum secundum seriem ipsarum litterarum remissorialium testes, si qui adessent, examinare; quaesiverunt ex Rev.mo D. Procuratore, utrum aliquos ex testibus ad manum haberet, quos ad testimonium dandum ex nunc producere posset; audito hoc DD. Iudicum favore, Rev.mus D. Episcopus Haliciensis, Procurator, maximas Ill.mis DD. Iudicibus agens gratias promisit de ingenuitate quorundam primariorum Ritus Latini et Graeci Catholicorum utriusque status et sexus, quod etiam ex nunc citati, quippe cum praesentes sint, sua testimonia daturi forent. Itaque DD. Iudices nolentes rem ulterius differri videntesque insignem



hominum multitudinem ad hunc nunquam alias visum vel auditum in his partibus actum confluisse, iudicia tota Terra Polocensi, et Castro, Civitateque cessasse, imo ipsas hac intentione officinas civitatis occlusas fuisse, totam demum civitatem ad hanc festivitatem concurrisse, etiamsi a mane ad vespervas usque Actio protenderetur, hodiernam diem terminum Inquisitionis indictum peremptorium, ut patet ex intimatoriis, intimarunt, et testes ex statu illustrium, et generosorum (15) DD. Nobilium Terrae Polocensis, qui quidem remotius Polocia agentes ad praesentem terminum convenerunt, per R.D. Martinum Trzciński terna denuntiatione citarunt, ut quidquid scirent de vitae sanctitate, miraculis, morte Servi Dei Josaphat, et causa mortis libere coram toto populo faterentur. Post quam citationem rursus vigor literarum remissorialium explicatus.

*(Nomina testium per dictum Procuratorem specificatorum)*

His absolutis requisitum est testimonium de nativitate et baptismo Servi Dei Josaphat, eoque per Rev.mum D. Procuratorem oblato, atque praelecto, et inter testimonia illato, datus est locus ipsis testibus qui sponte prodeuntes testificabantur; porro testium nomina haec sunt quae sequuntur, videlicet:

Illustres et Generosi DD.

1. Dominus Alexander Tyszkiewicz, Supremus Iudex Terrae Polocensis
2. D. Daniel Szczyt, Subiudex eiusdem Terrae
3. D. Michael Tyszkiewicz, Prothonotarius eiusdem Terrae
4. D. Josephus, Klonowski, Dapifer eiusdem Terrae
5. D. Joannes Lisowski, Vicepalatinus Castri Polocensis
6. D. Joannes Charmiński, Vicepraetor Civitatis Polocensis.

Generosi Domini.

7. D. Nicolaus Doktorovicus Hrebnicki
8. D. Paulus Pszycki
9. D. Joannes Losowski
10. D. Joannes Korsak
11. D. Basilius Reut
12. D. Lucas Reut
13. D. Joannes Cierpięta
14. D. Joannes Suaracki
15. D. Thomas Sielava
16. D. Nicolaus Starzyński
17. D. Joannes Kosanowski
18. D. Petrus Mniszewski
19. D. Alexander Jeliński
20. D. Joannes Dyahilevicus.

Illustres et Generosae Dominae.

21. D. Alexandra Wołłowiczowna, Ill.ris et Generosi D. Gregorii Korsak, Vexilliferi Terrae Polocensis, coniux



22. D. Anna Podbereska, Ill.ris et Generosi D. Danielis Szczyt, Subiudicis supradicti, coniux
23. D. Christyna Świdarska, Ill.ris et Generosi D. Michaëlis Tyszkiewicz, Protonotarii supradicti, coniux
24. D. Marina Drucka Sokolińska, Ill.ris et Generosi D. Vicepalatini, supradicti, coniux.

Generosae Dominae.

25. D. Dubieniecka
26. D. Crapińska
27. D. Górska
28. D. Woynowska
29. D. Hołubicka.

Et in his testimoniis excipiendis tota prima Actio absolvitur, a pagina 2-a usque ad XI-am inclusive. Ibi DD. Iudices, attenta sibi facultate concessa supra de omittendis interrogatoriis, aliqua intermiserunt.

*(DD. Iudices, attenta facultate de ommittendo, aliqua interrogatoria infrascripta omiserunt)*

Et imprimis patriam, parentes, exercitia, divitias, paupertatem testium non requisierunt, quia omnes et singulos singulasque suprainductas personas innumerae multitudini notissimas, patria Terrae Polocensis incolas, parentibus honestissimis natos, professione Equites, (15v) vel uxores Equitum, divitiis locupletes fuisse sciebant.

*(Omissio interrogatoriorum ob gravitatem personarum)*

Neque etiam requisitum est, an fuerint eo anno peccata confessi, seu tempore Paschatis, et cui Confessori, et in qua ecclesia, et pariter an sumpserint sacramentum Eucharistiae, et per manus cuius sacerdotis, et quibus praesentibus. Locuples enim insignis pietatis acceperunt testimonium, Catholici quidem Ritus Latini a R. P. Rectore Collegii Polocensis,<sup>18</sup> Ritus vero Graeci a R. D. Archipraesbytero Polocensi,<sup>19</sup> et Igumeno Monasterii Polocensis.<sup>20</sup> Sed nec quaesitum, utrum citati vel sponte venerint ad examen huiusmodi, an docti, et instructi quod, et quomodo deponere debuerint, an aliquid sibi fuerit datum, promissum, vel omissum, aut remissum, ad hoc ut se examinari paterentur; optime enim sciebant talium incapaces testes fuisse.

Sed et idem in tota Inquisitione servatum quoad Catholicos utriusque Ritus, et quidem matura prius de hoc deliberatione adhibita per DD. Iudices. Porro ad finem dictae Actionis, ad instantiam dicti Rev.mi D. Episcopi Haliciensis, in huiusmodi causa Procuratoris, et de mandato dictorum DD. Iudicum remissorialium data est citatio testibus ex statu

<sup>18</sup> R. P. Stanislaus Kosiński, Societatis Jesu.

<sup>19</sup> R. D. Jacobus Dziekanicki.

<sup>20</sup> R. P. Gennadius Chmielnickij, Ordinis S. Basilii Magni.

civili Polocensi in crastinum inducendis per dictum R. D. Abrahamum Hryniewiecium Nuntium in huiusmodi causa deputatum, et electum.

(DD. Iudices mandarunt citari infrascriptos testes, quod Cursor deputatus retulit cit.)

Die vero vigesima prima Martii, anno, indictione, et Pontificatu supradictis, R. D. Abrahamus Hryniewiecicus, Nuntius in huiusmodi causa deputatus, de mandato DD. Iudicum clara, et elata voce citavit ad testimonium ferendum omnes et singulos ex Magistratu, et civibus Polocensibus, quicumque aliquid de Servo Dei Josaphat scirent.

Hi quoque sponte in medium egressi latissima testimonia ferebant. Porro nomina testium ex statu civili haec sunt.

Spectabiles Domini Proconsules Polocenses.

30. D. Petrus Dankowski
31. D. Constantinus N.
32. D. Joannes Terlikowski
33. D. Lucas Cyhanovicus
34. D. Lucas Jurkiewicz
35. D. Dorotheus Achramovicus, Consul
36. D. Nicolaus Sakowski, Scriba Polocensis
37. D. Sebastianus Szczurzyński
38. D. Tymotheus Czyczerski
39. D. Nicolaus Przezdecki
40. D. Optatus Afanasovicus.

Honesti cives.

41. Joannes Andreae
42. Georgius Gutkien
43. Joannes Basilii
44. Joannes Sergii.

Honestae matronae.

45. Marina Basilii
46. Sophia Michaëlis
47. Regina Nicolai
48. Georgii Scabini
49. Helena Nagórska
50. Sophia Korzenkowa
51. Helena Kamińska. (16)

In quorum quarumque testimoniis excipiendis tota Actio secunda versatur, a pagina 12-a usque ad decimam nonam exclusive; in quibus testibus examinandis eodem modo processum est sicut et in primis, eo quod personae fuerint omnibus notissimae, quibusque Patres spirituales utriusque Ritus suum dedere testimonium.

(Relatio Nuntii executionis citationis infradictos testes)

In fine Actionis simili citatione primae Actionis citati sunt in crastinum testes ex statu spirituali tam Religiosorum, quam Saecularium per dictum D. Martinum Trzciński, Nuntium praesentis causae. Die vero 22-a Martii, anno, Pontificatu supradictis, R. D. Martinus Trzciński in consistorio Magnificorum DD. Iudicum omnes et singulos ex statu spiritualium ut praesentes ad testimonium ferendum citavit, iidemque sponte ad id dicendum processerunt. Porro nomina testium spiritualium haec sunt.

(*Nomina testium*)

52. Ad. R. P. Stanislaus Kosiński, Rector Collegii Polocensis Societ. Jesu
53. R. P. Valentinus Mathaei, Pater spiritualis eiusdem Collegii Polocensis
54. R. P. Joannes Kędzierzowski, Prorector eiusdem Collegii
55. R. P. Martinus Krasnodebski, Confessarius eiusdem Collegii
56. R. P. Valentinus Kolnensis, Professor Rhetorices Polocensis
57. Religiosus Laurentius Mocarski, Soc. Jesu, Studiosus Rhetorices
58. Adm. Re. P. Tarasius Narbutovicius, Igumenus Monasterii Czereien-sis O.S.B.
59. Ad. R. P. Gervasius Hostyłowski, Igumenus Monasterii Mohiłowien-sis eiusdem Ord. S. Basilii
60. Ad. R. P. Zacharias Bielski, Igumenus Monasterii Hołubicensis eiusdem Ordinis
61. Ad. R. P. Dorotheus Lecicovius, Ord. S. Basilii, Archidiaconus Polocensis
62. Ad. R. P. Jacobus Dziekanicki, Archipraesbyter Polocensis
63. Ad. R. P. Stefanus Prus, Decanus Bychoviensis
64. R. D. Stephanus Sulianovicius, Vicarius eccl. cathedr. Polocensis
65. R. D. Joannes Łasiński, Vicarius ecclesiae Collegii Patrum Soc. Jesu Polocensis
66. R. D. Gregorius Kałuski, Capellanus Rev.mi Episcopi Metonensis
67. Venerabilis Alexandra Wołkowna, Priorissa monasterii Polocensis Ord. S. Basilii
68. Devota Virgo Sophia Krzyżanowska cum aliis.

Et in his testimoniis excipiendis tota Actio tertia versatur, a pagina vigesima usque ad 28-am inclusive. Pro sequenti Actione nullus nominatum citatus, quia ipsi Rev.mi DD. Iudices sibi reservarunt.

Die igitur vigesima secunda Martii testimonia sua Domini Iudices, Notarii, et Nuncii deputati de Servo Dei ferebant eo ordine et modo, qui fusius tota Actione quarta, a pagina vigesima nona usque ad quadragesimam octavam inclusive, refertur. Quarum omnium nomina haec sunt. (16v)

69. Ill.mus et Rev.mus D. Dominus Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis
70. Perill.ris et Rev.mus DD. Georgius Tyszkiewicz, Episcopus Metonensis, Suffraganeus Vilnensis
71. Per.ris et Rev.mus D. D. Raphaël Korsak, Episcopus Haliciensis, Coadiutor Metropoliae Kioviensis

72. Adm. R. D. D. Nicolaus Dyrmont Sinicki, Canonicus Vilmensis, Archidiaconus Albae Russiae
73. Ad. R. P. Gennadius Chmielnicki, Igumenus Monasterii Polocensis O. S. B.
74. Adm. R. P. Gervasius Hostyłowski, Igumenus Monasterii Mohiłowiensis Ordinis eiusdem
75. R. P. Sebastianus Kaczyński, Praesb. Ord. S. Basilii
76. R. P. Germanus Hostyłowski, Praesb. eiusdem ordinis
77. R. D. Albertus Brannicki, Notarius Apostolicus Peril.ris ac Rev.mi D. Episcopi Metonensis
78. R. D. Abrahamus Hryniewiecius, Vicarius ecclesiae cathedralis Polocensis
79. 80. R. D. Martinus Trzeciński, Clericus ecclesiae Patrum Soc. Jesu Polocensis

Sed et haec Actio finita nullo amplius citato.

Quid, et quomodo fuerit actum Polociae duabus ultimis Inquisitionibus patet ex corpore Inquisitionis, a pagina 48-a usque ad paginam quinquagesimam secundam inclusive.

*(DD. Iudices mandarunt Nuntio citare supradictos testes)*

Absoluta Inquisitione Polociae itum est Vitepscum, 24 leucis distans Polocia, id est ad locum sanguinis, in quo Servus Dei Josaphat occisus erat. Ubi vigesima nona mensis Martii, anno, indictione, et Pontificatu supradictis, ad instantiam dicti Rev.mi D. Haliciensis, in huiusmodi causa Procuratoris, et de mandato dictorum DD. Iudicum remissorialium expeditae fuerunt citationes civibus Vitepscensibus, Haereticis, et Schismaticis, et per me huiusmodi causae Notarium et Scribam deputatum consignatae R. D. Alberto Kozieracki, Commendatario Ritus Latini Vitepscensi, Nuntio in huiusmodi causa Vitepscensi deputato, et electo ad effectum, ut illas exequatur contra testes Vitepscenses, praesentibus Domino Gnatowski et Domino Kamiński testibus.

*(Relatio citationis executionis per cursorem)*

Die vero 30 eiusdem mensis Martii R. D. Albertus Kozieracki, Nuntius in huiusmodi causa deputatus, retulit in iudicio et coram DD. Iudicibus subdelegatis in ecclesia B. V. Parochiali Vitepscensi Ritus Graeci, pro loco audientiae huiusmodi causae specialiter deputata, ad hunc effectum pro Tribunali sedentibus, et mihi praesentis causae Notario, atque Scribae praedicto, se de ipsorum Rev.morum DD. Iudicum subdelegatorum mandato, sibi super hoc legitime facto, et ad instantiam dicti Rev.mi D. Procuratoris huiusmodi causae sub die vigesima nona instantis mensis Martii accurrisse ad domos Vitepscensium et per manus ipsorum civium, aut domesticorum illorummet citationes distribuisse. Porro citatorum nomina sunt haec, tum Catholicorum (17) utriusque Ritus, tum Haereticorum.

81. Gregorius Bonitius

82. Basilius Bonitius



83. Łupka
84. Georgius Buiévitius
85. Gregorius Pestrec
86. Skraba
87. Cornelius Butaka
88. Czarnawski
89. Bohdan Ostapow
90. Karpus Choroszko
91. Theodorus Suchoruk
92. Petrus Ivanovicus
93. Nicolaus Hutor
94. Joannes Sutor.

Honesta matrona

95. Optavi Szczur coniux. Testimonium post citatos dedit spontaneum.

*(Relatio cursoris)*

Retulitque se supradictos cives personaliter, et nominatim citasse cum dimissione cedulae dictae citationis in domibus, vel manibus eorum, et cuiuslibet eorundem ad iurandum de veritate dicenda et subiiciendum se examini super articulis, et interrogatoriis Servi Dei Josaphat remissoriae, et super omnibus super quibus eos, et quemlibet eorum in praesenti causa examinari, et interrogari contigerit pro die hodierna, scilicet Martii trigesima, hora octava, et loco in ecclesia B. V. Parochiali supradicta, et in omnibus et per omnia prout ipse Nuntius habuit in mandatis a dictis DD. Iudicibus; qua relatione finita Rev.mus D. Haliciensis, Procurator, Rev.mos DD. Iudices petiit, ut quoniam in citatione dies, locus, et tempus iam designatus, id est diei hodiernae trigesima martii hora octava, testes citatique ipsi praesentes adsint, ex nunc testimonia illorum excipiantur, ne diutius hoc negotium protrahatur.

Huic iustate DD. Iudices annuerunt petitioni, et terna citatione hesternae die citatos clara voce per dictum R. D. Nuncium citari fecerunt. Qui omnes personaliter comparentes sua seorsim testimonia dederunt, prout praesefert Actio Vitepscensis prima, a pagina quinquagesima secunda usque ad quinquagesimam sextam inclusive. Finita citatorum atestatione honesta etiam Matrona, Optati Szczur coniux, suum de Servo Dei dedit testimonium, prout latius patet in dicta Actione.

*(DD. Iudices decreverunt alias citationes contra nonnullos alios testes)*

Eadem die, ad instantiam Rev.mi Haliciensis, et de mandato dictorum DD. Iudicum remissorialium, expeditae fuerunt citationes aliis civibus Vitepscensibus, ut supra, et per Rev.dum Patrem Sebastianum Kaczyński, huius causae Notarium et Scribam deputatum, eidem dicto Rev.do Domino Nuntio Vitepscensi deputato, et electo ad effectum, ut illas exequatur contra testes Vitepscii inducendos, praesentibus iisdem, ut supra, testibus. (17v)

Die vero trigesima prima eiusdem mensis Martii, anno, indictione, et Pontificatu supradictis, R. D. Nuntius praedictus retulit in iudicio, et coram dictis DD. Iudicibus subdelegatis, pro Tribunali in loco solito sedentibus, se hesterna die accessisse ad domos civium Vitepscensium, eosdemque citasse. Porro citatorum nomina haec sunt. Ex quibus partim Catholici partim Schismatici fuere.

(*Nomina testium citatorum*)

96. Basilius Koroban
97. Optatus Szczur
98. Theodorus Łytko
99. Philippus Wołk
100. Joannes Szczur
101. Stephanus Pawłowicius
102. Bohdan Siełowicius
103. Simon Sklay
104. Theodorus Spica
105. Stephanus Spica
106. Theodorus Biruk
107. Joannes Tarmukow.

Testes autem spontanei.

108. Ill. ris et generosus D. Joannes Dyrmont Sinicki, Subiudex Terrae Vitepscensis.

Generosi Domini.

109. D. Demecz
110. D. Zernicki
111. D. Skulatowski
114. D. Doctorovicius
115. Nicetas, civis Vitepscensis
116. Honestam matronam, Petri Ivanovitii, supranominati, coniux.

Retulitque se supradictos cives personaliter, et nominatim citasse cum dimissione cedulae dictae citationis in domibus, vel manibus eorum et cuiuslibet eorum, ad dandum testimonium Servo Dei Josaphat, ut praefertur pro die hodierna, nempe trigesima Martii, hora octava, et loco praesenti, et in omnibus et per omnia, prout ipse Nuntius habuit in mandatis.

Et quoniam praesentes omnes illos, quos citaverunt, adesse iam vidit, habita facultate a DD. Iudicibus, nominatim omnes clara, et elata voce ad comparandum citavit, atque ita omnes illi citati testimonia sua tulerunt, quae in Actione secunda Vitepscensi, a pagina quinquagesima sexta usque ad quinquagesimam nonam, referuntur.

(*DD. Iudices decreverunt alias citationes contra testes etc.*)

Finita citatorum attestazione datus est aliis supradictis spontaneis testibus dicendi locus.

Eadem diē sub vesperum expeditae fuerunt citationes testibus in crastinum comparituris, per R. P. Germanum Hostyłowski, huius causae Notarium deputatum, consignatae dicto R. D. Nuntio Vitepscensi, praesentibus iisdem, ut supra, testibus. Die vero prima mensis Aprilis R. D. Nuntius praedictus retulit in iudicio, coram DD. Iudicibus pro Tribunali in loco sedentibus, se hesternā die accessisse ad domos civium Vitepscensium eosdemque citasse. Porro citatorum nomina sunt haec. (18).

117. Laurentius Możey
118. Bohdanus
119. Gregorius Drokuła
120. Wołotko Oniškiewiczus
121. Zdanus
122. Daniel Wysocki
123. Petrus Czarnawski
124. Matthias Łytka
125. Michaël Nestorovicus
126. Gregorius Nieszyc
127. Joannes Hutor, qui quidem ultimus fuit ex citatis.

Retulitque se supradictos cives personaliter, et nominatim citasse per cedulam, ut supra, pro diē hodierna, nempe prima Aprilis, hora et loco consueto, secundum ea quae sibi fuerunt praecommissa.

Et quoniam praesentes illos omnes, quos citaverat, adesse viderat, sic volentibus DD. Iudicibus, nominatim omnes ad procedendum recitavit, atque ita omnes, iuramento praemisso, testimonia sua ferebant.

Finata citatorum attestazione datus est aliis spontaneis testibus dicendi locus. Quorum omnium nomina sunt haec.

(*Nomina testium*)

128. R. D. Albertus Kozieracki, Commendatarius Ritus Latini Vitepscensis, Nuntius
129. Adm. R. D. Anicetas Dyakowski, Decanus Ritus Graeci Vitepscensis
130. R. D. Ignatius N., Vicarius ecclesiae Collegiatae Vitepscensis, Ritus Graeci
131. R. D. Martinus, Vicarius eiusdem ecclesiae
132. Ill. ris et Generosus D. N. Obiesko, Vicepalatinus Vitepscensis.

Generosi Domini.

133. D. Gregorius Uszacki
134. D. Nicolaus Hurcko
135. D. Gregorius Szapka
136. D. N. Czarny
137. D. Joannes Ogiński.

Vitepscenses cives testes spontanei.

138. Gregorius Kokotka
139. Stanislaus Jakuszevicus

140. Tychon N.

141. Coniux Georgii Buy.

In quorum excipiendis testimoniis tota Actio huius Inquisitionis penultima, a pagina quinquagesima nona usque ad sexagesimam quartam inclusive, insumitur.

Quid actum fuit in conclusione totius Inquisitionis patet ex Actione ultima.

In complemento totius Inquisitionis adduntur testimonia testium aliquorum, qui extra Inquisitionem, ante tamen absoluta Acta Inquisitionis testificabantur, illique partim Judaei, partim Christiani fuerunt, partim Schismatici, partim Catholici.

Judaei Polocenses.

142. Nahman

143. Israel

144. Samuel.

Judaei Vitepscenses.

145. Caim

146. Symicha

147. Abraham

148. Daniel (18v)

149. Ill.ris et Generosus D. Samuel Mirski, Supremus Terrae Braclaviensis Iudex

150. Ill.ris et Generosus D. Martianus Giedroyc, Vicedapifer Terrae Polocensis

151. Per.ris et Generosus D. D. Eustachius Kurcz, Capitaneus Upitensis

152. Generosus D. Basilius Szapka, Scriba Castris Vitepscensis

153. Ill.ris et Generosa Domina D. Alexandra Radzimińska, Coniux Ill.ris et Generosi D. Dapiferi Terrae Polocensis

154. Generosus D. Joannes Haraburda

155. Generosus D. Leo Odackowski, Sriba Minscensis

Denique quia Ill.mus Metropolitae praesenti Inquisitioni praesens adesse non poterat, utpote in gravissimis Ecclesiae Dei negotiis in Russiae Rubrae partibus agens, requisitus est per Rev.morum Commissariorum literas, et monitus, ut suum de Servo Dei iudicium ferret, et sua manu consignaret, ita scilicet Servum Dei Josaphat, eiusque vitam sciens, ut nullus alius. Illius ergo testimonium post confecta iam Inquisitionis Acta missum cum eadem Inquisitione mittitur.<sup>21</sup>

Unum hic advertendum est. Extracta ex Actis Civilibus non integra posita esse in ipso corpore Inquisitionis; plerique enim ex illis, qui coram Actis Civilibus testimonium de Servo Dei Josaphat perhibue-

<sup>21</sup> Testimonium Metropolitae Rutskyj ponitur separatim post Processum an. 1628 etiam in nostra collectione, sub nomine « attestatio ».



runt ipsi personaliter in ipsa Inquisitione comparentes testificati sunt. Deinde in brevem res redigenda videbatur ordinem, contractis verbis, eo quod ipsum latius esset corpus.

Sed et illud non immerito praecavendum, quare ipsi testes suis testimoniiis manum non subscripserint. Id enim factum est ideo quod res ipsa historico more videbatur referenda, ut quidem mos fert patriae similia excipiendi testimonia, et non per interrogationes, aut manuum subscriptiones. Alias plurimi ex illis merito sibi duxissent non tantum ore, sed et manu Sanctum colere. Praeterea multi ex testibus non nisi in vulgari<sup>22</sup> scribere sciverant, latine penitus ignari, ut proinde vel subscriptio illorum parum aut nihil valeret, vel ignoto characteri et scripturae latinae nescii, quid in illa ageretur subscribere non possent. Demum aliqui ex testibus propria manu scripserunt sua testimonia, et subscripserunt, sed vel ex vulgari idiomate in latinum necessario transferenda erant cum ipso nomine, vel latina testimonia in ipsum corpus Inquisitionis inferenda, cum propria subscriptione in utroque casu abolitione, sed et Notarii Apostolici non nisi in fine totius Inquisitionis sese subscripserunt et sigilla sua apposuerunt infra manum Rev. morum Commissariorum, quia cum tota Inquisitio propria mea Alberti Brannicki, Notarii Apostolici, scripta fuerit manu, eandem in diversis apponere locis superfluum videbatur, relictis solummodo atque aliis Scriptoribus delegatis, quae temporis angustiis praepeditus ipsemet scribere nullo modo poteram, quae tamen essentialiter verissima esse fide manuque mea, infra subscripta, testor, et sigillo meo in quatuor locis posito.<sup>23</sup> (19)

Porro autem sciendum est alias literas remissoriales<sup>24</sup> in praesenti causa expeditas esse a Sacra Rituum Congregatione ad Ill. mum et Rev. mum D. Eustachium Wołowicz, Episcopum Vilmensem, eiusque Suffraganeum, et Decanum Capituli Vilmensis Primiceriumque. Illae tamen hic non sunt insertae, tum quia eadem plane fuerant cum praecursoribus non modo quoad sensum, sed quoad ipsissima verba mutatis solummodo nominibus Commissariorum, locus etiam Inquisitionis in eadem Dioecesi Vilmensi, iisdem civitatibus idem omnino designatus, tum quia omnes designati Commissarii per illas speciales remissoriales praesentes adesse nullo modo potuerunt, ut patet ex litteris Ill. mi Episcopi Vilmensis supra positis.<sup>25</sup>

<sup>22</sup> Hoc est lingua bēloruthena, ucrainica vel etiam polonica.

<sup>23</sup> Tota haec formae praescriptae non observantia causa fuit, cur postea Processus hic Polocensis anni 1628 tam longe oppugnatus (1629-1633) et tandem reiectus fuit (1634-1635).

<sup>24</sup> Supra insertae sunt litterae remissoriales secundae redactionis, quibus Processus committitur Archiepiscopo Polocensi Antonio Sielawa, et duobus Hegumenis Basilianis, R. P. Gennadio Chmielnickij, et Gervasio Hostyłowskij. Sed quando tandem eventum est ad ipsam executionem Episcopus Vilmensis, Eustachius Wołowicz, vi litterarum remissorialium primae redactionis, quibus res tota ipsi commissa erat, subdelegavit ex parte sua Episcopum tit. Metonensem, suum Coadjutorem, et Rev. Nicolaum Sinicki ita, ut in Processu Polocensi tandem anno 1628 confecto omnes simul operam suam contulerunt per se, vel per personas subdelegatas.

<sup>25</sup> Designati erant Episcopus Vilmensis Eustachius Wołowicz, Decanus Nicolaus Decius, et Primicerius Capituli Vilmensis Nicolaus Jasiński, in quorum tamen locum subdelegati sunt Georgius Tyszkiewicz et Nicolaus Sinicki.

Sequuntur itaque dicta et depositiones testium, ut supra, in huiusmodi processu suis diebus examinatum, et sunt infrascripta in sequentibus sexaginta quinque paginis. Antequam tamen ad ipsa testimonia accedatur annectenda visa est descriptio sollemnis pompae, qua exceptus est Servus Dei, quando possessionem Archiepiscopatus Polocensis adibat licet adhuc tunc Coadiutorem ageret Archiepiscopi Polocensis Gedeonis Brolnicki,<sup>26</sup> tunc superstitis. Videtur enim praesaga fuisse Polocia in quotidianis post ingressum publicis conviviis, communique omnium gaudio gloriae Servi Dei qua post mortem debuerat insigniri. Ingressus porro ille sic se habuit, prout quidem, non sine providentia divina, in Actis Patrum Societatis Jesu Polocensium habetur, ex quibus haec descriptio transumpta est.

Anno 1618. Januarii 9-na Servus Dei Josaphat ingressus est Polociam non minore cum admiratione, et stupore Schismaticorum, quam Catholicorum et unitae Nobilitatis consolatione. Ipsi cives, senio et annis confecti, bona fide asseverant, nullum unquam Archiepiscopum Archiepiscopatum Polocensem cum tanta pompa, splendore, maiestate adisse. Ac imprimis quidem pars huius pompae non postrema fuit Ill.mus D. Janusius Skumin Tyszkiewicz, tunc Capitaneus Braclaviensis, nunc iam Palatinus Trocensis, Rhutenus Unitus, cui a Sacra R. Maiestate iniunctum erat, ut Regio nomine (quod et fideliter praestitit) Praesulem pro dignitate Polociam introduceret, et in Sede archiepiscopali collocaret.<sup>27</sup>

Hic pridie quam veniret Ill.mum D. Palatinum Polocensem,<sup>28</sup> et civitatis Magistratum de adventu Praesulis novi certiore fecit. Servus Dei quoque multo ante per literas Ill.mi D. Palatini Nobilitatisque Catholicae sibi animos conciliarat, qui optime animati propter Unionem promovendam operam suam illi non modo promiserant, sed etiam de industria sese, ut hoc quam splendidissime facerent, mutuo sollicitabant. Quocirca nihil quod ad pompam optari posset desiderabatur. Ill.mus D. Palatinus Polocensis, Michaël Sokoliński, ex haeretico Calvinista per Josaphat factus Ruthenus Unitus, aetate et annis maturus in Arce machinas bellicas in variis locis disponi (19v) iussit, centumque veteranos, qui in praesidio Arcis sunt a fluvio Duna usque ad portam Arcis collocavit. Ipse vero cum illustriore Nobilitate extra portam praestolabundus adstabat. Obviam vero Servo Dei praecipui quique Palatinatus Polocensis Regii Officiales frequenti carpentorum multitudine processerant, et non pauci alii maioris notae, et autoritatis viri, sed nec civium, maxime Catholicorum, hac super re desiderabatur studium, et contentio, nam praeterquam quod quatuor machinis bellicis explosis adventum Praesulis cohonestarunt, ipse Praetor, Proconsules, Consules, et

<sup>26</sup> Gedeon Bronickij, Archiepiscopus Polocensis an. 1601-1618.

<sup>27</sup> Janusius Skumin Tyszkiewicz, ex familia Tyszkiewicziana ritus Rutheni. Fuit Capitaneus Braclaviensis, postea anno 1621 Palatinus Mstislaviensis, dein ab anno 1626 Palatinus Trocensis, et demum ab anno 1640 Palatinus Vilnensis; vita functus est anno 1642 (27. V).

<sup>28</sup> Palatinus Polocensis tunc temporis erat Michaël Drucki-Sokolinski (ab anno 1613 ad an. 1621).

Scabini Polocenses, aliique satis frequentes habitu solemniore ad portam honoris ergo praestolabantur. Caeterum cum iam regionem civitatis Ekimanem Patrum Societatis Jesu Servus Dei frequenti, illustri-que comitatu transiret, unus civium Ekimanensium, caeteris audacior, aetate matura, barbaque proluxa Praesulem adit, eique salutem, et felicitatem opeccatus nomine omnium civium postulat, ut Ritus Ruthenici semper quam tenacissimus existat, in illa verba prorumpens: « fortiter teneris fidem ruthenicam ». Aequi bonique Praesul simplicis hominis gratulationem consuluit. Idem tamen apud R. P. Rectorem quod eo inconsulto id fecisse impune non abiit. Ingressuro Servo Dei ipsam Urbem maiores quatuor bellicae machinae, civium industria dispositae, ingenti sonitu displosae non minus reverentiam, quam obedientiam debitam Praesuli detulerunt. Deinde extra portam urbis Palatino, caeteraque nobilitate obviam Servo Dei prodeuntibus, mutua fit eaque perbrevis consolatio. Tum Ill.mus D. Palatinus Trocensis ad Palatinum et Nobilitatem pauca in hunc pene sensum praefatus est. « S. R. Maiestatis mandato adduxi Ecclesiae Ruthenae Archiepiscopum, Nobilitati decus et ornamentum, civitati praesidium, gregi Pastorem, quemadmodum divino consilio electus ita haud dubium, quin felici auspicio vobis praesentatus, et in Sede archiepiscopali collocatus, Ecclesiae Ruthenae utilitatem, Russiae splendorem, vobisque omnibus salutem sit allaturus ». Praecipue vero Ill.mus D. Palatinus Polocensis, praefatus, nomine totius Russiae gratiis Ductori peractis in amplexus Praesulis ruit, debitamque obedientiam, qua par est reverentia defert seque ac omnes in suo Palatinatu eius fidei, curae, gubernationi magna cum animi voluptate committit. Altare imaginibus catholicis, et ruthenicis perelegans ad partem extractum videbatur ad quod pro more Ritus sui preces uno quadrante Praesul peragebat. Hic cum machinae bellicae nomine civium iterum explosae fuerunt, campanarumque pulsu omnia templa personuere, processio, quae studiosa dumtaxat iuventute, magna ex parte Ruthena, constabat, primum agmen vexillis cum cruce praeerantibus ducebat, et concentu iucundo aures circumstantium demulcebat. Succedebant cives, Senatusque civitatis tum Catholicus (20) tum Ruthenicus aliique cives cultiores, et studiosiores Unionis. Tertium locum tenebat processio ruthenica ea qua potuit pompa maxima. Templorum enim vexilia praecedebant, puerorum deinde agmen sat longum in binas partes distributum. Musica quam secum Ill.mus D. Palatinus Trocensis duxerat eleganti symphonia ruthenice concinebat toto tractu quoad Arcem ascendebatur. Praesbyteri Ritus Graeci sacro ornati vestitu bini procedebant una cum Diaconis. Sequebatur Pastor gregem, habitu praesuleo decoratus, incessu gravi. Pedum Archiepiscopale pro maiestate tenebat manu, duo Religiosi D. Basilii instar ducentium pone sequebantur. Sequebantur Senatores, Ill.mi DD. Palatini Trocensis et Polocensis, Ill.ris D. Joannes Korsak, Castellanus Polocensis Ritus Graeci Catholici, Illustres Domini Officiales Terrae Polocensis, D. Szczytowicz Judex, Domini Korsacii et reliqua satis frequens, et illustris Nobilitas. Interim centum milites, qui utrinque processionem a porta Urbis usque ad Arcem bino ordine circumstabant, frequenti bombardarum explosione introitus Praesulis pompam, et maiestatem conciliabant. Postquam Arcem ingressi sunt machinae bellicae maiores explosae ingen-



tem strepitum edebant. Aër ipse fumo ex pulvere completus tormentario nubes volvere videbatur. Latinorum processio non templum Ruthenorum ingressa, sed ordine bino ad portam templi cathedralis S. Sophiae, sive S. Sapientiae dicti, eleganter disposita concinnebat, et Servo Dei ea, quam par fuit exhiberi, reverentia facta ex Arce decessit. Auditae interea voces Ruthenorum perquam lepidae: « Intraveruntne Jesuitae in Ecclesiam? », quodam vero respondente: « ingressos esse », Ruthenus voce praetristi exclamavit: « Jam periit ordo ». Servus Dei ingressus templum recta adiit altare, ibique breviter precatus Sedem archiepiscopalem ascendit, Ill.ri et Rev.do D. Archipraesbytero Polocensi Missam celebrante. Sacro finito iuventus ruthenica carmine polonico salutavit Praesulem. Deinde duodecim sacrae Virgines habitu religioso prodierunt, factaque Ritu Ruthenico ter reverentia ad pedes Servi Dei singulae provolutae, eius sese imperio subdiderunt. Postea omnes antiquum Archiepiscopum, vix rationis compotem, intra parietes domesticos commorantem adeunt, salutantque, sed ille aegre verbum ullum prolocutus diu penes se hospites morari non est passus. Eo die, fuit autem feria tertia, hospites nobiles in Arce a Servo Dei epulo excepti; feria quarta apud Ill.mum D. Palatinum Sokoliński tractati; feria quinta in Collegio, praemissa per studiosam iuventutem privata salutatione hospitem, Servus Dei, Ill.mus D. Palatinus Trocensis cum DD. Tyszkiewiczis pro frugalitate religiosa prandio excepti; feria sexta Ill.mus D. Palatinus (20v) Trocensis, Sabatho Ill.mus D. Castellanus praedictus tractavit. Die Dominico Servus Dei Magnatos et cives Polocenses, qui illi pridie munuscula obtulerant in prandio habuit, cuius illi prudentiam et humanitatem suspiciunt, et admirantur. Sequenti Dominico a Nobilitate catholica Servus Dei apud D. Viceiudicem Szczyt lautissime tractatus; feria secunda apud quemdam olim Schismaticum civem Praesul prandium sumpsit, ubi Schismatici suasores ei fuerunt, ut templum Catholicorum adiret occasione rumoris (incertum a quo) ante eius adventum sparsi, ac si a templo catholico primum suum ingressum auspicari, in eoque Sacro audito, gratiisque Deo actis tum demum ad suam Sedem pergere deberet, quibus cum respondisset Praesul sibi nihil horum in mentem venisse, nec venturum in posterum, illico illi, qui hostes se Unionis ante adventum Archiepiscopi profitebantur, subiecerunt: « Imo vero frequenta Catholicorum templum prout voles in nomine Domini, nam et ibi Deus bene colitur, et laudatur », quo dicto simul se, et sanctam Unionem amplexos esse, et praeteritum Schisma eiurasse affirmarunt. Possessione Archiepiscopatus feliciter accepta Servus Dei reformationem Domus Dei a Clero coepit. Nam Praesbyteris author bonis modis fuit, ut omnes Religiosis D. Basilii confiterentur, et licet primo illi satis diu tergiversarentur affirmantes id moris apud se non fuisse, ut coram talibus conscientiarum suarum latebras aperirent, tandem tamen, superata difficultate, peracta semel et iterum coram talibus confessione polliciti sunt semel singulis mensibus se coram eis per poenitentiam conscientias abluturos. Caeterum alteri Decano, Parocho alteri, bigamis, ob antiquum et publicum scandalum renuntiavit, et suasit, ut vel alium sibi quaerent Episcopum, vel ad Religionem sese conferrent. Nam quamvis ob inopiam bonorum sacerdotum haberet dispensationem a Sede Apostolica pro huiusmodi bigamis, hac



tamen uti noluit in ipsa Palatinatus Polocensis luce — Polocia. Idem id quod alias non fuit ad Dei cultum promovendum, et devotionem augendam quovis die festo duo, cantatum unum, lectum alterum, pro festo vero unum Sacrum instituit. Sustulit multos abusus circa Sacramenta, formamque veram in sacramentali confessione adinventam docuit, quae ante illum, quibus in verbis consisteret, ignorabatur.

Atque sic foelix Praesulis initium, foeliciorem progressum, foelicissimumque egressum nobis non obscuris argumentis pollicebatur.  
(*Locus sigilli*) (21)

IN NOMINE DOMINI AMEN. (21v)

Anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die vero vigesima mensis Martii, Pontificatus SS.mi in Christo Patris, et D.N.D. Urbani divina providentia Papae 8-i, anno eius quinto.

Celebrata est Inquisitio Polociae, in Alba Russia, super vita, morte, et miraculis Servi Dei Josaphat Chuncevitii, Archiepiscopi Polocensis, a Schismaticis Vitepsci in civitate suae Dioeceseos anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Novembris duodecima interfecti, per Commissarios ad hunc specialiter actum a Sancta Sede Apostolica per litteras duplices Ill.mi et Rev.mi Domini Domini Francisci Maria Episcopi Ostiensis Cardinalis de Monte, Sacri Cardinalium Collegii Decani, Sacrae Congregationis Sacrorum Rituum Praefecti, sub data: Roma anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi, ac Jubilaei millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indictione octava, die vero vigesima quinta mensis Septembris, Pontificatus SS.mi in Christo Patris et D. N. Urbani divina providentia Papae octavi, anno eius tertio expeditas, deputatis. Et in particulari ab Ill.mo et Rev.mo D. Antonio Sielava, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Polocensi, Ill.ri et Rev.mo D. Georgio Tyskiewicio, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Methonen, Suffraganeo, et Custode Vilnensi, Ill.ri, et Rev.mo D. Raphaëli Chorsach, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Haliciens, Coadiutore Metropoliæ Kioviensis ad hoc negotium per praedictos Ill.mos et Rev.mos Dominos specialiter vocato, admodum Rev.do D. D. Nicolao Siniczki, Canonico Vilnensi, et Albae Russiae Archidiacono, per litteras speciales ab Ill.mo et Rev.mo D. D. Eustachio Wołowicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Vilnensi et praesentis Inquisitionis Commissario principali subdelegato, Admodum Rev.do in Christo Patre Gennadio Chmielnicki, Igu-meno Monasterii Poloçensis Ordinis Sancti Basilii, adm. Rev.do in Christo Patre Gervasio Hostiowski, Igu-meno Monasterii Mohilovien-sis eiusdem Ordinis S.ti Basilii, Rev.do in Christo Patre Germano Hostiowski, praesbytero eiusdem Ordinis, Rev.do in Christo Patre Alberto Brannicki, Notariis Apostolicis iuratis ad hunc specialiter Inquisitionis actum assumptis, R. D. Abrahamo Hrinieviecki, et Rev.do D. Martino Trzeciński, Nuntiis. Omnibus praedictis Ill.mis et Rev.mis Adm.Rev.dis Patribus, et Dominis Apostolicis Commissariis, vel ab illis ascitis, ante altare maius coram sacrosanctis Evangeliiis omnibus episcopali et sacerdotali amictu considentibus, acta et producta sunt

infrascripta testimonia de vitae sanctitate, morte et martyrio, ac causa mortis Servi Dei Josaphat in ordine ad Beatificationem, et Canonizationem felici omine, ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, Sanctae Matris Ecclesiae exaltationem, Sanctorum, et Servorum ipsius debitum honorem, perpetuam illorum in benedictione memoriam, corporumque et ossium quae custodit Dominus, ne unum ex illis conteratur, reverentiam, denique ad nostrum totiusque christiani populi decus et emolumentum. Ubi magnum specimen virtutum, exemplar probitatis, pietatis fontes, rivuli consolationum Romani et Graeci Ritus Catholici in tanta tamque copiosa multitudine spiritualium et saecularium omnis status et condutionis, utriusque sexus hominum adaptati, ut in recensenda vita morumque integritate, miraculis, et beneficiis Servi Dei Josaphat aemula voce sese praevenire omnes conarentur. Totius porro Inquisitionis acta sic se habent. (22)

## POLOCIAE

ACTIO PRIMA — DIES PRIMA.

Quae fuit Martii 20 — feria secunda post Dominicam 2. Quadragesimae.

Anno, mense, et die nominatis in ecclesia cathedrali Polocensi, Sanctae Sophiae nuncupata, circa ambonam considentibus omnibus Ill.mis et Rev.mis adm. Rev.dis Patribus, ac Dominis, invacato Spiritus Sancti auxilio, et exhortatione ad populum de dando Servo Dei testimonio aliisque ad actum Inquisitionis pertinentibus praemissa, lectae sunt inprimis literae praesentis Inquisitionis intimatoriae Ill.mi, et Rev.mi D. D. Episcopi Vlnensis moderni triplices, aliae ad omnes in communi totius Albae Russiae tractus fideles, aliae ad Ill.mum et Rev.mum D. D. Archiepiscopum Polocensem modernum, denique ad Ill.rem et Rev.mum D. D. Episcopum Methonensem, et Adm. R. D. Archidiaconum Albae Russiae, in quibus aperiebantur gravissimae causae, cur ipse cum Decano, et Primicerio, ad actum praesentis Inquisitionis venire non potuerit, totaque facultas apostolica ex una parte Ill.ri et Rev.mo D. Episcopo Methonensi, et Adm.Rev.do D. Archidiacono demandabatur. Post haec lectae sunt aliae praesentis Inquisitionis intimatoriae Ill.mi et Rev.mi D. Archiepiscopi Polocensis. Quibus omnibus, ut praefertur, lectis Rev.dus D. Martinus Trzcinski clara et elata voce, ac terna denuntiatione intimavit Inquisitionis praesentis peremptorium esse terminum hodiernam diem, vigesimam Martii. Proinde nomine Sanctae Sedis Apostolicae citavit omnes et singulos, praecipue vero ex statu Illustrium, et Generosorum Dominorum Nobilium ut quidquid scirent de vitae sanctitate, miraculis, morte Servi Dei Josaphat et causa mortis, libere coram omni populo faterentur. Hac generali citatione peracta, exhibitae sunt literae apostolicae supra nominatae. Ill.ris vero et Rev.mus Episcopus Methonensis, Commissariorum autoritate explicata (22), monuit omnes et singulos ad testimonia sua cuiuslibet per iuramentum firmanda, aliqua

subiiciens de necessitate iuramenti, et de gravitate periurii, praesertim in similibus causis Canonizationum, cum agitur de sanctitate, et miraculis, uti est haec praesens causa super qua sunt examinandi, aliaque opportuna, secundum literas Sanctae Rituum Congregationis supradictas, explicavit.

Ac imprimis de parentibus Servi Dei Josaphat, et eius baptismo, et educatione mentione facta testimonium si quis de supradictis sciret, requisivit. Illis et Rev. mus D. Episcopus Haliciensis obtulit extractum authenticum ex actis officii Episcopatus Vladimiriensis, quod postquam publice lectum est ad acta praesentia inferri illud iusserunt Patres, cuius extracti tenor talis est.

Ex actis officii Episcopatus Vladimiriensis, stilo slavonico scriptis, latine translatum.

Beatae memoriae Rev. mum Patrem Josaphat Chunczevicz, Archiepiscopum Polocensem, et Vitescensem, Vladimiriæ natum in praecipua civitate Terrae Volhinae, parentibus honestis, legitimo matrimonio iunctis, ac rite baptizatum incolae civitatis eiusdem, viri omni exceptione digni, a Rev. do Patre Nicephoro Zarenski,<sup>29</sup> Ordinis Sancti Basilii et Gymnasiarcha Vladimiriensi (cui hoc negotium ab Ill. mo Metropolita iniunctum fuit) praesentati testimoniis sub iuramento depositis comparando coram Rev. mo D. D. Joachimo Morochowski,<sup>30</sup> Episcopo Vladimiriensi, et Brestensi tamquam loci ordinario Pastore, assistente sibi Venerabili ipsius Capitulo, caeterisque Venerabilibus Praesbyteris, nec non coram Actis Officii eiusdem Episcopatus confirmarunt. Quorum civium testimonia ab eodem Rev. mo Episcopo sedulo audita, atque probe examinata, et actis praesentibus in perpetuam rei memoriam inserta hic singillatim, ac fideliter recensentur.

(*Primus testis*)

Paulus Radoczyński, civis Vladimiriensis, ferme octogenarius, sub fide et conscientia testatus est piae me. Rev. dum Patrem Josaphat Kuncewicz legitime iuxta consuetudinem christianam honestis ac piis parentibus progenitum ac (23) secundum ritum Ecclesiae Orientalis baptizatum, totoque eo tempore quo Vladimiriæ ab ineunte aetate commorabatur, tyrocinia suae pueritiae honestissime ac pie peregrisse, vacando assidue orationibus, quibus Deum in aliquo angulo templi Sanctae Parasceves, Parochiae proprie alloquebatur; frequenter parentibus ob ipsius absentiam sollicitis, non alibi locorum inveniebatur, nisi in hac sacra precum negotiatione, idque vel in templo, vel in vestibulo templi. Postquam ad prima elementa studiorum a parentibus applicatus fuerat, plus pro sua egregia indole perfecit, quam laboris navando eis operam impenderit.

(*2us testis*)

Conradus Woronowicz, circiter centesimum agens iam annum,

<sup>29</sup> Cfr. pag. 35 nota 57.

<sup>30</sup> Cfr. pag. 20 nota 23.

Consul Civitatis Vladimiriensis, itidem sub sacramento iuramenti affirmavit Rev.dum Patrem Josaphat Kuncevicium natum Vladimiriæ legitimis parentibus, Patre Gabriele, Consule eiusdem civitatis, et matre Marina, filia in eadem civitate viri consularis.

(3 testis)

Szomaka, civis atque Consul eiusdem civitatis Vladimiriensis, vir septuagenarius, idem quod supra alii de natalibus, atque baptismo, nec non de conversatione huius Rev.mi Episcopi sancti testatus est. Insuper addidit (provocando ad totius civitatis tanquam rei notissimæ testimonium) eum tam praeclaris dotibus virtutum in ipsa pueritia praeditum fuisse, ut caeteris, etiam provectoris aetatis, esset vitae honestae pulcherrimum exemplum. Quippe cuius tota vel praecipua occupatio fuit in diuturno secessu precationum, et in depingendis, formandisque Sanctorum imaginibus. Proinde plurimi vicinorum huiusmodi specimine virtutum eius permoti, insolentiores et negligentiores suos filios, atque ipsi coetaneos, ad aemulationem morum eius flagris interdum excitabant.

(4 testis)

Moyses Czerpski, eiusdem civitatis Vladimiriensis incola, annum agens aetatis suae septuagesimum, omnia supradicta ac relata sub fidei testimonii sui confirmavit.

(5 testis)

Sebastianus Siełka, Consul Vladimiriensis, sexagenarius, idem etiam ad verbum testificatus est, se dumtaxat, licet tunc temporis militiae operam dedisset, nihilominus (23) probe nosse hunc piae memoriae Martyrem honestis parentibus, ac iuxta consuetudinem christianam matrimonio copulatis natum, ac secundum ritum Ecclesiae Orientalis baptizatum esse.

(6 testis)

Andreas Daszka, Scabinus Vladimiriensis, aliquot supra 50 annos natus, dixit se annum decimum quintum tunc egisse, cum hic Reverendissimus in lucem editus est a parentibus orthodoxis Christianis, vinculo matrimonii rite copulatis, et sacro lavacro baptismatis initiatus suisque parentibus ad solemnitatem istius actus, prout moris est, invitatis, comitem ac praesentem fuisse.

Omissis aliis multis auritis de hac re in omnibus concordibus testibus, his tamen in praesentia supradicta recensitis, utpote oculatis atque iuratis contenti, horum quoque assertiones ad eorum notitiam quorum interest, sigillo nostro signatas, et manu propria subscriptas fideliter remittimus. Actum et datum Vladimiriæ, in solita nostra residentia, 30 Augusti anno Domini 1627. Sequitur subscriptio talis: Joachimus Morochowski Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis. Sigillum eiusdem.

Extracto hoc lecto Ill.mus et Rev.mus D. Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis, iussit omnes et singulos ad testimonia de vita, morte et miraculis, et causa mortis Servi Dei Josaphat ferenda ac-



cedere. Itaque officiales Terrae Polocensis sponte sua, et solummodo generali supradicta citatione tanquam nominatim vocati locum sibi veluti primi in tractu Polocensi primum dari petierunt, et pro iustitia obtinuerunt.

(*Testes auctoritate apostolica examinati*)

(7 testis)

Illustris ergo, et Generosus D. Alexander Tyszkiewicz, supremus Terrae Polocensis Judex, vir ultra quinquagenarius, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus iuramento praestito clara et elata voce testatus est, se Servum Dei Josaphat cognovisse saepiusque vidisse, et cum illo intime conversatum fuisse toto illo tempore, quo in Archiepiscopatu Polocensi fuerat, infinitisque vicibus se cum illo collocutum fuisse publice et privatim, sacrosanctum Missae sacrificium sanctissime celebratum vidisse, eius conciones pro fide catholica, et Unione S. R. E. zelosissimas audivisse, colloquis ac disceptationibus eius cum hostibus Ecclesiae Dei fuisse praesentem.

Item se scire Servum Dei Josaphat reputatum fuisse, atque hodie reputari pro Sancto et magno Domini famulo, ac pro tali venerari. (24) Item se scire Servum Dei pro fidei catholicae defensione martyrii palmam assecutum fuisse per manus Schismaticorum, et S.R.E. hostium. Nullam enim causam in illo mortis inveniebant hostes.

Item asseruit, quod tam felicitis fuit ingenii, ut subtilissimas quasque theologicas difficultates nempe mysteria SS. mae Trinitatis, Incarnationis, et alia huiusmodi facilius ipse perciperet quam subtilissimus quisque Theologus eidem explicare potuisset. Tam mirabili memoria praeditus erat, ut quaecumque legisset, vel audivisset ab aliquo, memoria retinisset, ita ut Chronica, vel omnium librorum, et Sanctorum Patrum dici posset thesaurus. Et in particulari dixit se aliunde acquisivisse quaedam Chronica sclavonica antiquissima, et Servo Dei dedisse, quae ille intra biduum a calce ad calcem percurrit, et in crastinum ex illis memoriter confundebat. Alias libros catholicos coemebat et inter Schismaticos et Haereticos ad legendum distribuebat. Et quoniam nullam aliam linguam praeter sclavonicam, et polonicam noverat translationem librorum latinorum in linguam vulgarem vehementer ambiebat, unde etiam ad instantiam Servi Dei dictus Ill. ris D. Judex Zonaram transtulit ex latino in polonicum, obtulitque Servo Dei tum a se tum ab aliis latinae linguae ignaris legendum.

Item asseruit, quod quodam tempore, se praesente, Servus Domini cum acerrimo quodam Haeretico, nomine Scabronski, Castellano Tarnaviensi, disputarat, confususque ab illo Haereticus durissimis Servum Dei excepit verbis, hic tamen nihil amplius dixit, quam: « scio, inquit, doctrinam Apostoli, Episcopum non debere esse litigiosum dicentis ».

Item asseruit, quod cives Mohilovienses Schismatici, Dioeceseos Servi Dei, triginta circiter millia florenorum Servo Dei offerebant, ut ecclesiis Mohiloviensibus schismaticos Praesbyteros praefici sineret. Risit Servus Dei sacrilegam impiorum petitionem, animarum, inquiens, salute non pecunia sibi opus esse.

Item asseruit, quod bona Ecclesiae Polocensis, a diversis occupata, magna cum industria recuperavit, in illisque recuperandis exactissimam iustitiae rationem habuit; sibi que id longe notissimum esse, quoniam praefatus Ill. ris D. Judex (24v) cum infrascribendo suo Germano, Ill. ri D. Prothonotario per speciale regium privilegium assignati fuerint in perpetuos Commissarios in causis bonorum Archiepiscopali-um. Sed et aliud quoddam fuit, quod Servum Dei iustitiae studiosum fuisse docuit. Fui enim praesens et comes Servo Dei in certa Commissione, quando propter ignorantiam liminum non poterat quidquam voto decidi, nec pro parte Archiepiscopali, nec contra. Tantum enim in privilegio Archiepiscopali fuit assignatus limes: via Vitoldi, sed ubinam fuit illa via ignorabatur. Servus Dei viam quondam obsoletam dicebat esse «viam Vitoldi» antiquam, negabat vicinus. Dum ergo haec lis sub iudicem vocatur, ecce ex improvise com-paret antiquissimum calcar in medio itinere, atque ita per utramque partem illa esse via antiquissima Vitoldi decernitur, ac iustissimam fuisse Archiepiscopi instantiam terminis positis declaratur.

Item asseruit, praedictum Servum Dei post mortem ex aquis extractum a se visum fuisse, pluribus post hebdomadibus, tanta faciei pulchritudine coruscantem, quantam antea nunquam superstes habuerat. Quatuor vero post obitum mensibus idem Servi Dei corpus se vidisse asseruit, quod non modo recentissime depositum videbatur, sed etiam ex vulneribus sibi inflictis cruorem fundebat.

(8 testis)

Hoc tanti viri testimonio fidelissime excepto, Ill. ris et Generosus Dominus D. Daniel Szczyt, subiudex Terrae Polocensis, vir sexagenarius, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus, iuramento praestito, illa omnia et singula, quae Illustris, et Generosus D. Judex retulerat, quoad famam de Servo Dei communem, ita se habuisse et habere quoad omnes paragraphos, et articulos supradictos affirmavit.

Addidit praeterea, quod cum anno 1623 ultima vice Vitepscum discederet Servus Dei, ipse, inquit, praemonitus et praecautus de offenso in illum Schismaticorum animo ac malitia, conspirationeque ac coniuratione in vitam illius, varios modos cum meis Collegis, multisque ex statu Nobilium illius amatissimis quaesiveramus, quibus ab hoc itinere Servum Dei deterreremus. Ad extremum magnam manum Nobilium (25) in suo comitatu Vitepscum ituram promiseramus; noluit ullum praeter suam solitam familiam accipere, neque a coepto itinere desistere. «Neque enim, inquit, expedit ut salus mea a quoquam praeter Deum defendatur. Sufficiunt mihi mei musici, qui mihi in ecclesia celebranti accinant».

Item asseruit, se saepius audivisse Servum Dei Josaphat vestibulum templi cathedralis Polocensis nudipedem noctu pro oratione adire solitum fuisse, et diuturnae orationi vacasse.

Item asseruit in seipso etiam miraculosum Servi Dei beneficium expertum esse. Anno enim 1626, cum Varsaviae in Comitibus generalibus extremo laborarem morbo, paralysi in dies magis magisque in-gradescente, coniux mea, nomine Anna Podbereska, eademque opti-

ma in Ritu Romano Catholica, haec audiens ex voto ad sepulchrum Servi Dei, nudipes, saepius habitu mutato, et incognite accedebat, meamque valetudinem illi reccommendans. Cunque id aliquoties reptiisset, inaudiit, et post brevi vidit, ac recepit usque in hodiernum diem me salvum, et incolumem. Quod cum mihi reduci optime iam valenti retulisset, ego etiam hanc meam sanitatem intercessioni Servi Dei Josaphat adscripsi, prout et nunc adscribo, et sanctum sepulchrum visitavi, grates Deo Opt. Max. et eius Martyri persolvens. Idemque praedicta Ill.ris et Generosa Domina, praesens, sub iuramento verissimum esse affirmavit.

(9 testis)

Hoc tanti viri testimonio fidelissime excepto, Ill.ris et Generosus Dominus D. Michael Tyszkiewicz, Prothonotarius Terrae Polocensis, vir fere quadragenarius, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus, iuramento praestito, verissima esse, quae supra de Servo Dei ex fama communi recensita sunt, affirmavit.

Addidit praeterea, quod cum ipse seorsim, et ex sua parte iter illud ultimum Vitepscense dissuaderet, ita Servum Dei ad mortem pro S. R. E. et fide catholica subeundam paratum invenit, ut verba illa ab eodem audierit: « Ego pro martyrio discedo Vitepscum, et utinam sanguinem pro Domino meo fundere possem » (25v)

Item de Ill.ri, et Generosa Domina Kristina Swiderska, consorte sua, tale dedit testimonium. Anno, inquit, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, cum extremo laboraret dicta mea coniux morbo, et nulli plane cognito, ex affectu erga Servum Dei, et magna de sanctitate illius opinione, votum ad sepulchrum illius, si convalueret, eundi emisit, eoque emisso convaluit, votumque executioni mandavit, idemque miraculum praedicta Ill.ris et Generosa Domina, optime iam valens, clare de verbo ad verbum sub iuramento affirmavit.

Item asseruit, ab omnibus quos sciat, reliquias illius in magno honore habitas fuisse et nunc haberi, seque collo suo nunc appensas gestare.

(additum: 9 testis)

Hoc tanti viri testimonio fidelissime excepto Ill.ris et Generosus D. Josephus Klonowski, Dapifer Terrae Polocensis, vir quadragenarius, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus, iuramento praestito, affirmavit omnia illa, quae supra recensita sunt de Servo Dei ex fama communi, verissima esse.

Addidit praeterea, se vehementer mirari, quomodo Servus Dei exiguis archiepiscopalibus reditibus talem machinam, ecclesiam cathedralam Polocensem in insignem pulchritudinis formam brevissimo tempore a fundamentis plane restauravit, praesertim cum et continuo cum Schismaticis iure decertaret, et bona ecclesiastica a saecularibus recuperaret, comitatum decentissimum, musicam excellentissimam haberet, hospites continuo tractaret, eleemosynas largas largiretur, apparatus ecclesiasticos nobilissimos compararet.

(10 testis)

Hoc testimonio deposito Ill.ris et Generosus D. D. Joannes Charmiński, Vicepraetor Polocensis, vir fere quadragenarius, idemque



optimus in Ritu Romano Catholicus, idem Servo Dei testimonium, iuramento praestito, dedit.

Addidit praeterea tanquam testis oculatus, et comes Servi Dei Josaphat cum aliis supradictis Ill.ribus, et Generosis DD., qui dictis praesentibus clara voce subscripserunt. Anno, inquit, 1622, mense Aprili, cum Archiepiscopatum Polociae Servus Dei obtinisset, consilio mecum inito in Praetorium venit, atque convocatis per pulsum campanae civibus Polocensibus privilegium sibi a Sacra Regia Maiestate pro Archiepiscopatu collatum legi curavit in praesentia (26) Ill.mi D. D. Michaelis Sokoliński, Palatini olim Polocensis, multorumque nobilium; eoque lecto protestatus est se iuxta clausulam privilegii esse, et futurum usque ad mortem in Unione cum S. R. E. Interrogavitque omnes an ipsi etiam uniti esse vellent. Hoc vero Servus Dei eo fine fecit, ut de illo nullus esset in tali opinione, in quali erant omnes de suis Antecessoribus, sed manifeste scirent omnes suum Archiepiscopum esse nomine et re Unitum. Audita Servi Dei resolutione, omnes unanimi consensu, et voce, se non esse Unitos, neque illum in suum Pastorem agnoscere, decem dumtaxat Unitis, et Catholicis Ritus Romani solis illi adhaerentibus; statimque fit tumultus in populo; quotquot fueramus, in gravissimo vitae periculo versabamur, donec arreptis quibusdam primariis Schismaticis ex Magistratu Civili, morte illis proposita, ut plebem continerent, tumultumque sedarent induceremus, parati cum toto Magistratu catholico pro defensione Servi Dei occumbere. Nulli tamen nostrum vel capillus de capite decidit. Cum tamen Schismatici et in vitam Servi Dei duas foeminas instruxissent, ut Servum Dei ex Praetorio descendentem cultris confoderent et contra pusillum unitorum gregem per ipsos illorum consanguineos, parentes uxoresque schismaticas, insidias struxissent. Quo in casu pulchrum quoddam accidit. Vicenotarius Terrae Polocensis, infraponendus,<sup>31</sup> Unitorum zelosissimus, in dicto tumultu communi hostium coniuratione in mortem quaerebatur. Ille vero per medium illorum transiit, non modo illaesus, sed neque visus ab illis. Putantes tamen, iam post abscessum Servi Dei et totius Nobilitatis, dictum Vicenotarium in Praetorio relictum esse, portam Praetorii claudunt, et in medio sui eundem quaerunt; immo quidam ex Nobilibus, Vicenotarii amantissimus, eundem etiam vita ipsa defendere cogitat; et ecce ille in medio foro sanus, et incolumis comparuit, neque quomodo e medio erutus fuerit periculo rationem dare potuit.

Discendens ex Praetorio Servus Dei in comitatu duorum tantum suorum familiarium per medium forum ad suam redibat Curiam, obvios quosque suos inimicos amplexans, deosculans, et ad sanctam Unionem dulciter exhortans, ad prandium etiam alios invitans. Quo autem numero fuerint seditiosi, aliquot millium personis nominatim expressis et in indicem relatis, Ser.mo Regi misi, malitiam Schismaticorum fusissime describens. (26v)

Auxit praedictam conspirationem creatio Smotricii a Patriarcha Hierosolymitano in Archiepiscopum Polocensem nuncupatum. Hic e-

<sup>31</sup> Joannes Diahilewycz (cfr. testis 11, pag. 126).



nim postquam putato hoc titulo donatus fuisset, literas ad omnes Archiepiscopatus Polocensis civitates, totamque Diocesim illam scripsit, ut se in Pastorem legitimum sumerent, eiurata Servo Dei Josaphat obedientia. Talibus enim acceptis Polocenses Schismatici literis album confecerunt, in quod sua seditiosorum nomina contra bonum Josaphat retulerunt. Immo tanti hanc in dictum album inscriptionem fecerunt, ut quilibet pro sola inscriptione tres grossos polonicos, id est novem solidos venetianos, sponte dederint, tanquam voluntaria hac contributione paratum sibi infernum comparatum. Conscriptioe hac Schismaticorum facta, Polociae tuguriola sibi quaedam in modum synagogarum erexerunt, illuc omnes confluentes, ita ut rarissimi apparerent Uniti in vastissimo Schismatis oceano. Sed quae est mutatio dexteræ Excelsi, occiso Servo Dei rarissimos videre licet Schismaticos iam Polociae, complentibus omnes Polocenses ecclesias (nulla autem penitus est Schismaticorum) hominibus in Ritu Graeco Catholicis.

Item asseruit, quod Servus Dei, sopitis modestia christiana tumultibus Polociae, tantum acquisiverit apud omnes amorem, ut communiter homines pro speciali favore, et divina gratia sibi reputarint magnaque felicitati dixerint, si ab aliquo invitatus prandium sumpturus invitantis convenit domum.

Item asseruit, se praesentem fuisse, quando Servi Dei corpus Vitepsco Polociam advectum fuerat, et vidisse plures illius inimicos, qui virum odio prosequerentur, corpori mortui cum planctu et eiulatu comites fuisse, parricidas ipsos maledixisse, sanguinem Martyris supra illos inclamasse.

Item asseruit, quod cum anno 1627 transiret flumen Duna, in quo Servus Dei submersus fuerat, glacie concretum, et quia iam vernum appropinquabat tempus, glacies rupi coepta, et omnino rupta est, unde summum immersionis imminere periculum Domino Vicepraetori. Quare, inquit, in summis constitutus angustiis in auxilium Servum Domini invocavi, et ecce illo invocato salvus et incolumis, nullo iuvante, in littore constiti (27).

Item asseruit, se a Judaeis Vitepscensibus audivisse, qui viderint quando Servus Domini post mortem de altissimo monte praecipitabatur dixerintque quod nec minimum os foret futurum integrum, et tamen multa millia, inquit, longo post mortem tempore integerrimum illius corpus viderunt.

(11 testis)

Hoc tanti viri testimonio excepto, D. Joannes Diahilevicius, Vicenotarius Terrae Polocensis, vir ultra quadragenarius, idemque zelosissimus in Ritu Graeco Catholicus, iuramento praestito, ea omnia, quae supra ex fama communi de Servo Dei relata sunt, verissima esse comprobavit.

Sed antequam particularium, quae de Servo Domini Josaphat sciret, redderet rationem, lachrymis ubertim perfusus, candide fassus est, se plura ad referendum de Servo Domini habuisse, sed dolore praevalente, de innocente illius morte concepto, vel gaudio de ipsius martyrii corona praepediente, vix aliqua ad supradicta addere posse. Eoque magis quo dulcius in memoriam sibi revocat, se a Servo Dei

Actorem vel Agentem per speciales literas contra Schismaticos constitutum fuisse, quas literas manu Servi Dei subscriptas, et superin-scriptas, coram protulit, sed tamen ea sibi restitui vehementer petiit pro reliquiis a se, et successoribus suis asservandis, prout restituae sunt. Cum quibus plenipotentariis literis protulit plurima acta in lingua vulgari, styli sclavonici, in quibus cernebatur lis Schismaticis per Servum Dei intentata; sed illa omnia hic inserere longum admodum et difficile videbatur. Manifeste tamen ex illis colligi poterat ingens Servi Dei erga sanctam Unionem zelus.

Porro Servus Dei ad hoc munus Archiepiscopale vocatus aperto Marte in campum cum Schismaticis descendit, me praesente et singula vidente, maximumque animum et zelum erga sanctam Unionem concipiente. Et eo fine supradictae coniurationis tempore in Praetorio privilegium suum legi curavit Polociae, in quo aperte clausula posita fuit, ut esset in Unione cum Sancta Romana Ecclesia. Hoc ad superiorem relationem accedens, cum in Praetorium dicto tempore venisset Servus Dei et coram innumera multitudine privilegium legi fecisset, summa attentione omnes audiebant, donec tandem ad illa privilegii verba ventum est: « Ut sit in Unione (27v) cum S. R. E. ». Hoc enim audito omnes una voce clarissime proclamarunt: « Non agnoscimus te in Pastorem », et tot tantaque moliti mala, quanta supra in relatione Ill. ris D. Vicepraetoris<sup>32</sup> sunt posita. Ab illius seditionis tempore in mortem illius conspirarunt Schismatici, et quod nunc Vitepsci accidit, id multo ante debuit esse Polociae, sed Dominus misericordia sua aversit hoc malum a civitate Polocensi.

Item asseruit praedictae seditionis tempore, ut supra dictum est, miraculose manus Schismaticorum se evasisse, cum tamen ab ipsis domesticis ad mortem quaesitus fuerit. Perpetuo enim odio illum prosequentes, nullo modo mensae suae assidere permittebant.

Item affirmavit Servum Dei Josaphat tam fuisse potentem in dando suis Unitis consolatione, ut plus illis solaminis afferrent verba sancti Pastoris, et tutaminis, quam mille armati. Verba enim, inquit, illius penetrabant corda illorum ut sagittae.

Item asseruit, quod post dictam seditionem, maxime vero post Smotricii iniquissimam publicationem, Schismatici quidam, saecularis conditionis, ademptis sibi a Servo Dei ecclesiis, et sacerdotibus Schismaticis Polocia expulsis, ausi fuerint Sacramenta suis Schismaticis ministrare; inter quos caput fuit quidam civis Polocensis, nomine Petrus Basilii, Proconsul.<sup>33</sup> Sed quae est iusta Dei punientis ira, cum inter alios parricidas Vitepscenses, ille solus ex civitate Polocensi, tanquam concaput coniurationis in iudicium vocatus esset, et criminis parricidarii convictus ad mortem condemnatus fuisset, iamque in arena consistens, collum suum gladio carnificis obiecisset, hic primo ictu cervici inflixit vulnus, sed dum alium intentat ictum Petrus op-

<sup>32</sup> Joannes Charminiński, testis praecedens (cfr. pag. 124).

<sup>33</sup> Agitur de Petro Basylide Thyrs, de quo in Decreto Commissoriali Vitepscensi (fol. 88v), prout infra. Ex eodem Decreto concluditur filium eius fuisse praesentem in Vitebsk tempore necis S. Josaphat, et fuisse unum ex ducibus totius coniurationis in mortem Archiepiscopi.

ponit manum, atque ita eandem ictu gladii, intacto collo, amittit. Rursum ad tertium gladii ictum (milites enim circumstantes decollationem omnino urgebant) laevam opposuit manum, sed et haec pariter intacto collo amputatur, quarto gladii ictu aurem amisit unam cum maxilla, ultimo ictu collum. Atque ita, videntibus omnibus, iusto Dei iudicio pro sacrilega administratione Sacramenti baptismi, confessionis etc. manus, auresque, vitam denique ipsam amisit. Hic enim publicus fuit de hac poena populi sensus. Prout etiam, illo referente, praedicti Ill.res et Generosi Domini (28) clara voce comprobarunt, itemque Spectabiles, et Famati Domini, infra in 2-a Actione ponendi.

Item asseruit, se, audita Servi Dei morte, Vitepscum statim venisse, et propriis manibus in tumbam sacrum illius corpus imposuisse, sanguine ex vulneribus defluente, atque in comitatu corporis illius fuisse, usque dum flumine Duna per viginti et quatuor leucas Polociam adveheretur, et in cathedrali S. Sophiae ecclesia collocaretur, comitantibus multis aliis civibus Polocensibus, aliisque personis tam regularibus quam saecularibus.

Addidit vero plura hanc sancti corporis delationem commendantia. Primo. Dum ex ecclesia Vitepscensi, S.ti Michaelis dicta, ad navigium sacrum corpus processionaliter deferretur, Polociam avellendum, maximus in tota civitate Vitepscensi audiebatur planctus peccatum suum deflentium, gravissimas Dei poenas timentium, principalibus parricidis maledicentium, Sanctum Servum Dei vocantium, et quod plus est, ad tumbam Servi Dei ferendam inimicissimis antea sancto Pastori properantibus, et ipsos cives Catholicos Polocenses a tumba repellentibus. 2-o. Dum forte fortuna synagogam Calvinistarum cum dicta corporis delatione transirent, calix, qui supra feretrum steterat funiculis sericeis hinc et inde serico feretrali fortiter alligatus, quique paulo ante, cum de monte asperrimo deferretur tumba immotus constiterat, ante dictam, inquit, synagogam inversus est sponte sua, funiculis omnino irruptis penitusque intactis. Quare plurimi ex ferventioribus dixerunt Servum Dei Josaphat et ante mortem Haereticis illorumque synagogis fuisse inimicum, et post mortem in calicis sui inversione eandem a sua illorum perfidia aversionem manifestasse.

Tertio. Dum navigium cum sancto corpore conscenderent, fluvii Duna concretionem, iamiam instantem, vehementer timuerunt. Glacies enim frustatim flumini densissime supernatans (quale est cuiuslibet initium hyemis) dictum iustissime causabat timorem; nihilominus tamen media deducti glacie, secundo flumine Polociam appulerunt. Cumque in littus sacrum extulissent corpus Duna, videntibus omnibus, glacie concrevit. (28v)

Quarto. Cum in littore constitisset corpus, civitatisque per pulsum campanarum hoc innotuisset, tota fere Polocia in occursum effusa, neque in minimo, immo maior semper Vitepscensium cedens affectui, usquedum in ecclesia cathedrali S. Sophiae deponeretur, ipsis Schismaticis Pastorem suum deflentibus, bonum, iustum, innocentissimeque occisum esse dicentibus.

Item asseruit se praesentem fuisse, quando civis quidam Polocensis, Stephanus Aphanasovitus nomine, licentiam a Servo Dei petit, ut sibi concederet Ordines suscipere a Pseudoepiscopo Schismatico-



rum Polocensium eo fine, ut Schismatici Polocenses dicto Stephano adhaerent, eiusque Sacramenta frequentarent; ille vero se obedientissimum futurum illi ut suo Pastori promittebat; Servus Dei intellecta schismatica pravitate nihil aliud illi, quam verbis Christi Domini usus: « Vade, inquit, post me Sathana, et noli tentare ».

Item asseruit, quod tanta Servum Dei reverentia ipsi Schismatici persecuti fuerint, ut quod ab initio Archiepiscopatus Polocensis nulli unquam factum fuerat Archiepiscopo, ante mortem illius tota fere civitas unanimi contributione insignes campanas tres, pro tribus ecclesiis Ritus Graeci: Salvatoris, Ascensionis, et Nativitatis Christi Domini fieri faciens, dicti Servi Dei nomen, et officium ipsis campanis affundi curavit, hoc tenore: « Haec campana fusa sumptu Civium Polocensium Parochiae Nativitatis Christi regnante Rege Sigismundo tertio, et sub Archiepiscopo Polocensi Josaphat Kuncevicio, anno millesimo sexcentesimo vigesimo ». — « Haec campana fusa Polociae in laudem, et gloriam in Trinitate Unius Dei, regnante Rege Sigismundo tertio, et sub Archiepiscopo Polocensi Josaphat Kuncevicio sumptu Civium Polocensium pro Ecclesia Sancti Salvatoris, et SS. mae Trinitatis Anno millesimo sexcentesimo vigesimo » — « Anno Nativitatis Domini millesimo sexcentesimo vigesimo primo, regnante Rege Sigismundo Tertio, et sub Ill. mo Archiepiscopo Polocensi Josaphat Kuncevicio, haec campana fusa sumptu Civium Polocensium Parochiae Ascensionis, et obtulerunt Ecclesiae S. tae Ascensionis Polociae factae ». (29)

Sed ecce Deus ipse gloriosus hanc Servi illius memoriam ita sibi gratissimam esse comprobavit, ut nominis eius ablationem odiosam. Cum enim cives Polocenses certis de causis campanam ecclesiae Nativitatis integram prius, quae supradictam Servi Dei inscriptionem praetulerat, certis de causis refundi curassent, nomen illius suppresserunt, campana brevissime post mortem Servi Dei rupta est, et nunc adhuc extat; unde communi omnium praesentium applausu ideo id factum fuisse conclusum est, quod Deo displicuerit haec Servi illius memoriae abolitio.

Item asseruit, quod Servus Dei Cives Polocenses Unitos ad audiendum quotidie Sacrum vehementer provocabat, et quia viderat, quod non omnes possent quotidie adire ecclesiam cathedralem, utpote in altissimo monte, in Arce ipsasitam, certam ecclesiam in media civitate designavit, Nativitatis Christi Domini Dominorum, in qua quotidie mature Sacrum celebrarent, ab omnibus mercatoribus, vel artificibus commode audiendum.

His talium tantorumque virorum, et omni exceptione fide dignissimorum, utpote iuramento publico, tanquam publicorum officialium obstrictorum, testimoniis fidelissime exceptis vocati sunt in testimonium alii Nobiles quicumque aliquid de viro Dei scirent.

(12 testis)

Generosus itaque D. Nicolaus Doctorovicus Hrebnicki, vir annorum fere sexaginta, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus, sua ex parte clara, et elata voce, iuramento praestito, affirmavit illa omnia,



et singula, quae supra de Servo Dei ex fama communi recensita sunt verissima esse.

Addidit praeterea se bis diversis temporibus, extremo laborantem oculorum et corporis morbo, voto ad eundem Servum Dei concepto, sanitati restitutum fuisse, et nunc optime valere.

(13 testis)

Generosus D. Joannes Korsak, Haereticus Calvinista, publice professus est se nihil de Servo Dei unquam male audivisse. Idem clara voce testati sunt generosi DD. Basilius et Lucas Reuti, D. Joannes Cierpieta, D. Joannes Suaracki, D. Thomas Sielava, D. Starzynski, omnes in Ritu Romano Catholici.

(14 testis)

Generosus D. Paulus Pszczycki, in Ritu Graeco Catholicus, Servi Dei Josaphat olim familiaris, iuramento praestito, praeter illa quae supra de Servo (29v) Dei recensita sunt, eaque longe verissima, et ita se omnino secundum famam communem habere; asseruit se comitem Servo Dei fuisse in Comitibus Varsaviae, quando ille cum Schismaticis Pseudoepiscopis disputarat, et in disputatione confuderat; idemque saepius etiam alibi in Servo Dei observaverat, hoc notans in illo, quod subinde uberrime fletuerit, Schismaticorum pertinacia et pravitate in memoriam revocata.

Item asseruit, se audivisse Schismaticos Vitepscenses, ante martyrium ipsius, mortem illi minitantes: « monete illum, dicentes, ne huc veniat, quia bibit aquas », immo illos doluisse, quod ante annum 1623-um, habita occasione, illum non occiderint. Quibus dictus D. Pszczycki auditus Servo Dei scripsit, monendo illum et certum de minis Schismaticorum faciendo, eundemque postea vidit, et idem oretenus inculcavit; nil tamen aliud a Servo Dei audivit, quam: « ego, inquit, nihil curo; faciant quid velint, ego sum Unitus ».

Item asseruit, se subinde in eadem camera cum Servo Dei in itinere pernoctasse, et notasse lectisternia pro forma tantum strata fuisse, ipsum vero Servum Dei in solo scamno dormivisse.

(15 testis)

Generosus D. Joannes Lossowski, familiaris olim Servi Dei, idem in Ritu Romano Catholicus, iuramento praestito, lacrymis ubertim fluentibus omnia supradicta de Sancto Antistite ex fama communi verissima esse testatus est.

Addidit praeterea, quod in itinere disciplinas non omittebat, easque gravissimas; propter incommoditatem, in praediis, ad horreum sese conferebat, et inter acervos tritici flagellis sese caedebat. Rudes ubicumque poterat in itinere instruebat, catechisabat, ad confessionem inducebat, eamque ipse excipiebat.

Item se cum alia familia ab infelici illo Vitepscensi itinere Servum Dei cum aliis deterrere conatum fuisse, sed imperterrita corde nihil profecisse, imo dicebat Servus Dei: « nolite timere, promitto vobis nullum vestrum occidit ». Neque vero illa tantum vice mediis

sese immiscuit periculis, sed liberrime etiam in aquis, foro, tumultibus pro Sancta Unione ultro sese morti obiciebat.

Item asseruit se praesentem fuisse, quandoquidem consanguineus Servi Dei qui duobus (30) circiter annis inter domesticos eiusdem commorabatur, illo exacto tempore a Servo Dei dimissionem, et viaticum petiit; hic pro toto biennio florenos viginti dari iussit, vestesque illi comparari vixque alios viginti florenos valentes. Expedito vero suo consanguineo vehementer doluit, quod tam multum illi dederit, dicens: « mallem illud pro ecclesia exponere, vel pro pauperibus; ecce enim pro datis meo Ostronecki florenos quadraginta nullum meritum habeo ».

Similiter cum per importunam multorum instantiam suo cuidam affini domum illam, in qua natus Vladimiriæ fuerat Servus Dei, donasset, statim doluit se id fecisse, dicens se habere scrupulum quod in illo loco, ubi natus fuerat, ecclesiam non aedificaret aliquot centenis florenis additis.

Denique asseruit se et tunc habuisse, et nunc habere illum pro sancto. Immo se nunc recentissime cum consorte sua novum emisisse votum ad sepulchrum Servi Dei et magnam spem habere ex omnibus adversitatibus, et angustiis sese per Servum Dei eruendum.

(16 testis)

Generosus D. Joannes Kossanowski, vir quinquagenarius, idemque in Ritu Graeco optimus Catholicus, civitatis Jakimanensis Advocatus, familiaris olim Servi Dei, iuramento praestito, omnia supradicta de Servo Dei ex fama communi verissima esse affirmavit.

Addit se Schismaticum et quidem Semihaereticum fuisse, et per dictum Servum Dei Josaphat ad sanctam fidem catholicam tractum.

Item Servum Dei assiduum fuisse in ecclesia, in itinere etiam omnia ad profectum religiosum spectantia exactissime observasse, pauperibus eleemosynas largissimas dare solitum fuisse, neminem afflictum a se dimisisse, viduas et orphanos multum consolationis a Servo Dei semper habuisse.

Item Servum Dei humillimum fuisse hoc signo docuit, quod vitam suam saepius ille recensendo, ingenue fatebatur, quomodo ex mercatore factus fuerit Religiosus sacerdos, et per tantam distantiam Archiepiscopus.

Item cum quadam vice Varsaviam sum Servo Dei discedens ab aliis admonitus illum praemonuisset, Schismaticos in itinere illi insidias struere, magno (30v) et imperturbato animo, non modo nil dicta dicentis curavit, verum etiam risit.

Item cum Servus Dei in Archiepiscopum Polocensem creatus fuisset, Schismaticus Vilnensis, Isaac Philippi nomine, dicto Domino Advocato dixerat: « felices vos, inquit, estis quod talem Pastorem habeatis ».

Denique obtulit scriptum quoddam, et lecto illo ac iuramento firmato in Acta praesentia referri petiit. Scripti ergo illius tenor talis est: « Quoniam hodie tempus, et locus est, ut quilibet aperiat, et mani-

festet, quicquid sciat de vita, et miraculis sanctae memoriae Martyris Dei Josaphat, confiteor coram Ill. mis Dominationibus Vestris, quod ultra illa quae passim de Servo Dei feruntur quorumque ego conscius fueram dum essem a servitiis Servi Dei, post mortem etiam in me gratiam Dei singularem expertus sum. Anno enim 1625, eo plane tempore quo depositio corporis illius absolvebatur, uxor mea nomine Catherina Kopciowna, gravida, in partu ipso de vita periclitabatur. Recordata itaque operum Servi Dei Josaphat sanctorum, et miraculorum per eundem partratorum, ex quibus multa iam inter homines ferebantur, Servi Dei intercessionem implorat periculumque vitae eidem commendans votum fecit sepulchrum illius sanctum visitandi. Hoc vero voto facto ex nunc foetum feliciter enixa est. Eadem coniugis mea anno 1627, die carnavorum, repentina colica correpta est, ita ut iam Sacramentis munita nobis ultimum vale diceret. Interim eiusdem Viri Dei implorat auxilium, et eundem quem supra experitur favorem, et brevi tempore convaluit, ad sepulchrum Servi Dei laeta persolvens gratiarum actionem. Ancilla etiam coniugis meae, nomine Marina, a longo tempore ita capitis vexabatur dolore, ut etiam de morte sibi inferenda, dolore praevalente, cogitaret. Illa etiam anno 1627, in festo Assumptionis B. mae Virginis, ex voto sepulchrum Servi Dei visitavit corona cerea capiti imposita, de consilio admodum R. Patris Genadii, Igumeni Monasterii Polocensis; corona vero ad sepulchrum appensa statim omni dolore liberata est, et semper id fatetur. Hoc totum affirmo sub conscientia et salute aeterna. Joannes Kossowski manu propria ». (31)

(17 testis)

Generosus D. Petrus Mniszewski, iuramento praestito, affirmavit uxorem suam aliquoties abortum passam fuisse vel si pepererat foetum tamen mortuum fuisse; tandem ad sepulchrum Servi Dei facto vivium filiolum in lucem edidisse, et nunc Dei gratia et intercessione Servi salvum et incolumen eundem videre.

(18 testis)

Generosus D. Alexander Jeleński, Ill. mi Archiepiscopi Polocensis moderni familiaris, obtulit quoddam scriptum, idemque iuramento firmavit. Scripti illius tenor talis est: « Ego Alexander Jeleński sub iuramento testor, quod cum anno 1626 ferventissima tenerer febris Servo Dei Josaphat me recommendans, ex nunc pristinae restitutus sum sanitati. Similiter anno 1627 toto corpore meo per gravissimum morbum vulneribus, tumoreque affecto, expertus semel praesens Servi Dei auxilium, alia vice ad eundem confugi, et sancta eius adiutus intercessione sanitatem recepi. - Alexander Jeleński manu propria ».

(19 testis)

Dum haec testimonia excipiuntur supervenit Ill. ris et Generosus D. D. Joannes Lissowski, Vicepalatinus Polocensis; requisitus itaque a Patribus, quid de Servo Dei Josaphat sentiret, iuramento praestito, affirmavit, se quidem de Servo Dei nihil in particulari scire, sed tamen fama communi se omnino suffragari, quae constans est Servum Dei

Josaphat sanctae memoriae vixisse, tota sua vita strenue S. R. E. defendisse et pro eadem occisum esse. Plurimos nunc, et ferme omnes quod sciat Catholicos pro sancto illum habere, illius intercessioni sese commendare, ad sepulcrum vota emittere, candelas offerre, votivas tabellas argenteas, cereasque sepulcro appendere, se denique pro sancto Martyre illum venerari, et in patronum praecipuum sumere.

His ab Ill.ribus et Generosis Dominis nobilibus exceptis testimoniis ad instantiam, et publicam petitionem Illstrium, et Generosarum Matronarum ex statu Nobilium unanimi omnium Ill.morum, et Reverendissimorum Adm. RR. DD. Patrum ac Dominorum praesentis Inquisitionis Commissariorum apostolicorum, facultas sexui foemineo dicendi concessa est.

(20 testis)

Ill.ris itaque, et Generosa Domina Alexandra Wołowiczowna, Ill.ris et Generosi D. Gregorii Korsak, Terrae Polocensis vexilliferi, coniux, optima in Ritu Graeco Catholica, spontaneo publice praestito iuramento, asseruit maritum suum (31v) praedictum Ill.rem D. Vexilliferum Terrae Polocensis gravissima vexatum fuisse anno 1627 febr, cumque votum fecisset mecum sepulchrum Dei Josaphat adeundi, et pro sanitae Servi Dei auxilium implorandi statim sanitati restitutus est.

(21 testis)

Ill.ris et Generosa Domina D. Marina de Druck Sokolińska, praedicti Ill.ri D. Vicepalatini coniux, eademque optima in Ritu Graeco Catholica, iuramento praestito, tale testimonium dedit. Anno inquit 1627 mense Septembri in maximo Polocia fuit a Suecis periculo, qui circumiacentia ferro, et igne vastabant loca, urbesque. In maximis itaque posita angustiis, tutelam Polociae Servo Dei mea ex parte commendans ex voto sepulchrum visitavi, et pro posse meo eiusdem imploravi auxilium; et ecce in crastinum ultra omnem spem, et opinionem Suecos iam ex tractu Polociae viciniore totaliter recessisse. Unde ego mea ex parte Servi Dei meritis Polociam periculo exemptam tunc iudicavi, et nunc affirmo.

(22 testis)

Generosa Domina Marina Sielawianka, Generosi D. Filonis Dubieniecki coniux, eademque optima in Ritu Graeco Catholica, iuramento praestito affirmavit, se anno 1627 dolorem maximum capitis passam esse, et quidem tempore diuturniore; Sanctum vero invocando ex tunc sanctitati restitutam esse, et nunc optime valere.

(23 testis)

Generosa Domina Crapińska, iuramento praestito, affirmavit filium suum paralysi periculose tactum, ex voto ad sepulcrum Servi Dei delatum extemplo sanitati restitutum esse.

(24 testis)

Generosa Domina Górska, iuramento praestito, fassa est se oculi



dextri dolore vehementer vexatam fuisse, tandem invocato Servi Dei auxilio sanitati restitutum esse.

(25 testis)

Generosa Domina Woynowska, iuramento praestito, asseruit se claudam septem integris annis fuisse, neque incedere ullo modo potuisse, voto vero ad sepulcrum Servi Dei facto, et eidem satisfacto, ecce me, inquit, convaluisse omnes vident.

(26 testis)

Generosa D. Hołubicka, iuramento praestito, affirmavit, se nepotem suum gravi lapsu extreme concussum, sola ad sepulcrum Servi Dei Josaphat delatione, et precibus ad eundem pro suo nepote fuis sanitati restitutum recepisse. (32)

His omnibus et singulis utriusque Ritus, et sexus hominibus omni exceptione fide dignissimis iisdemque optimis Catholicis, clara et elata voce, omnibus audientibus, testimonia sua, iuramento praemisso, ferentibus auditis, et diligentissime examinatis, nec quoquam iam ex statu Nobilium ad testimonium de Servo Dei dandum comparenti, citati sunt clara voce omnes et singuli, si quid in contrarium de Servo Dei scirent; nullo autem prodeunte, cum iam fatigati viderentur in audiendo homines, reliqua aliorum testimonia in crastinum seposita.

Itaque per R. D. Abrahamum Hrenevecium, Actionem crastinam supra eodem negotio intimarunt Patres, atque gratiis D. O. M. persolutis ex ecclesia recesserunt.

#### ACTIO SECUNDA — DIES SECUNDA.

Quae fuit 21 Martii . feria 3. post secundam Dominicam Quadragesimae

Hac die, eodem modo, et eodem, quo supra dictum est, considerentes loco ambonam Patres, invocato Spiritus Sancti suffragio per R. D. Abrahamum Hrenevecium terminum iudiciorum praesentium hodiernam esse diem intimarunt, ac proinde omnes et singulos, praesertim ex statu civili, testimonium de Servo Dei laturos accedere iusserunt. Atque praemissis aliquot ad omnes adstantes verbis, Illi Commissarii locum testibus dederunt. Ac imprimis Magistratui civitatis Polocensis catholico ad testimonium ferendum locus concessus.

(27 testis)

Itaque spectabilis D. Petrus Dankowski,<sup>34</sup> Proconsul Polocensis, vir sexagenarius, idemque optimus in Ritu Romano Catholicus, ea, quae supra in priori Actione de Servo Domini secundum famam communem relata sunt, iuramento praestito, confirmavit.

Obtulit praeterea scriptum quoddam, sua propria manu conscriptum et subscriptum, quod quidem ipse clara et elata voce legit, lectumque iuramento confirmavit, et petiit, ut in Acta praesentia in latinum translatum referretur, prout et relatum est. Scripti illius tenor talis est: (32v) « Ego Petrus Dankowski sub conscientia testor mihi notissimam fuisse sanctissimam vitam Servi Dei Josaphat Chuncevitii,

<sup>34</sup> De illius miraculosa sanatione scribitur postea in aliis variis documentis.

Archiepiscopi Polocensis. Cum illo enim conversatus sum dum saepius anno 1623 diversis diebus, utpote saepius vocatus ab illo in consilium ex parte iuris saxonici contra inimicos Unionis Sanctae Vitepscen. Qua occasione saepissime observavi varia Servi Dei exercitia, in ieiuniis, orationibus, carnis maceratione, paupertate summa. Cum ageret Polociae festis diebus secundum Calendarium Romanum Latinorum adibat ecclesiam volens exemplo suo Schismaticos ad idem inducere; saepius illi dicebam: « Ill.me Domine, multos habes adversarios Polociae, et in vitam tuam coniuratos. Ecce et Vitepscum auditur mortem Dominationis Vestrae Ill.mae minitari ». Ille vero cum sancto Paulo mihi respondebat: « Cupio dissolvi et esse cum Christo, addens, se semper ad moriendum pro fide catholica et sancta unione paratum esse ». Audita morte Servi Dei vehementer dolui. Sub idem vero plane tempus oculorum dolorem adeo gravem sum passus, ut iam homines ex facie dignoscere non possem. Cum vero occisi Servi Dei corpus Vitepsco Polociam adveheretur feci me ad illud adduci, ubi audieram lamentationes, et utriusque sexus hominum querelas, dicentium medias inter lachrymas singultumque: « optimus vir fuerat, vitae piissimae, nulli causam offensae dederat, maledicti sint parricidae ». Delato itaque corpore et in ecclesia Polocensi cathedrali disposito, lapidibus etiam cum cilicio, tanquam martyrii illius instrumentis, ad unam ex columnis parti dexteræ positis iussi me adduci ad dictum cilicium, et lapides. Cum summa itaque inter densissimam turbam molestia adductus sum, ibique flexis genibus D. Deum orabam, et me illius sanctae Servi Dei recommendans orationi, speque ac fide innixus auxilium invocavi illius ut possim videre, dicto cilicio meos abstergens oculos. Cumque prima vice abstersissem oculos murburbant Schismatici utriusque sexus dicentes: « Deliras, lapides adoras, nihil te iuvabunt ». Ego iterum confisus altera et tertia vice oculos abstersi, et ecce visu recuperato homines ex facie dignoscere coepi et, videntibus hostibus Ecclesiae Dei, sine ullo (33) ductore ex templo sum egressus; in crastinum vero vota ibidem persolvens, acutiorem recuperavi visum, et iam legere coepi, prout etiam nunc lego, pro quo beneficio per Servum Dei obtento nunc etiam Dominum Deum laudo pro restituta mihi sanitate gratias reddens. - Idem qui supra manu propria ».

Sed et aliud sub idem tempus retulit miraculum, iuramento spontaneo comprobans. Viso enim, inquit, miraculo per Servum Dei patrato, et oculos mihi restitutos contemplan, quaedam foemina, civis Polocensis, dolorem etiam oculorum vehementer patiens, conscientia pura, et fide non ficta suos itidem abstersit oculos, continuoque omni caecitatis periculo liberata.

(28 testis)

Spectabilis D. Constantinus, Proconsul Polocensis, vir quadragenarius, cognomine Stephanovicus, in Ritu Romano Catholicus, iuramento praestito, famam communem de Servo Dei talem fuisse semper et esse, qualis supra relata est.

Addidit praeterea se quodam tempore in conclave Servi Dei venisse, et vehementer aedificatum fuisse ex lectisterniis illius vilissi-

mis, neque pauperrimo, inquit, artifice aliquo dignis. Sanctus Servus Dei vero id faciebat ex amore humilitatis, et paupertatis.

Item asseruit se praesentem fuisse Varsaviae, quando Schismatici Mohiloviensis Dioeceseos ipsius in contemptum loco donativi siccum obtulerunt Servo Dei pisces, rogantes ut illos a citatione, qua evocati ad Sacram Regiam Maiestatem fuerunt liberaret. Servus Dei pisce illo accepto, quae ex iustitia futura sunt prosecuturum se dixit. Tandem decreto S. R. Maiestatis aliquibus ex principalibus Mohiloviensibus seditiosis, Schismaticis, capite damnatis, cum supplices ad Servum Dei de non persecutione decreti venissent subridens hic dixit: « Non me putetis vindictae cupidum esse, vos me irridetis, ego vos amo ».

Item se fuisse in comitatu Servi Dei Polociae, quando ille obvius factus cuidam ex Schismaticis Polocensibus principali, sibi inimicissimo, dulcissime apprehendens illius manum ad Sanctam Unionem hortabatur. Respondenti vero Schismatico: « Optimus es Pater, sed te non audio », Servus Dei, nulla habita responsionis ratione, de fide catholica diutius disserebat. (33v)

Item retulit audivisse quod civis Vilmensis, Unitus, Theodorus Koroskievicius nomine, dixit, quod quodam tempore dum Servus Dei esset Superior monasterii Vilmensis SS.mae Trinitatis, nihilque quod haberet fratribus ad victum dare posset, interim nescitur unde et ex pecunia quasi decem scuda Romana, et ex leguminibus aliquot currus advecti sunt, neque interrogati vectores nomen mittentis dicere voluerunt.

Item asseruit, quod cum Servus Dei videret personas quinque schismaticas principales Polocenses capite damnatas fuisse propter tumultus et coniurationes contra Servum Dei excitatas exclamavit ille: « Absit, inquit, tantum nefas; malo ipse mori, quam ut vel unus peccet. Aderit tempus cum suas persolvent, me non instigante, poenas ». Quod ipsum publica voce prophético spiritu de inflingendis pro nece sua poenis dixisse comprobatur.

Item dictus D. Proconsul cum sua uxore et filia, ibidem praesentibus, iuramento confirmarunt dictam filiam pessime valuisse, sed voto ad sepulcrum Servi Dei facto statim convaluisse.

Item asseruit Martii 19, anni currentis, Nobilis quidam, nomine Generosus D. Joannes Crapiński, hora antemeridiana circiter octava, rediens ex ecclesia cathedrali, et a sepulcro Servi Dei Josaphat, dixit se suam manum dexteram contractam habuisse tempore longiori. Hodie vero, inquit, ad sepulcrum Servi Dei eandem sanam recepi, eiusque sanitatem motu dexterrimo ostendit; sed quae est huiusmodi ingratitude, discessit Polocia, neque hanc praestitam sibi per Servum Dei gratiam manifestavit.

(29 testis)

Spectabilis D. Joannes Terlikowski, Polocensis, vir quinquagenarius, in Ritu Graeco Catholicus, iuramento praestito, candide fassus est, se Schismaticorum Polocensium pessimum et Servo Dei inimicissimum fuisse autoremque supradictae coniurationis contra illum concitatae atque per eundem ad sanctam fidem catholicam tractum; fa-



mam communem talem semper de Servo Dei fuisse et esse, qualis huc usque recensita est.

Addidit praeterea, quod cum audisset Servus Dei, me, inquit, iam illi manum obedientiae dare velle et iam ad ecclesiam venire, in porticum prodiit, et manum meam apprehendens dulcissime sublacrimatus: « Deus meus, inquit, ecce errantem inveni ovem, tibi eadem commendo ». (34)

Item testatus est, se dum esset in Schismate cum multis aliis eiusdem sectae semper optime de Servo Dei, et eius vita sensisse, et audivisse, solum hoc damnando, quod Papam recognosceret.

(30 testis)

Spectabilis D. Lucas Cihanovicus, Proconsul Polocensis, vir quadragenarius, idemque in Ritu Romano Catholicus, iuramento comprobavit nomen Servi Dei dulce semper et iucundum in ore omnium fuisse, quare omnia, inquit, quae sunt de illo dicta ex fama communi verissima esse iuramento qualicumque confirmare sum paratus.

Addidit praeterea quod fuerit tum in prandio apud Servum Dei, cum illi stabulum cum equis combustum esset, nec minimum alicuius turbationis ostendit Servus Dei signum, sed more suo solito cum Schismaticis ad mensam de fide disceptabat, qui cum, inquit, illi obicerent, et suaderent, ut Patriarcham recognosceret, quo facilius illos ad se traheret, respondit S. Martyr: « Recognoscat Patriarcha Papam, et ego recognoscam Patriarcham ». Item cum illi quodam die dicerimus, Schismaticos illi mortem intentare, respondit: « Propter Christum mundo moriar ».

Item se a principali quodam Schismatico Vilnensi, nomine Deodato Turecki, suis ipsius auribus audivisse Servi Dei testimonium: « optimum, inquit, hominem perfidi Vitepscenses occiderunt ».

Item retulit quoddam miraculum de affinis sui filia, quod iam in agone posita voto ad sepulcrum Servi Dei facto convaluerit, sed et mater eiusdem puellae praesens idem iuramento confirmavit.

(31 testis)

Spectabilis D. Lucas Jurkiewicz, Proconsul Polocensis, vir sexagenarius, in Ritu Graeco Catholicus, iuramento praestito, fassus est se haeticum Calvinistam fuisse, et per Servum Dei ad s. fidem catholicam conversum, gaudereque quod prima vice in vita sua Servo Dei confessus fuerit.

Addidit praeterea: « Nobis, inquit, recenter conversis distribuebat libros catholicos contra doctrinam fidei catholicae contrariam editos, secundum cuiusque statum, et conditionem, ac haeresim »; quare etiamnum librum a Servo Dei datum se pro thesauro asservare, dixit. Omnibus quoque quae supra dicta sunt, de modo quo Servus Dei ab initio sui Archiepiscopatus in propaganda Sancta Unione usus fuerat, quaeque passus sub conscientia verissima esse comprobavit. (34v)



His iuramento firmatis, Spectabilis D. Dorotheus Abramovicus, Consul Polocensis, vir annorum quadraginta, optimus in Ritu Graeco Catholicus, iuramento praestito, affirmavit sibi Servum Dei notissimum fuisse ab anno circiter 1604, cum scilicet dictus D. Dorotheus, adolescens adhuc, a servitiis cuiusdam mercatoris ageret Vilnae et Servus Dei Josaphat tanquam recens ex saeculo conversus simplicem agebat monachum in monasterio SS.mae Trinitatis Vilnae, ubi magnam in illo notabat sanctitatem multis signis proditam.

Primo, quod cum piae memoriae Hypatius Metropolita Ordines illi conferre vellet, ita renuebat, ut, nisi stricta cogereetur obedientia, nequaquam consentiret. 2-o, quod licet in principio illius Unionis vix aliquis non modo in Religione S.ti Basilli Unitorum, verum etiam in ecclesia SS.mae Trinitatis compareret Servus Dei spe magna augmenti Sanctae Unionis zelosissimum profitebatur Unitum, quoscumque poterat docebat, confirmabat, vocabat ad Unionem simul et Religionem. Tertio. Quod Servus Dei tribus integris ab ingressu in Religionem annis voluntarie ex dicto SS.mae Trinitatis monasterio non est egressus in civitatem.

Item a multis annis Servum Dei Josaphat vocatum a Schismaticis « Duszochwat », quasi raptorem animarum, cuius causam illam esse dicebat, quod filios civium Vilnensium ad religiosum inducere soleret statum, qui postea per diversa loca pro studiis mittebantur. Hinc parentes dictorum adolescentium publice et privatim illi maledicebant, illud suum « Duszochwat » ingeminantes, qui tamen postea reducibus suis ex studiis filiis maxime consolabantur, et vero Sancto gratias agebant.

Item retulit, quod sub tempus discessus Ser.mi Regis ad recuperandum Smolenskum in Moscoviam, omnes sacerdotes a praedicto piae memoriae Metropolita Russiae, Hypatio Pociey vocato, secesserunt, et omnes omnino ecclesias pro Schismate receperunt, quas tamen Ser.mus Unitis restitui fecit. Cum ad monasterium SS.mae Trinitatis Unitorum vi occupandum Schismatici Pseudomonachi, mille fere Schismaticorum manu collecta, venissent in quo tum temporis sub praesente Metropolita Josepho, pro tunc Archimandrita Vilnensi, (35) fuit Servus Dei cum aliquot, non pluribus decem, monachis catholicis. Viso itaque Servo Dei cum suo Archimandrita hostes omnes ad unum profugerunt, omni periculo liberum relinquentes monasterium. Cumque dictus D. Dorotheus de die quo hoc factum fuisset quaereretur, non se recordari ingenue fassus est, sed Admodum R. P. Igumenus Polocensis, tanquam Servo Dei contemporaneus et testis oculatus, dixit fuisse festum Quadraginta Martyrum, id est diem nonam Martii, qua occasione plura de hac die sunt dicta, et quia alia occasione repetita sunt sub Actione quarta, ne bis repetantur infraponentur.

Iam vero dum Servus Dei Archiepiscopum Polociae ageret, quomodo vixerit testimonium totius appellavit civitatis; omnia quae supra dicta sunt de illo verissima esse comprobans. Oculatum, et auritum testem concionum Servi Dei, Missarum, colloquiorum, et disceptatio-

num de Sancta Unione et S.R.E. primatu, zeli, charitatis erga Deum et proximum, humilitatis, paupertatis, religionis, aliarumque christianarum catholicarumque, religiosarum, et pastoralium virtutum authenticum se esse testem affirmans non minus dulciter longe diserebat.

His, inquit, omnibus in Sancto Viro notatis talem affectum erga Sanctam Unionem habuit, ut licet omnes consanguinei, et affines parentes ipsi, atque uxor mea propria (quae nunc D. G. Unita est) acerrimi essent Schismatici, et mortem mihi minitarentur, adhaerens tamen Pastori suo pectus, ne quicquam terruerunt; ita ut quadam vice in ecclesia Polocensi, Ascensionis Christi Domini dicta, cum Servum Dei Josaphat ipsa die Ascensionis sacrum Missae officium inibi facturum introducerem, a Schismaticis impetum in dictam ecclesiam facientibus certo occisum fuissem, ni prius sub ponte latuissem, et post Missae solemnia cum Servo Dei in Curiam ipsius rediissem. Ita scilicet nefandum Schisma non modo Pastorem Catholicum sed etiam gregem illius modicum odio prosequeretur. Reducto itaque ad Curiam optimo Pastore, et mihi a Schismaticis domesticis timens Sancto illi Viro cum lacrymis malitiam hostium Ecclesiae Dei exponebam, a quo illa verba plena consolationis audivi: «Videbis, quod Deus Omnipotens melius quam unquam alias, et potentius nos postea confirmabit». (35v)

Item retulit, dum Servus Dei ecclesiam cathedralem Polociae reparare coepit, non necessarias quatuor turriculas deiici iusserat, quinta in medio pro copula ecclesiae relicta, Schismaticos publice de Servo Dei conquestos fuisse. Verissimam, dicentes, esse suam opinionem, quod Josaphat fidem, ut dicebant, Graecam tollere velit. Ecce enim, inquit, quatuor Patriarchas abnegavit, solo quinto Papa relicto.

Item dum Servus Dei a parricidis occisus iam esset, complendo peccatum suum Schismatici mortuum elevarunt, et iam erectum alloquebantur: «Nunquid non dies Dominicus est hodie? concionari te oportet Archiepiscopo!» Sicque aliquantulum Servum Dei irridentes post eundem ad terram alliserunt.

Item insigne de filiolo suo miraculum retulit in hunc sensum. Anno enim, inquit, 1623, 13, id est prima post occisum Servum Dei die, filius meus, nomine Simeon, aetatis duorum circiter annorum prophetizare coepit de nece Servi Dei Josaphat, Pastoris nostri charissimi, de quo nullus adhuc ex saecularibus, vel spiritualibus quicquam Polociae sciverat. Praefatus enim puer accedens ad me uxoremque meam, tanquam parentes suos, locutus est in haec verba: «Pater, Deum occiderunt». Cunque ego quaererem ex illo, quisnam ille esset Deus, respondit: «illum occiderunt Deum, qui ecclesiam aedificavit»; quod dum ego domo in forum egressus plurimis dixissem, maximam singulis causavit admirationem. Interea vero in crastinum, id est 14 eiusdem mensis Novembris, iam hora pomeridiana rumor perlatus est nostrum amantissimum Patrem pro sancta Unione a Vitepscensibus fuisse interfectum.

Item asseruit Servum Dei post mortem ex aquis extractum, et Polociam advectum, pulchriorem fuisse, quam unquam alias in vita fuerit.

Item se fuisse praesentem, et vidisse, quando calix ille superferetralis, de quo in Actione prima, inversus est sponte sua in transeundo synagogam Calvinistarum.

Item asseruit, non solum alia ad Servum Dei Josaphat pertinentia pro reliquiis semper habita, sed etiam lapides ipsos veneratos fuisse, qui appensi erant corpori Servi Dei in fluvio demergendo, et nunc etiam in veneratione haberi. (36)

Item se propriis auribus audivisse, dum corpus Servi Dei Vitepsco Polociam versus efferretur, voces Schismaticorum cum lachrymis clamantium: « periiimus, periiimus. Proh Deum immortalem, quid nobiscum fiet? iustum, bonum, pium occidimus ». Dum vero illis insultantes diceremus: sanguis Martyris cadat supra vos, responderunt: « cadat supra illos, qui causa mortis extiterunt ».

Item asseruit, quod postquam Vitepscum venimus ad revehendum Polociam corpus tam communis inter omnes Catholicos, cives Polocenses, opinio de ipsius sanctitate fuerat, ut unanimi consensu et nunc altare illi erigere compromiserimus, et iam est in paratis, erigeturque statim postquam a SS.mo D. N. Pontifice Romano, cui fidelem obedientiam, duce Servo Dei reddidimus, et nunc fidelissime reddimus, licentia nobis data fuerit.

(33 testis)

His felicissime relatis Spectabilis D. Nicolaus Sakowski, Civitatis Polocensis Notarius, iuramento praestito, famam communem talem semper fuisse, et esse, qualis supra de Servo Dei relata est. Addidit praeterea se gravissima infirmitate fuisse affectum, postquam vero ad sepulcrum Servi Dei votum emisisset, sanitati per merita illius restitutum esse.

Item se propriis oculis vidisse mulierem quandam Vitepscensem, quae dum occideretur Servus Dei capillos barbae illius vellebat, visu privatam esse, et nunc superstitem agere ac caecitatem suam ex praedicta causa ortam cum lacrymis scelus suum deflendo confiteri.

His sic fidelissime relatis Magistratus Polocensis Catholicus protulit extracta quaedam ex actis suis civilibus, in quibus attestations iuridicae de miraculis per Servum Dei Josaphat patratis continebantur.

Sed quia pleraque ex illis per confessionem publicam in praesenti Inquisitione et personale iuramentum confirmata sunt, hic iterum repetenda non videbantur, recensitis solummodo illis, qui praesenter eadem confirmare non poterant.

(34 testis)

Anno 1627, septembris 13, comparens personaliter Generosa Domina Theodora Wołkowna, Lucae Rożanka uxor, ex Schismate ad Unionem recenter conversa, cum filio suo Joanne Rożanka, attestati sunt in haec verba: « Hebdomadibus quatuordecim integris (36v) tali tantoque capitis vexati fuimus dolore, ut parum abfuit, quin oculorum amiserimus usum; postquam vero votum conceperamus sepulcrum Servi Dei visitandi, illico omnis abscessit dolor ».



(35 *testis*)

Eodem anno et die Matthias Szymkovicus testatus est in haec verba: « Affinis meus, Georgius Matthiae, gravi decumbens morbo, medio circiter anno, cum collo suo appendi fecisset particulam lin-teoli, sanguine Servi Dei Josaphat tincti, quam a Rev.do Patre Rectore Collegii Polocensis habuerat, illico convalescere coepit, et tertia die perfecte convaluit.

(36 *testis*)

Eodem anno et die Marina, natione Moscha, cum nepote suo Athanasio testata est in haec verba: « Nepos hic meus oculorum extremo vexabatur dolore integrum ultra annum. Postea vero hoc praesenti anno 1627, eodem invalescente morbo, caecus omnino effectus est, et octo continuos dies iam nihil absolute vidit. Interim consilio piorum ex voto ad sepulcrum servi Dei Josaphat Augusti prima eundem deduxi, ubi quidam ex Patribus sepulcro s. adstans, dicti mei nepotis oculos strophilo eiusdem Sancti sanguine tincto abstersit, post quam abstersionem statim eidem visus est restitutus ».

(37 *testis*)

Anno 1628, Januarii 18, comparens personaliter Spectabilis D. Joannes Scabicius, Proconsul Polocensis anni currentis, fassus est his verbis « Anno 1625, Januarii 17, filiola mea anni unius, Marina nomine, gravissimo affecta morbo iam nullam sanitatis spem habere potuit. Iussi itaque uxorem meam, nomine Reginam, ut hanc filiam nostram ad sepulcrum Beati Josaphat afferret, idemque manu, aut toto corpore illius attingeret; quod quidem uxor mea libenter faciens filiolam in ecclesiam Ascensionis Christi tulit, ubi tunc corpus Martyris collocatum fuerat. Cumque Aegrae corpus tumbam Servi Dei contigisset, illico gratia divina et Martyris Josaphati auxilio est sanata, et nunc perfecte bene valet ».

(38 *testis*)

His absolutis datus est locus aliis seorsim testimonia ferendi. Itaque D. Sebastianus Szczurzynski, ex domesticis Ill.mi et Rev.mi D. Archiepiscopi Polocensis moderni, Ritus Graeci Catholicus, iuramento praestito, affirmavit se Mohiloviae duo in capite vulnera periculosissima accepisse, atque a Chirurgo desperatum, propter vulnus (37) periculosissimum, et os duorum digitorum latitudine ex cranio exemptum, votum ad sepulcrum Servi Dei fecisse, eodem ipso vulneris accepti die ita convalescere coepit ut nec quidquam amplius decumberet.

(39 *testis*)

D. Timotheus Czczerski, et Nicolaus Prezdecki, itidem ex domesticis Ill.mi Archiepiscopi, iuramento praestito, dixerunt Servum Dei Josaphat saepius a Schismaticis Vitepscensibus in mortem quaesitum fuisse. Documentum huius attestationis obtulerunt in scripto manu illorum subscripto, iuramentoque confirmantes contenta scripti. Porro



scripti tenor talis est: «Ego Timotheus Czecerski, et ego Nicolaus Prezdecki sub iuramento affirmamus, quod cum anno 1624 tempore Commissionis Vitepscensis missi fuissetus Vitepscum ab Admodum R. Patre Gennadio Chmielnicki, Monasterii Polocensis Igumeno, forte fortuna hospitati sumus apud Advocatum Vidatinensem, in bonis Ill.mi Domini Archiepiscopi Polocensis, qui retulit nobis fuisse apud se civem quemdam Vitepscensem, et dixisse quod Proconsules Vitepscenses miserunt illum obviam Servo Dei Duna fluvium traiciendi ad illum globo sclopetario traiciendum. Verum quoniam, inquit, non cognoscebam personam ipsius, nam simul tres in navigio sedebant personae, nil agere eo tempore potui. Postmodum cum iam Archiepiscopi in ecclesia sacrum Missae sacrificium celebrantis optime notassem faciem, sequenti anno, inquit, rursus me iidem Proconsules miserunt, ut illorum affectationi satisfacerem. Obviam ergo ibam Archiepiscopo Josaphat, similiter navigio Dunam trananti (navanti?), et in optimo constiti loco, ita ut ipsum cor pro meta mihi ponerem. Directe ergo sclopetum versus cor dirigens, casu retrospexi, et ecce vidi filiolum meum parvum, ex parte posteriore mihi assistentem, et cogitavi: Archiepiscopo occiso fugiam, sed filium meum capient, qui prodet me. Itaque remisso sclopeto domum cum filio redii, re infecta ».

(40 testis)

Optatus Aphanasovicus, ex domesticis Ill.mi D. Archiepiscopi, iuramento praestito, affirmavit in primis se praesentem fuisse, et vidisse calicem ad ecclesiam Haereticorum sponte inversum, de quo supra.

Item de secunda navigatione cum corpore Servi Dei in media plane glacie, de qua etiam supra. (37v)

Retulit praeterea se gravissimo laborasse morbo, ita ut per tres integras septimanas iam lecto se movere non potuerit, cumque in vigilia anniversariae diei mortis Servi Dei anno 1627, Novembris 11, ad Vesperas campanas pulsare audivisset, more solito, cum fletu auxilium ipsius implorando dicto Martyri sese commendavit; et ecce illo implorato ita convaluit, ut in crastinum sepulcrum Servi Dei adierit et in ecclesia cathedrali, confessione expedita, communicavit.

(41 testis)

Famatus Joannes Andreae, civis Polocensis, iuramento praestito, affirmavit se gravissimum morbum fuisse passum per certas, ut opinatur, incantationes. A nocturno enim spectro decem integros annos infestatus, postquam ceream imaginem ad sepulcrum se delaturum voto promisit, spectrum rursus semel apparuisse, vexare autem non ausum fuisse, et abinde nusquam alias conspectum esse testatus est.

Adiunxit uxorem suam, quae ceram quam ipse oblaturum se promiserat in alium forte converterat usum, in gravem morbum incidisse, nec nonnisi voto renovato sanam e lecto surrexisse.

(42 testis)

Famatus Georgius Gutken, Chirurgus Polocensis, vir annorum fere quinquaginta, iuramento praestito, affirmavit se per Servum Dei Josaphat ex haeresi Lutherana ad fidem catholicam in Ritu Graeco conversum fuisse, et ipsi Martyri prima vice confessum; gratitudinis suae erga Servum Dei testem produxit filium suum triennem in memoriam illius vestitu religioso Basiliano amictum.

(43 testis)

Famatus Joannes Basillii, civis Polocensis, cum uxore sua Juliana, iuramento praestito, asseruit dictam suam uxorem a morbo gravissimo, credo per incantationes causato, ad sepulcrum Servi Dei liberatam fuisse.

(44 testis)

Famatus Joannes Sergii, civis Polocensis, iuramento praestito, affirmavit se toto fabricae ecclesiae cathedralis S. Sophiae, per Servum Dei Josaphat absolutae, tempore, materiam quoad lateres, et calcem subministrasse, nec unquam pecuniam pro materia defuisse.

Item se praesentem fuisse in monasterio Polocensi, quando Servus Dei duas pauperes viduas amabilissime consolatus, eleemosyna data a se dimisit. (38)

Item audivisse a quodam paupere Theodosio, quod cum Servo Dei pecunia deesset a dicto paupere sciens, inquit, me habere, mutuam petebat, acceptaque mutua pecunia nolenti vestem suam Archiepiscopalem in pignus offerebat, tandemque bonus creditor totam pecuniam Servo Dei donavit.

(45 testis)

Famatus Josephus Jankowski, civitatis Polocensis Sindacus, iuramento praestito, affirmavit eo ipso die, quo Servus Dei occisus fuerat Vitepsci, uxorem suam Polociae agentem ex ecclesia cathedrali S. Sophiae lachrymis perfusam rediisse. Cumque dictus Sindacus ex illa quaereret, quanam esset causa lacrymarum, respondit illa: «Ecclesiam cathedralem mutatam esse». Quod quidem apud me nullius valoris tunc fuerat, sed nunc video, quia occiso Archiepiscopo ecclesiae Polocensis status in melius debuit commutari.

(46 testis)

His absolutis testimoniis datus est locus et sexui foemineo ad dandum Servo Dei testimonium. Itaque Marina Basillii, civis Polocensis, attestata est in haec verba: «Me, inquit, Deus benedictus gravissimo afflixit morbo, in quo contractis pedibus quatuor annis serpere supra terram cogebat. Cum vero anno 1626, Novembris 12, quae fuit anniversaria necis illius dies, ex voto, pedibus manibusque reptans, ecclesiam cathedralem Polocensem, S. Sophiae dictam, atque sepulchrum Servi Dei Josaphat, inibi situm, accesserim, ibique dicto Servo Dei tempore Missae me recommendassem, exorans ut precibus ipsius

pristinæ restituerer sanitati, eadem ipsa hora, eiusdemque Missæ tempore, sensi me pedum vigorem recepisse, et recepi, ita ut cum antea in Xenodochio miseram agerem vitam, nunc iam matrimonium cum honesta persona contraxerim ». Supra quibus omnibus iuramentum publicum præstitit.

(47 testis)

Zophia Michaëlis, civis Polocensis, iuramento præstito, testata est in hæc verba: « Gravi affecta morbo, ita ut loco me moveri nequaquam, potuerim, neque ullius membri usum habuerim per quatuor fere menses, et ad quemvis corporis motum opera aliorum indiguerim, postquam vero piorum stans consilio votum concepissem sepulcrum Servi Dei Josaphat adeundi, anno 1626, Nobembris 11, in vigilia scilicet anniversariæ illius memoriæ, ex nunc eadem die, et hora sanitati restituta sum ». (38v)

(48 testis)

Regina Nikołaiowna, iuramento præstito, affirmavit se gravissimam capitis vertiginem passam fuisse, ita ut, inquit, Domina mea Generosa D. Kublicka me a servitiis suis propter dictam vertiginem domo expedierit. Cum itaque ex voto ad sepulcrum Servi Dei accessissem, et ibidem obdormivissem, imago Servi Dei mihi apparuit, et dixit: « feria sexta proxima sanaberis ». Ego prædictam diem cum gaudio expectans, eadem die dicto capitis dolore, Dei munere et Servi Dei Josaphat intercessione, penitus sum liberata.

(49 testis)

Famata Georgii Scabini Polocensis uxor, iuramento præstito, affirmavit, se oculorum dolorem gravissimum passam fuisse, et voto ad sepulcrum Servi Dei emisso, statim convaluisse.

(50 testis)

Helena Nagórska, civis Polocensis, iuramento præstito, affirmavit se sanguinis fluxum duobus annis passam fuisse; tandem ex voto ad sepulcrum Servi Dei comparens, ac orans perfectam recepit sanitatem.

(51 testis)

Zophia Korzenkowa, civis Polocensis, iuramento præstito, affirmavit se dolore pedum gravissime vexatam fuisse; tandem sub tempus Inquisitionis præsentis voto ad sepulcrum Servi Dei facto recuperandæ sanitatis causa, et exsoluto, Dei gratia et Servi Dei meritis convaluisse.

(52 testis)

Helena Kamińska, iuramento præstito, affirmavit se gravem dolorem capitis, manusque passam fuisse, tandem voto ad sepulcrum Servi Dei facto, et exsoluto convaluisse.

His eo die testimoniis exceptis, populo iam fatigato, et nemine ad contrarium aliquid dicendi comparente, actio finita, et per R. D. Martinum Trzciński Actio crastinae diei subsequens intimata. (39)



ACTIO TERTIA. — DIES TERTIA.

Quae fuit 22 Martii - Feria quarta post Dominicam 2-am Quadragésimae.

Hac die, eodem loco, et modo consistentes circa ambonam Ill.mi et Rev.mi Patres, invocato Spiritus Sancti suffragio, per R. D. Martinum Trzciński terminum iudiciorum prasentium hodiernam intimarunt diem, ac proinde omnes, et singulos ex statu spirituali aliquid de Servo Dei scientes accedere iusserunt, atque praemissis aliquot ad omnes astantes verbis Rev.mi Commissarii primum locum testibus ex statu spiritualium Ritus Romani dederunt, praecipue vero RR. Patrum Soc. Jesu testimonium requisiverunt.

(53 testis)

In primis itaque R. Pater Stanislaus Kosiński,<sup>35</sup> Rector Collegii Polocensis, singultu, lacrimisque dicta interrumpentibus, et fide sacerdotali, audientia sibi comparata, testatus est Servum Dei Josaphat toto fere Archiepiscopatus illius tempore, sibi in Collegio Polocensi tum agentis, notissimum, cum eodemque intime se conversatum fuisse, ac saepissime de rebus ad S. Unionem pertinentibus contulisse, et uno verbo vivum testem sanctitatis illius se esse. Ac iudicio, inquit, meo S. R. E. submisso fide mea sacerdotali dico: vitam Servi Dei Josaphat omnium Sanctorum vitae conformatissimam fuisse, eumque nullo Sancto minorem, plures virtutibus longe praetergressum fuisse, taliaque de illo scire, quae de nullo Sanctorum audita sunt. Posuit enim Deus illum in speculum virtutum omnium; ego ipse cum multis ex Patribus Societatis nostrae ad amorem salutis proximorum exemplo illius incitabar. Enimvero contemplativum simul et activum vitae genus in perfectissimo gradu Servus Dei Josaphat assecutus est. Et in mea multorumque opinione, dum adhuc viveret, eo fine a Deo Opt. Max. tot gratiis et donis videbatur cumulatus, ut omni homini, statui speculum posset esse, exemplarque virtutum. Habent quippe et Anachoretae, quae in Servo Dei imitentur, habet omnis Ordo Religiosus, et Sacerdotalis, Senatorius ipse, et Pastoralis habet. Lux omnino ille fuit Ecclesiae et est in aeternumque erit, omnes fideles utriusque Ritus Catholici radiis suis collustrans. Divinum certe in Servo Dei fuit illud, quod totum se heroicis virtutum devovisset actibus, iis vel maxime, qui maximam paterentur difficultatem, et contrarietatem. (39v)

Audiens ille aliquam esse secundum Ritus Romanum Catholicum solemnitatem, orationes quadraginta horarum, publicas supplicationes, processionesve, ut in festo Augustissimi Corporis Christi, et diebus Rogationum, nunquam patiebatur, quin praesentia sua tales actus honestaret.

Consuetudo apud Ruthenos Polociae fuerat, quod iuniores, atque pubertatis non accedentes ad annos ad confessiones non admitterentur; Servus Dei tollens hunc errorem, et ipse puerorum excipiebat

<sup>35</sup> R. P. Stanislaus Kosiński, Soc. Jesu.



confessiones et per sacerdotes suos excipi faciebat, approbante id ipsum Clero Ritus Graeci Catholico.

In prandiis, quibus saepius cum illo interfui, notabilis mortificatio in Servo Dei observabatur, ita ut quilibet facile cognoscere posset, nullum illum habuisse ex appositis gustum, et vix necessitati suae satisfacisse. De ciliciis quae gestabat, disciplinas quas maximas faciebat, se ex hominibus fide dignissimis saepius audivisse. Habitus illius Archiepiscopalis religiosam semper praeferbat paupertatem, ita ut quibusdam videretur ipsius amictum cadere in sui status praeiudicium, sed quod latuit intus, non potuit celare foris.

Item se audivisse ex ore ipsius Servi Dei, quod nullum aleret in familia sua otiosum, sed omnes vel a cantu, vel a labore. Scio, inquiens, otium omnium peccatorum esse causam. Quoscumque etiam ex minoribus in familia sua Religiosos aptos studiis videret ad scholas Patrum Soc. mittebat. Cumque a Schismaticis de hoc argueretur, quod Ruthenos latinizare faceret, et tantummodo Ruthenos futuros habitu, Romanos corde, utebatur inter alias plurimas duabus illis ad hominem similitudinibus: «Peto, inquiens, a vobis, utrum conversemini cum Iudaeis, alias infidelibus, et hominibus pessimis?» Respondentibus illis, quod sic est, «quare inquit, nobis non licet conversari cum Christianis, et viris bonis?» Vel de igne, quem, qui domi caret, apud vicinum mendicatio quaerere tenebatur.

Item dicebat: «Societatem Jesu multos habere inimicos, sed qui illam odit, me, inquit, odit». Cumque alii nimiam cum Societate exprobrarent illi familiaritatem, respondebat: «Scitote me a Patribus Societatis solo corpore et ritu separari, alias unum sum cum illis: fide, spe, charitate, fine (40) in quaerendo honore Dei, et animarum salute». Contigit vero, ut quemdam principalem in statu saeculari nobilem sinistre de Societate sentientem, et multa per iniuriam dicentem, Servus Dei audiret; commotus aliquantulum: «Parcas mihi, inquit, Generose Domine, de salute tua dubito, qui bonos odio prosequeris».

Item festa secundum Calendarium Gregorianum solemniora observabat semper, et dicebat: «festa Latinorum mea sunt festa». Calendarium novum optimum esse dicebat, et optabat, ut Rutheni etiam idem admitterent.

Item dum agebatur de bonis Ecclesiae recuperandis, semper consilium a Patribus Societatis in iure peritioribus petere solitus fuerat, «ne, inquit, conscientiam meam laedam, et a scandalis liber sim». Cumque de modis a se in iure procedendi inventis quaereret utrum probarentur illis, quia semper iustissimi — fuerat per Patres approbati. Ergo iam, inquiebat, cogor iure agere. In quo magnam, inquit, R. P. Rector, conscientiae illius puritatem agnoscebam.

Item retulit cives Polocenses Ritus Catholici Romani tantum erga Servum Dei habere affectum, et reverentiam, ut obnoxe petierint vel minimam aliquam particellam pro se reliquiarum Servi Dei Josaphat quoad vestes illius, cilicia, aliaque huiusmodi generis per se, et posteros suos asservendam.

Item Servum Dei in matura sua aetate ita erga studia affectum

fuisse, ut ad intelligendum terminos latinos in disputationibus usurpari solitos, sclyonica proportionata terminis theologicis, et philosophicis inveniret verba, illisque repertis altissime et profundissime in terminis de rebus fidei disceptabat, varios etiam modos ad lucrandos homines quaerebat, libros varios haeresis, et schismatis confutatorio; coëmebat et inter Haereticos, ac Schismaticos distribuebat.

In rebus ad conscientiam suam, vel aliorum pertinentibus, cum Patribus, quos ille et doctrina, et pietate praecellere notasset, saepissime conferebat, illudque saepius tacto proprio cingulo ingeminabat: « libentissime Patrem meum spiritualement ad cingulum appensum gestarem ». Hinc fuit quod consilium circa animarum salutem, et auxilium probatissimorum quorumque ubicumque demum poterat implorabat, illud commune in ore habens: « interrogans non errat ». (40v)

Cum saepius coram nobis Theologis Scholasticis hic Theologus Divinus, et naturalis de rebus quas in consilium vocabat suum ferens iudicium, quid de illo nobis videretur quaereret, et an cum S. R. E. Theologorumque sententia concors esset peteret, quid addere summus posset Theologus non inveniebatur.

Videns alios a se ex Schismate alieniores, illos pro persuasione Unionis submittebat, quorum dicta locum habere possent apud inimicos; hinc ad instantiam illius aliquot ex approbatis ab illo Patres Societatis curam suorum habebant Ruthenorum. Affectu enim in Societatem suo mutuam etiam in omnibus nobis erga se provocavit amorem. In cuius signum ad instantiam Servi Dei iam fuit determinatum ab Admodum R. Patre Provinciali nostro, ut pro Seminaristis Ruthenis casus conscientiae aut moralis Theologiae legi debuerit, quae nunquam antea legebatur neque nunc legitur. Id vero Servus Dei faciebat, sciens casuum peritiam curae animarum pernecessariam esse. In qua ipse tantum se exercebat, ut in statu etiam suo Archiepiscopali omnium confessioni audiendae publice et privatim, domi et foris expositus fuerit.

Martyrium ita appetebat, ut passim diceret: « tunc me felicem putarem, si sanguinem pro Deo meo funderem ». Et in particulari se praesentem fuisse in illa Servi Dei concione cum palam profiteretur sibi mortem a Schismaticis intentari. « Sed, scitote, inquit, quod ego id optem, et hoc meum esse desiderium, ut possem mori pro fide catholica ».

Addidit ex certa aliorum relatione, quod ante discessum Vitepscum publice in ecclesia quadam ante altare consistens iuramento testatus est se propter mortem discedere Vitepscum: « Deus, inquit, Dominus videt quod propter hoc discedam ». Haec referens prae lacrymis prosequi non potuit, omnibus etiam illi allacrymantibus, illud tantum ingeminans: « pudeat nos Religiosos, quod Servo Dei Josaphat similes non simus ».

Occiso vero Servo Dei talem dictus Pater de illo concepit opinionem, ut ex nunc in perpetuum sibi sumeret Josaphat Patronum, ut sicut, inquit, in vita, ita et post mortem mei non obliviscatur, sciens certo quod sit coram Domino (41), et quia sacramentum Dei celare non possum, precibus Servi Dei adiutus nihil amplius in vita mea, quam

ut pro Domino meo mori possem, desidero, quem quidem affectum post mortem Servi Dei me ipsi recommendando acquisivi.

Cum essem Rector Collegii Dorpatensis Societatis Jesu, anno 1624, gravissima conflictatus hectica, medio integro anno, Servi Dei intercessionem me commendavi, et convalui, et licet alios etiam Sanctos in auxilium vocavi, ipse tamen caput fuit invocatorum. Item alia vice oculorum summum patiebar dolorem, neque iam ullum videre poteram, levamen sumpsi per intercessionem, credo, illius; ante, inquam, non apprehendi beneficium, modo apprehendi.

Suecorum manus circum vicina Polociae loca vastantium, anno proxime elapso 1627, mense Septembri, et obsidionem iam Polociae parantium Polociam effugisse per merita Servi Dei Josaphat firmissime teneo, uti etiam semper tenui, cum tota civitate Polocensi Catholicorum; et in Collegio nostro Polocensi in concionibus id publice dicerem: « nos a Suecis certissime liberandos per Servum Dei Josaphat ». Hinc omnes ad devotionem erga illum hortabar, vota ad sepulcrum fieri iubebam, sed et ipsi sponte sua Polocenses Romani Ritus Catholici tantam in Servo Dei spem habuerunt, ut si S. R. E. offensio non timeretur, ne videretur praecox erga non canonizatum reverentia, publicam processionem ad sepulcrum Josaphat cum toto Clero institui aliquoties petebant; talis in ore omnium et mente de Servo Dei opinionis testimonium do sacerdotale.

Item aliqua de Servo Dei subinde revocans, hoc etiam illi addidit elogium. Scio, inquit, omnia verba, cogitationes, et opera illius voluntati divinae subordinatissima semper fuisse. Posuit enim Deus illum tamquam solem, ut in tenebris Schismatis radios spargeret fidei. Principium ille unicum et fons Unionis in Alba Russia praesentis.

Addidit et aliorum magnorum virorum de Servo Dei opinionem. Inter alios vero quod Ill. mus Dominus Alexander Korvin Gasiewski,<sup>36</sup> Palatinus Smolenscensis, sepulcrum Servi Dei cum consorte sua magna reverentia et devotione ex voto anno 1627 visitaverit, et summo desiderio corpus illius videre voluerit, sed certis de causis possibile non fuit. (41v)

Item cuidam Nobili, nomine Generoso D. Kozicz, pessime valenti, atque paralyti tacto neque medicis quicquam proficientibus consilium, dixit, se dedisse, ut ad sepulcrum Archiepiscopi se deferre curaret, mittens illi particulam strophili sanguine Servi Dei tincti, de devotione erga Sanctum movens; audiit ille consilium, Polociam advehi se fecit, et ad sepulcrum adduci, ubi precibus persolutis ipse suis viribus ex ecclesia rediit.

Item anno 1627, dum Collegium Polocense in magno esset periculo propter domum quamdam in medio plane Collegio accensam, parietibus totius Collegii prae calore, ut ita dicam, ferventibus (ex lignis enim totum extractum est) ita ut manu iam tangi non possent, ventis

<sup>36</sup> Alexander Korwin Gasiewski, Palatinus Smolenscensis ab an. 1625 (15. VI) vita functus est ann. 1639.



vehementissimis cinerem toti Collegio, et Polociae minitantibus. In mediis itaque positus angustiis hoc tantum, et meo, et aliorum solamine ingeminabam: « Non timete, S. Josaphat non defendet ». Et ecce ventis mitigatis penitusque subsidentibus, domo illa, quae ardere coeperat, sola tantum flammis consumpta, totum Collegium illaesum mansit, intactumque. Ec hoc Servi Dei adiutorium causa fuit, ut Collegium Polocense totum tempore periculi a Suecis supra memorati particularem erga Servum Dei devotionem sibi indixerit, et sponte per omnes exactissime observavit.

Sed ipsa Servi Dei oris compositio, dum viveret, habitusque corporis ad devotionem incitabat, ipsoque aspectu inflammabat. In respondendo iniuriis sibi illatis, et calumniis summa modestia, et comitate illud dicere solebat: « Deus tibi parcat, ipsum te poenitebit, revocabis ».

Item tali Servum Dei praeditum fuisse memoria, ut ab illo audierit, quod quidquid semel legisset, semper memoria retinisset.

Item sanguinem Servi Dei ipsis parricidis illius profuisse. Nam cum viginti fere ex illis R. S. M. decreto ad mortem condemnati essent, omnes fere revocaverunt in articulo mortis. Et quidam ex illis Patribus Societatis Jesu sunt confessi, quidam Religiosis, et sacerdotibus Unitis, aliosque Schismaticos superstites ad morum, et fidei mutationem exemplo suo induxerunt. (42)

Item vestes illius, habitumque ab omnibus tam spiritualibus, quam in saeculari statu, in summa reverentia pro reliquiis habitas. Imo ipsi haeretici, qui irridebant illas, vita Partis audita, fatentur dignas esse ut venerentur, et portentur.

Item Servum Dei tam fuisse potentem in sermone, ut quoscumque discordes ad concordiam hortaretur, amicitia continuo fuerit redintegrata. Tam vero fuerat concordiae studiosus et amans, ut discordes ad prandia sua invitaret, neque dimittere solitus fuerit prius quam amicitiam faceret renovare. Si vero aliquos videbat nolle suum Archiepiscopale accedere prandium: « Non mihi, inquit, doleas panem tuum, ecce me hodie in domo tua oportet esse ». Cumque alii libenter, alii reverenter ad prandium invitassent Archiepiscopum tamdiu de concordia cum inimico egit, ut ad manum amicitiae dandam induceret et ex conducto aliam partem adversam eodem accierit, et penitus accordaret.

Addidit denique R. P. Rector, plurimos esse Collegii Polocensis Patres optime vitam Servi Dei, et virtutes scientes, sed eos nunc esse in missionibus, secundum morem Societatis, quadragesimalibus.

(54 testis)

Hoc talis tantique viri testimonio excepto R. P. Joannes Kedzierowski, sacerdos Societatis Jesu, fide sacerdotali ea omnia, quae admodum R. P. Rector ex scientia communi de Servo Dei retulerat, verissima esse comprobavit.

Addidit praeterea Servum Dei charitati christianae mirum in modum studuisse, ita ut Patres nostrae Societatis, inquit, accepta a Su-



periori facultate, pro recreatione illum adirent. Quanquam quacumque de causa venimus semper recreati recessimus.

Item cum saepius in Collegio Polocensi compareret, taliter semper conversabatur ut ipsius compositio omnes ad tales sequendos virtutes, quales ipse habuit, hortaretur. Modestiam animique lenitatem summam in Servo Dei fusius recensebat. Cum dolore vero intimo, et publicis lachrymis referebat se quodam tempore tanquam Societatis Procuratorem, non habita ratione status archiepiscopalis, et passionibus non mortificatis, contra subditos archiepiscopales conquesturus Servum Dei convenisse, et dolorem verbis durioribus aperuisse. Ille vero hilari vultu, et solita usus comitate: « Non turberis, inquit, Pater charissime, totum fiat ita ut (42v) vultis ». Qua sua responsione ita me confudit, ut et statim modum meum procedendi aspriorem doluerim, ut nunc publice doleam.

Item videns, inquit, corpus Servi Dei post mortem Polociam Vitepsco advectum longe pulchrius esse adverti, quam fuerit in vita; angelicum enim quid, et supra humanum referebat, ita ut mihi omnino videretur quod Deus gloriosus typum nobis incorruptibilitatis corporum nostrorum in aeternum futurae voluerit exhibere.

Item hesterna plane die venit, inquit, ad me Generosus D. Joannes Lipski, Ritus Romani Catholicus, vir omni exceptione fide dignissimus, et retulit nunc plane uxorem suam voto ad sepulcrum Servi Dei emisso filiolum extreme male valentem deportandi sanum illum recepisse, statimque aliud votum fecisse: se anniversariam Servi Dei obitus diem solemnissime in futurum semper celebraturam.

(55 testis)

Hoc testimonio excepto R. Pater Martinus Krasnodebski, sacerdos Societatis Jesu, fide sacerdotali asseruit, famam publicam suamque opinionem de Servo Dei talem fuisse et esse, qualis supra dicebatur.

Addidit praeterea, cum vivente Servo Dei quodam tempore in medium prodirem, inquit, forum, et alio ad missiones secundum consuetudinem Societatis mitterer, quaerebam ex hominibus Ritus Graeci Catholicis iam his, illisque, cui confiterentur, passim respondebant: « Patri Archiepiscopo ». Tandem vero cum idem ex pauperrimis et Unitis quaesivissem cuiam scilicet confiterentur, illi dicebant: « qui pauperes non abominatur, Archiepiscopo ». Hac in illo notata humilitate, et charitate caeterisque ad talem actum concurrentibus virtutibus vehementissime ad vocationem meam accendebar.

Item se audivisse ab ipsis Schismaticis Josaphat vocatum « Duszochwat », qua ex occasione de suavissimo Servi Dei in lucrandis animabus procedendi modo, dulciter longius loquebatur.

(56 testis)

Rev. dus Pater Valentinus Kolnensis, sacerdos Soc. Jesu, fide sacerdotali affirmavit optimam de Servo Dei semper fuisse opinionem, et nunc magnam sanctitatis illius famam vigere, mortem illius marty-

rium ad omnibus censi, et se ex ore Servi Dei saepius audivisse, quod martyrii vehementi desiderio teneretur. (43)

Item retulit se ex ore Servi Dei audivisse illum contemptum fuisse Varsaviae a Schismaticis Mohiloviensibus per oblationem sicci piscis, quod etiam in Actione secunda retulerat spectabilis D. Constantinus Proconsul.

Item quod Servus Dei coram se conquestus fuerit de male affecto quorundam Senatorum Regni in Ritu Romano Catholicorum erga Sanctam Unionem animo, cuius, inquit, signum ostendit literas cuiusdam Senatoris principalis ad se asperrime scriptas. Quo audito Rev. mus Episcopus Haliciensis iussit afferri authenticum illarum, cum responso Servi Dei, catholico profecto, et apostolico, illasque coram Ill. mis DD. Inquisitoribus exhibuit, quibus visis et lectis Patres unanimi consensu, ex vulgari in latinum stylum transferri iusserunt, et ad calcem Actorum praesentium adnecti.

(57 testis)

R. Pater Valentinus Matthaei, sacerdos Societatis Jesu, fide sacerdotali testatus est optimam de Servo Dei semper fuisse famam, et sibi notissimum in vita fuisse, dum adhuc Vilnae monachum ageret. De insigni Servi Dei scientia uberrimum dedit testimonium. In particulari autem se fuisse praesentem, quando cum Schismaticis de articulis fidei disceptabat Vilnae, et altissime de mysteriis fidei discurrebat cum summa hostium Ecclesiae Dei confusione.

(58 testis)

Denique Religiosus Laurentius Mocarski, Societatis Jesu, sacramento religioso famam communem de sanctitate Servi Dei Josaphat semper fuisse, et nunc eandem continuari, ac in dies magis magisque crescere comprobavit.

Addidit praeterea, se cum adhuc studuisset apud Patres Polociae subinde in aliquibus negotiis ad Servum Dei missum fuisse, virtutemque humilitatis maximam in illo notasse, ita ut licet puer, inquit, essem, deposito semel pileo, non prius caput tegeter Servus Dei, quam et me audiret, et dato responso expediret.

Hem se fuisse tum praesentem Vitepsci, quando in templo Schismatici lapidibus illum impetierunt, vulnera, mortemque iam iam parantes; patientissimus Servus Dei, ut neque se defenderent familiam hortabatur.

Se demum fuisse in quodam convivio a Servo Dei principalibus viris catholicis extracto, eo fine ut ad defendendam Sanctam Unionem incitaret, quod facile poterat colligi ex variis disceptationibus ab illo de modo promovendi fidem catholicam in Ritu Graeco intergestis. (43v)

(59 testis)

His testimoniis sacramento sacerdotali firmatis R. P. Tharadius Narbutovicius, Igumenus Monasterii Czereiensis Ordinis S. ti Basilii, fide sacerdotali testatus est, talem ut praefertur de Servo Dei Josa-

phat omnium semper fuisse opinionem, obtulitque scriptum quoddam propria manu scriptum et subscriptum, ipseque illud prius publice legit, et fide sacerdotali dicti scripti contenta firmavit. Porro scripti illius in latinum transferendi tenor talis est: «Ego Tharadius Narbutovicius, Ordinis S. Basilii, sub sacramento sacerdotali tale de Servo Dei Josaphat, Archiepiscopo Polocensi, do testimonium. Cum essem Schismaticus, et a servitiis Gedeonis Brolnicii, Antecessoris immediati Servi Dei in Archiepiscopatu, ingressurus Religionem monachorum Schismaticorum veneram Vilnam, sed Domino Deo disponente monasterium SS.mae Trinitatis Unitorum accessi, curiositate ductus videnti ipsam SS.mae Trinitatis ecclesiam. Cum ergo ipsam ingrederer ecclesiam Servus Dei Josaphat, tunc simplex monachus, occurrit mihi et dulcissime me salutans in ipsum ecclesiae altare introduxit, ibique cum summa devotione ac humilitate ter procidens in terram Venerabile adoravit Sacramentum, meque ad id faciendum exemplo suo provocavit. Postea vero introduxit me ad Ill.mum Patrem Josephum Rudzki, nunc Metropolitam Russiae, tunc vero Archimandritam Vilenensem, ubi summopere sum consolatus tali illorum charitate, quin immo omnium Religiosorum Unitorum exceptus. Hac devictus humanitate non recessi amplius ex monasterio SS.mae Trinitatis, Servi Dei Josaphat praesentia contentus. Totum id factum est anno 1613. Agenti mihi in dicto Monasterio, ut Schismatico, varia dubia circa articulos fidei catholicae occurrebant, dumque illa Servo Dei aperirem ille cum summa mea contentatione dissolvebat. Frequenti proinde cum Sancto conversatione in tantum cor meum ad se pertraxit, ut coram illo ipso totius vitae confessionem absolverim, et intra medium annum religiosum habitum ibidem sumpserim. Ingressus in Religionem saepius cum Servo Dei in civitatem prodibam ad confessiones infirmorum excipiendas, et officia charitatis pauperibus exhibenda. Quodam tempore venimus ad excipiendam confessionem cuiusdam infirmae. Servus Dei tuguriolum intrat, ego vero prae foetore prae foribus steti. At ille stricta mea manu, et me (44), ne exirem, monito: «frater mi, inquit, disce propter Christum multa pati, et tolera exiguum hunc foetorem, ut evadas aeternum». Altera vice cum Servo Dei xenodochium adii, ubi ille pauperi cuidam seniculo, aegerrimo, diversa charitatis officia exhibebat, certis de causis illum de loco in locum transferens, pedibus foedissimis oscula praebens; ego etiam hoc exemplo provocatus idem facere debui. Assumpto Ill.mo Josepho ex Archimandrita Vilenensi ad totius Russiae Metropolim Servus Dei in eius locum pro superioratu suffectus fuerat. Hic ille latum virtutum ingressus campum in primis illis initiis, ut ita dicam, Unionis, et Religionis Unitorum, in extrema paupertate, inter exiguo numero Patres fratresque maxima ex parte Novitios simul, et semel agebat Superiorem, Concionatorem, Confessarium, Cantorem, et Dispensatorem, omnibus omnino omnia factus. Temperantiae in cibo potuque summae, disciplinarum continuarum, pauperrimi vestitus, qui quo vilior, eo ei pretiosior fuerat, nudipes etiam hyemem incedebat. Cum absoluto novitiatu ex obedientia in Minscensi hyerem monasterio Servus Dei, paterno amore motus, saepius me meae monebat per litteras vocationis et processus



de virtute in virtutem, maxime vero orationis mentalis exercitium mihi commendabat. Patientiae, et contemptus propter Christum tanquam matris religiosae summam me habere rationem iubebat. Iam vero Praesulea insignitus dignitate in incepto virtutum cursu magis magisque in dies proficiebat. Neque mutatis per honores moribus solita charitate usus, meique pauperis memor Dominus meus dum Czereis in monasterio agerem, suis subinde solabatur litteris, quas tanquam auro pretiosiores etiam nunc asservo. Denique dum Polociae Servum Dei ultimo convenirem, plurimas in eodem virtutes notavi. Inter alia vero quadam nocte videram illum media nocte Curiam suam Archiepiscopalem obeuntem, pectus tundentem, cum magna contritione lacrymantem, inde postea ad vestibulum cathedralis templi procedebat, ibique extensis in modum crucis manibus, diuturnae orationi vacabat, sed et observavi, cum hoc ultimum iter Vitepscense plurimi dissuaderent Servo Dei, et quibusdam ex primariis Terrae Polocensis Officialibus, illum tale dedisse responsum: «Sicut Dominationibus Vestris Ill.ribus (44v) et Generosis heri, et nudiustertius dixeram, ita nunc etiam dico: faxit Deus, ut fundam sanguinem meum pro ovibus errantibus, quatenus omnes salvi fiant, et ad cognitionem veritatis adducantur, Unioneque Sancta agnita, mutuam conservent charitatem». Sed quid multis? Communis vox et fama contestis mihi est Servum Dei Josaphat pro fide catholica, et Primatu S.ti Petri occisum esse, in vita, et post mortem pro Sancto habitum, et nunc haberi. Hoc meum testimonium sacramento sacerdotali confirmo. Idem qui supra manu propria ».

(60 testis)

Hac excepta attestazione R. Pater Zacharias Bielski, Igumenus Monasterii Holubicensis Ordinis S. Basilii, tale suum testimonium de Servo Dei fide sacerdotali comprobavit. Nihil, inquit, quid esset Unio sciens forte fortuna monasterium SS.mae Trinitatis Vilnae cum Domino meo bo.me. Ill.mo Theodoro Tyszkievicio Skumin, Palatino Novogrodensi, optimo Unito adii anno 1614; Servus Dei accessit ad me, et ad confessionem post multos sermones induxit. Qua confessione apud illum expedita eum fructum tuli, ut admonitionis illius memor paternae, mundo renuncians Religionem S. Basilii in dicto monasterio SS.mae Trinitatis ingressus fuerim.

Post ingressum meum in Religionem, in illius Unionis initiis, paucissimos inter monachus sacristiani officium mihi commissum habui, et excitatoris. Hac occasione saepissime expertus fueram, cum claves ab illo accepturus mane veniebam, saepissimae illum in cella disciplinas facere, aut etiam in alio loco, interdum vero in horto sub arbore pyri.

Item dum Servus Dei esset Superior in monasterio Biteniensi, in principio Novitiatus formati Unitorum (qui tunc plane coeperat, et nunc Dei gratia optime procedit) ego vero, inquit, oeconomum agerem, deficiente pecunia ad Patrem veni, dicens deesse pecuniam victui, et libris spiritualibus pro fratribus Novitiis coemendis, Servus Dei respondit: « Ito pro eleemosyna in nomine Domini cum Patre Ga-



briele » (unus hic fuit ex nostris Patribus unitis, qui anno 1626 Superiorem agens mortuus est peste Vilnae); ivi ego, et emendicatos ultra omnem spem, ac possibilitatem, omninoque tamen in fide Superioris, centum quinquaginta florenos attuli.

Item se audivisse ex ore Ill.ris et Generosae D. Capitanae Dro-gicensis, Ill.ris D. Kiszka coniugis, quod Servus Dei illam ab haeresi Calvinistica ad Ritum (45) Graecum Catholicum hoc modo converterit. Venerat Servus Dei ad dictam Dominam, haec nolens cum illo conferre, simulat morbum. Audiens ille Dominam decumbere petiit, ut possit audientiam habere, sed repulsam passus. Ille vero nolentibus domesticis intrat in cubiculum decumbentis. Haeretica viso illo canes in illum immitti iubet, sed bestiae neque se loco contra Servum Dei moverunt. Quod ille videns, invita licet Domina, longiorem tenuit de fide catholica sermonem. Cumque nil proficere videretur parere iubet pro Servo Dei prandium. Sed hic non prius se pransurum dixit, quam illa confiteretur. Tandem hac sancta pertinacia victa foemina, « agnovi, inquit, errorem meum, Servo Dei confessata sum in crastinum, Augustissimum altaris Sacramentum ex manibus eiusdem suscepi ».

Item se fuisse praesentem, cum Servum Dei Ill.ma Domina Palatina Brestensis, Schismatica, nomine Theodora Wołowiczowna, Christophori Zenonicz coniux, canibus domo expelli iussit; qui tamen viso Servo Dei neque latrare quidem voluerunt. Unde bonus Pastor ovem quaerens perditam multa de Sancta Unione cum eadem contulit. Et licet nil tunc profuerit post mortem tamen illius dicta Domina in ipso agone plane ad fidem catholicam est conversa.

Item se audivisse ex Patre Eugenio, Ordinis S. Basilii, quod in principiis Religionis Unitorum gravissimi erant in monasterio SS.mae Trinitatis Vilnae terrores. Servus Dei noctu veniens pro oratione ad ecclesiam, exponit Venerabile Sacramentum, media autem nocte clamoribus impleta est ecclesia, et turba daemonum, foeminam quandam condemnatam stipantium; dumque iam appropinquare videntur ad altare, impeterritus Josaphat, accepta sacra pixide ostentat inimicis, penitusque fugientes sequitur usque ad sepulcrum dictae foeminae, ubi disparentibus malignis spiritibus, et sepulcro clauso, locum designat, et in crastinum, aperto tumulo, foeminam prono vultu iacentem invenit, extra civitatem evehit, comburit, et monasterium SS.mae Trinitatis quietum reddidit.

(61 testis)

His expeditis R. Frater Darotheus Lecicovius, Archidiaconus Ordinis S. Basilii Unitorum, lacrymis singultuque verba sibi praecludente, sacramento religioso omnia longe verissima esse, quae hucusque de Servo Dei dicta sunt ex communi omnium opinione comprobavit. Hic est Archidiaconus fidus comes passionis Servi Dei Josaphat, qui dum Servus Dei occideretur, positus in terra ter fustibus caesus, multisque vulneribus affectus, domi scilicet, in area domus, et in coemeterio. (45)

Praeter autem illa, quae supra dicta sunt, addidit, quod cum, in-

quit, permittente Domino Deo initio Archiepiscopatus Servi Dei, Curiam archiepiscopalem flamma invassisset noctu Polocensem, e lecto ille prorumpens, uno tectus cilicio, et nocturno pelliceo, nudis pedibus intensissimae hyemis tempore, toto incendii tempore cathedralem circum circa obibat ecclesiam orationi vacans. Cum vero quidam ex Patribus nostris illi diceret, ut calceos sumeret, et provideret, quatenus animosius suppellectilem ab igne tueantur, respondens Servus Dei: « Charissime, inquit, Pater, gratissime id de manu Domini suscipio. Dominus nos probat ».

Saepius noctu proveniens de camera iam dormientibus omnibus, nudis pedibus in mediis frigoribus ad vestibulum templi cathedralis procedebat, ibique orationi vacabat, et disciplinas faciebat. Neque vero solum Polociae, verum etiam in itinere, et praediis hoc ipsi consuetissimum fuerat. Scio illum quolibet die disciplinam facere solitum fuisse, flagellumque e ferro diversi (?) confectum, vel catenulas quasdam ferreas fuisse in usu.

Anno 1623, mense Januario, discedens Polocia Vitepscum in intensissimis frigoribus in bonis archiepiscopalibus Vizlatinae nuncupatis, inveni illum in sylvis disciplinas virgis facientem hoc modo: veste et cilicio suo solito totum se usque ad umbilicum nudavit, atque bis se virgis ad sanguinem usque caecidit, me latente, sed tamen omnia vidente. Cum vero tertia iam vice se caedere vellet, compassione erga innocentem ductus accedens: « Ill.me, inquit, Domine, quid est, quod tam acriter in te ipsum desaevis cum dispendio sanitatis? Dominatio Vestra Ill.ma Ecclesiae Dei est necessaria, incolumitatem tuam tueri teneris ». Respondit ille: « Vade, charissime frater, et ne cuiquam dixeris ».

Lectisternia tantum pro forma habebat. Inveniebam illum enim saepius in solo cilicio, et nuda terra iacentem, straguloque coopertum. Confitebatur frequentissime. Cum vero alicuius confessionem excipere debebat, ante confessionem aliorum ipse confessus ad confessionem excipiendam procedebat. In itinere vero primam curam habuit hospites domus, et Patres familias ad confessionem inducendi. Eleemosynis totus se tradidit. Quodam tempore, cum vix aliquid leguminum supererat in domo archiepiscopali vidua quaedam venit, eleemosynam petit. Servus Dei. vocato ad se dispensatore non modo iussit reliquum viduae dari, sed ipse etiam per se curavit, ut nil in penu relinqueretur. (46)

Cum Schismatici per litteras Smotricii Pseudoarchiepiscopi Polocensis ab optimi Pastoris obedientia deterriti essent, et in ecclesia cathedrali rarissimi comparerent, vir Dei zelo commotus per plateas et vicos discurrebat, et ad Sanctam universos Unionem hortabatur.

Colloquia illius mirum in modum non tantum Catholici, sed etiam Schismatici, et Haeretici ambiebant, et conciones. Sine pauperibus nunquam prandium sumere volebat. Toto ab ingressu in Religionem usque ad mortem tempore solo cilicio pro indusio utebatur.

Sacrum Missae officium celebraturus, duabus catenulis peracutis in modum crucis brachia stringebat, tertia lumbos, ita ut saepius indevellibiliter adhaerent corpori. Quodam tempore inusitata hac

mortificatione praevalens deliquium passus est, (meque, inquit, Archidiaconus), vocat, et ut soluerim iubet. Solvi ego, neque prius catenulas illas reddidi, quam mihi excommunicatione minaretur. Dictas catenulas, disciplinas, secum semper gestabat; unde cum parricidae, occiso Servo Dei, quid secum Archiepiscopus ferret inquirerent, nil amplius praeter dictas catenulas, et disciplinas invenerunt.

Anno 1621, Augusti 6, ecclesiam collegiatam Vitepscensem adiit Sacra inibi operaturus, tanquam die Transfigurationis Domini, secundum Ritus Graecum celeberrimo in choro, et in foro. Schismatici sine ulla vel minima causa impetum in illum fecerunt, et parum abfuit, quin Servum Dei occiderent. Fustibus interim excepto in media ecclesia habituque sacerdotali supra ambonam Confessario, et Oeconomus Servi Dei itinerario, Rev.do Patre Maximo Turcinovicio, Ordinis S. Basilii.

Anno 1622, in eadem ecclesia, dum Servus Dei Sacrum celebraret, iterum sicarii impetum in illum faciunt, nihil efficiunt, me solum tribus vicibus excipiunt, ita ut dum more solito pro officio meo Diaconatus in medio Sacro panem consecrandum ad altare deferrem, quidam ex Schismaticis colaphum mihi impedit, et oblata in terram deiecit.

Eodem anno, cum processionem cum Servo Dei absolveremus ex ecclesia collegiata ad templum S. Spiritus Vitepsci (extra moenia urbis situm est, et monasterium inibi antiquitus fuerat), ipso die festo Pentecostes, ultra summos dispectus latere etiam illum impetierunt, nil Servo Dei non modo dicente, sed nec commoto. Ibidem nulla de causa de ponte altissimo praecipitem Servum Dei dare voluerant, et alia vice (46v) in flumine quodam submergere.

Anno 1623, mense Februarii, coniuratione facta in Praetorio, vix Servum Dei non occiderunt; tot tantisque laboribus caelum sibi Servus Dei comparabat.

Porro autem hac Schismatis malitia, et persecutione Servus Dei non modo animum non despondit, verum etiam maiores semper sumebat animi vires, mortis et martyrii avidissimus. Hinc mortis illi continua fuerit memoria, ita ut ad mensam nullus illi fuerit dulcior sermo, quam de morte. Hoc suum moriendi desiderium tum in concione, tum in colloquio et literis, ubicumque demum poterat semper explicabat, nil se magis optare, dicens, quam pro Deo mori. Cumque pridie fere mortis suae diutius de morte ad mensam loqueretur, adieci ego: « Dominatio Vestra semper de morte loquitur, ad minimum sinat nos quiete comedere ». « Quid tua, inquit Servus Dei, interest? si ego volo mori ».

Iniuriarum patientissimus, famulos suos increpare nesciens, proximorum salutis, et amoris avidissimus, in periculis inperterritus, paupertatis summae, obedientiae maximae, sobrietatis, continentiae, pietatis, humilitatis, aliarumque praesulearum et pastoralium virtutum plenissimus. Denique vivus ipse testis sum, et sanguine etiam proprio testor Servum Dei pro fide catholica, et S. Romana Ecclesia, ac Petri primatu mortem appetiisse. Innumeris quippe vicibus meis ipse auribus audivi Schismaticos eo quod fuerit Servus Dei Unitus mortem



illi minatos fuisse, insidias struxisse: « caede, occide latinum, haereticum, papistam » clamitasse.

De sanctitate illius in vita, et morte communis est omnium opinio, cum plurimi e manibus meis cum summa reverentia particulas strophili in sanguine Servi Dei imbuti, acceperint, nec minore acceptam persecuti fuerint. Miracula, quae supra recensita sunt, fere omnia multo ante prius ab ipsis beneficia expertis audivi. Imo ipsam meam vitam miraculum censeo. Scio enim me ita caesum fuisse, ut naturaliter neque minima particula carnis, ossiumque manere integra posset. Testatur hoc vestis mea, tot fere framinibus, quot filis contexta, testatur hoc caput meum, cicatricibus plenissimum. Et quod maxime rem auget praesentem, cum ante haec verbera multis distenerer valetudinis incommoditatibus, nunc, Dei gratia, optime valeo, ut ab obitu Servi Dei (47) nullo morbo vexatus fuerim, nisi quod sanguine interdum spuum, hoc tamen sine ullo dolore, et valetudinis resentimento.

Ipsa die mortis Servi Dei, cum iam Schismatici Curiam archiepiscopalem invasissent, familia Archiepiscopi defensionem parabat. Sed Servus Dei prohibuit omnino, ne vel vulnerarent aliquem ex parricidis, vel globo traicerent, et hoc fuit in causa, quod Schismatici, viribus sumptis, ardentius institerint, portam Curiae fregerint, domum occuparint, et me, et D. Emmanuelem Cantacusaenum cum tota familia exciderint; nullus tamen ex nobis mortuus est. Quod quidem Servus Dei in vita praevidissem mihi videtur, cum saepius nos moneret, ne timeremus nobis si ille martyrio afficeretur, non peribit, inquit, ex vobis quisquam.

Advecto corpore Servi Dei Vitepsco Polociam, audivi aliquos ex Polocensibus tempore occisionis Servi Dei vidisse columnam igneam supra civitatem Vitepscensem, authorem tamen certum huius visionis hucusque nesciri. Credibile est, peste Polocensi immediate post occisionem Servi Dei secuta, inter alios plurimos sublatos esse etiam illos, qui dictam columnam viderant.

Denique obtulit in scripto testimonium quoddam de quodam miraculo per Servum Dei patrato, cuius tenor talis est. « Ego Paulus Borzidłowski sub iuramento testor quod anno 1627, Januarii 22 styli veteri, filius meus nomine Theophilus, annorum circiter duodecim, calida febris gravissime vexabatur integris quinque septimanis. Cum autem iam de vita illius omnino desperassem, loquelam enim fere amiserat, interim convenit me R. P. Paulus Owłoczyński, Ordinis S. Basilii, invisans me, et in tristitia consolans dixit: non tristeris, facias tamen votum sistendi illum ad sepulcrum Servi Dei Josaphat, atque particulam strophili sanguine Servi Dei tincti collo pueri appendit; sub conscientia hoc dico: postquam particula collo appensa est, eadem die et hora, mense Martio, dictus puer Theophilus convalescere coepit tanquam si nunquam aegrotasset, quod totum gratiae Dei per intercessionem Servi Dei Josaphat mihi praestitae adscribo. Idem qui supra manu propria ».

Quid vero Servus Dei pro ecclesia cathedrali Polocensi fecerit, clamant muri, et haec ecclesia sexdecim innixa columnis a fundamentis omnino restaurata, altaria argento decorata, apparatus sacerdotum



les et episcopales ea magnificentia et decore, qui palam videtur donati. (47v)

His Religiosarum personarum exceptis testimoniis R. D. Jacobus Diakonicki, Archiepiscopus Polocensis Archipraesbyter, sacramento sacerdotali testatus est, ea omnia quae de Servo Dei hactenus dicta sunt verissima esse. Obtulit vero scriptum quoddam propria manu subscriptum; tum ipse prius publice legisset, et fide sacerdotali contenta scripti comprobasset. Scripti illius in latinum translati tenor talis est: « Ego Jacobus Diakonicki, Archipraesbyter Polocensis, fide sacerdotali testificor: Servum Dei Josaphat Archiepiscopum Polocensem pietatis studiosissimum fuisse, gloriae divinae zelosissimum, temperantiae aliarumque virtutum plenissimum. Non modo domi, sed etiam in itinere. Horis canonicis absolutis, orationi mentali vacabat quotidie, eleemosynas larga fundebat manu in pauperes, maxime vero in sacerdotes, incarceratos visitabat, et pro eliberatione illorum laborabat, libentissime excipiebat confessiones tam spiritualium quam saecularium, acriori nullum excepit verbo, in peccantes contra illum poenis non insurgibat, sed tantum: « o, nequam » dicebat, et pro poenitentia ut statim confiteretur iniungebat. Confessione vero absoluta nullam aliam assignabat poenam. Quolibet die festo concionabatur, quinimo, ubicumque poterat, sacrae pabulum doctrinae ministrabat. Verba vero illius corda penetrabant, et lachrymas extorquebant, plurimos Haereticos ex civibus et Nobilibus ad fidem catholicam convertit, quoniam nil tam studiose quam salutem animarum quaerebat. Et in hoc occupatio ipsius et cogitatio versabatur. His omnibus virtutibus adeo Servus Dei profecit, ut coronam martyrii mereretur occisus pro fide catholica, et apostolica S. R. E. Mortem illius multis iisque maximis Deus gloriosus miraculis illustravit; debiles et claudi solo contactu sepulcri Servi Dei, tumbae, habitusve illius sanitatem recuperarunt, prout etiam publice in consessu D. V. Ill.marum sunt confessi. Verum et in me ipso insigne Servi Dei beneficium expertus sum. Cum enim de morte illius rumor Polociam venisset, ego ipse cum familia mea non poteram comedere, bibere, et dormire prae taedio; mentis etiam compotes non fuimus, donec corpus Servi Dei Polociam advectum esset; hoc enim advecto illis defectibus remediatum per Servum Dei sensi esse ».

Hoc lecto scripto retulit, quod Servus Dei sciens Antecessores suos nonnisi Sacrum Pontificale celebrare solitos fuisse, sacri vero Missae sacrificii cupidus videns se non posse pontificaliter celebrare, Missam saepius more simplicis sacerdotis celebrabat. (48)

Protulit etiam regulas, certasque constitutiones, ac cathechesim pro sacerdotibus a Servo Dei composita, et manu propria Servi Dei subscripta. Quae de mandato Ill.morum DD. Commissariorum ex vulgari in latinum translata ad calcem praesentium actorum sunt inserta.

(62 testis)

Sed et illud miraculo adscripsit Rev.dus Archipresbyter, quod eo ipso die, quo Servus Dei occisus est Vitepsci, ipse quemdam ex suis

Ruthenis sacramento matrimonii Polociae copulabat; et dum pro consuetudine Ecclesiae Graecae matrimonio iunctis coronas deauratas imponere vellet, corona sponte sua e manibus elapsa, penitusque contracta est. Mirabamur, inquit, casum coronae, sed nunc videmus quia Deus gloriosus voluit designare eo ipso die coronam capitis nostri occidisse: Archiepiscopum, et Patrem nostrum occisum fuisse.

(63 testis)

His auditis R. D. Stephanus Prus, Decanus Bychoviensis, a Schismate ad Unionem a Servo Dei conversus, fide sacerdotali testimonium per alios Servo Dei datum verissimum esse affirmavit. Addens praeterea quatuor sacerdotes Bychovienses plane haereticos per Servum Dei ad S. Unionem secum conversos fuisse, quorum nomina haec sunt: Archippus et Daniel Minkowski, fratres germani, Crysiphorus et Basilius Michaëlis, fratres itidem germani. Subiecit demum aliqua de virtutibus Servi Dei, quae ab aliis supra recensita sunt, sed prae angustiis temporis non repetuntur.

(64 testis)

R. P. Stephanus Sulianovicius, Vicarius ecclesiae cathedralis Polocensis, ex dispensatione Servi Dei post mortem eiusdem factus sacerdos, sacramento sacerdotali verissima esse comprobavit, quaecumque de ipsius eleemosynis pauperumque amore dicta sunt. Quinimo, inquit, saeculares cogebat sacerdotes ad dandas pauperibus eleemosynas.

Item Servum Dei de rebus domesticis, dispensa, coquina, nihil unquam scire voluisse, eo quod totus se divinis tradidisset.

Item cum saepius eleemosynas me facere iuberet pauperibus, me dicente parum admodum in penis esse: « Da, inquebat, pauperibus, Deus dabit nobis ». Vel: « da reliquum, etiamsi nihil sit nobis, sit pauperibus ». Cuidam pauperi viduae, cum non essem dandi, proprium episcopale iussit pallium oppignorare.

Item Servus Dei, Archiepiscopum agens, saepius per se solus pro Matutinis campanas pulsabat, ex graduali publice in templo canebat. Sed tamen maxima ex parte ea, quae ad cantum ecclesiasticum pertinebant memoriter optime sciebat. Immo alios etiam se in cantu prae-cellere non patiebatur, lectiones publice in templo legebat. (48v)

(65 testis)

R. P. Joannes Lassieński, Vicarius ecclesiae Collegii Polocensis, Societatis Jesu, fide sacerdotali testatus est Servum Dei, et ipsius sanctam et innocentem vitam sibi notissimam fuisse; cor, inquit, meum adhaerebat illi, quia facies illius alliciebat ad se homines libentissime illum intuebar, mortem eius martyrium censeo. Scio enim pro sola fide Catholica, Romana, et Apostolica illum occisum fuisse.

(66 testis)

R. D. Gregorius Kałuski, Rev.mi Domini Episcopi Methonensis

Capellanus, sub iuramento fassus est se sensisse ex tumba Servi Dei, et corpore odorem quemdam fragrantissimum liliorum.

(*Declaratio, alta voce facta, per Moniales Ordinis S. Basilii*)

His testimoniis a Clero tam spirituali quam saeculari utriusque ritus fidelissime exceptis, datus est locus testimonio personarum Deo dicatarum sexus foeminei utriusque itidem ritus. Vocatae itaque in medium moniales Ordinis S. Basilii quid de Servo Dei sentirent requisitae fuerunt; unanimi itaque voce per Superiorem suam, Alexandram Wołkowna, Pastorem optimum, sanctum, iustum, omniumque virtutum plenum esse confessae sunt.

Imo primum suum fundatorem Polociae Servum Dei esse dixerunt, quique illis toto Archiepiscopatus tempore a confessionibus fuerat, ea quae erant necessaria ad victum semper sibi submittebat, quin etiam ordinarium ex mensa sua archiepiscopali aliquid nobis ex ferculis submittere.

Neque vero in vita tantum nostri memor fuerat, sed post mortem etiam aliquibus ex nostris sua praestabat beneficia. Anno enim 1624, una ex nobis, Religiosa nomine Agatha Rustowska, pedum usum dolore praevalente omnino amiserat; postquam vero vovisset, se Servi Dei sepulcrum visitaturam, omni dolore et pedum ineptitudine penitus fuit liberata. Item semper in omnibus suis corporis et animi necessitatibus ad Servum Dei confugere et praesentia levamina, ac solamina saepenumero referre; sed et puella quaedam, a servitiis monasterii nostri, quadam nocte excellentem quemdam et divinum ad sepulcrum Servi Dei audivit cantum qui tantum nonnisi ab illa sola auditus fuerat.

Sed illud relatu dignissimum est, quaedam ex illis, monialis cognomine Podbereska, fassa est coram sua Superiore se vidisse quodam tempore, dum Servus Dei sacrum Missae perageret sacrificium, quemdam Diaconum astitisse illi, amictu albi coloris vestitum, cum neque persona, neque habitus ille unquam visus fuerit, tandemque absoluto Sacro ille in albis evanuit.

Sed et tempore eiusdem Sacri, dum pro more Ritus Graeci in fine augustissimum Altaris Sacramentum (49) populo per Servum Dei ostendebatur, puerulum quemdam calici superinsistentem eadem Virgo se vidisse confessa est.

His testimoniis fidelissime exceptis, prodierunt etiam in medium certae devotae Virgines, et beneficia sibi a Servo Dei praestita iuramento firmarunt; altera illarum, nomine Zophia Krzyżanowska, asseruit, se annum circiter passam fuisse vertigenem capitis terribilem ita, ut etiam prae dolore, et morbi vi nesciret interdum quid loqueretur. Alteri digitus dextrae manus, index dictus, putrescebat sine ulla spe curationis. Utraque igitur, tanquam humana ope destituta, voto adeundi sepulcrum Servi Dei facto, et completo miraculose sanitatem recepit.

His auditis nec quoquam quid in contrarium dicente, populo iam



in audiendo fatigato, Actio finita, et per R. D. Abrahamum Hrenevicium Actio crastina, subsequens, intimata.

ACTIO QUARTA - DIES QUARTA.

Quae fuit 23 Martii - Feria quinta post secundam Quadragesimae.

Hac die, eodem modo consistentes circa ambonam Patres, invocato Spiritus Sancti suffragio ad testimonia per seipsos de Servo Dei ferenda accesserunt.

(68 testis)

In primis itaque Ill. mus ac Rev. mus D. Archiepiscopus Polocensis<sup>27</sup> tale dedit elogium. Illa, inquit, quae ex publica fama, et opinione de sancto meo Antecessore dicta hactenus sunt, longe verissima sunt. Ego vero gaudeo vehementer, quod dum Religionem S. Basilii Unitorum in monasterio Vilnensi SS. mae Trinitatis ingressus essem anno 1612, statim in Patrem Spiritualem, et Directorem, secundum morem monasticum antiquum Religionis S. Basilii, Servum Dei Josaphat habuerim, notabilique tempore et fere integrum ultra annum in eadem cella illi convixerim.

Quae vero in Servo Dei tum notaverim complecti certe non possum, aliqua tamen ex plurimis commemorabo. Qualibet fere die post examen conscientiae vespertinum confitebatur Patri suo spirituali; tota nox illi non pro somno fuerat, sed pro perpetuis singultibus, lacrymis, pectorisque tusionibus, ita ut revera, inquit, mihi tanquam iuveni difficile admodum videbatur cancellarium fuisse ipsius. Frequentissime, et fere qualibet nocte, postquam putabat me obdormivisse, surgebat de lecto, et stans vel flectens meditationi vacabat, una et altera saepius hora. Scio vero ab ingressu in Religionem usque ad mortem integris ultra viginti annis nunquam illum usum fuisse indusio, sed solo (49v) super nudum corpus cilicio.

Cuius signum Deus voluit esse, quod et in morte parricidae corpus Servi Dei cilicio tectum invenerint. Catena ferrea disciplinas longissimas semper usque ad sanguinem faciebat, gemitus in oratione ad alias etiam cellas pertingebat. Infirmis ita inserviebat, ut charitatem illius absolute explicare non possem, in me ipso, dum male valerem, expertus.

Castitatis exactissimus fuit observator, cuius specimen edidit; quadam vice quaedam foemina, Servo Dei tanquam pro colloquio spirituali ad ianuam monasterii evocato, impudicum suum illi aperuit animum. Hic nesciente monasterii familia coepit illam flagris cadere usque dum vix ultimis Coemeterii portis profugeret scelestas.

Item Servum Dei semper ante alios surgere solitum fuisse, et excitationis hora solita fratribus, campanam statim ecclesiasticam pro Matutinis pulsasse. Unde Sacristianus semper illum iam in vesti-

<sup>27</sup> Antonius Sielawa, Archiepiscopus Polocensis ab an. 1624-1655; ab anno 1641 usque ad an. 1655 etiam Metropolitana Kioviensis et totius Russiae.



bulo templi inveniebat. Ingressus vero in ecclesiam semper infallibiliter Nocturnum ipse absolvebat, Laudes cecinit. Vocem enim illi Deus dederat angelicam, affectum ad cantum magnum, peritiam in illo summam.

Horis matutinis absolutis statim egrediebatur monasterio, prout etiam prandio absoluto, domos Schismaticorum invisebat, in fide confirmabat, ad confessionem excitabat, vel adibat xenodochium monasterii SS.mae Trinitatis, ibique varia aegrotis exhibebat officia pedes illorum deosculans, mundans, de loco in locum transferens, lectum accommodans, cibum ministrans ita, ut quando in monasterio inveniri non poterat, vel in templo, ibi arctissime inveniebatur. Dicebatur interdum cellam ipsius fuisse templum et xenodochium.

Monasterium Vilnense Monialium Ordinis S. Basilii Unitarum reformavit, regulas illis conscripsit. Quodam tempore Superiorissam in quadam materia invenit obstinatam, arrepta disciplina ad lachrymas usque excepit illam, eidemque in colloquio spirituali colaphum impexit sine ullo respectu, etiamsi fuerit filia cuiusdam Senatoris.

Saepius in civitatem prodibat, manuque collecta hominum ad monasterium adducebat et confessiones ipse audiebat, ac alios ad audiendum inducebat. Quandocumque aliquem ex Schismaticis, vel tepidioribus Unitis ad monasterium vidit venientem abvia primus ipse advenae processit, et pro more salutato hospite vel ad confessionem vel ad virtutes hortabatur. Tamque avidus fuit confessionis, ut solus fere fuerit (50) confessarius monachorum, monialium, et saecularium utriusque sexus Unitorum Vilnae, eo quod singularia gratiae divinae dona in illo omnes agnoverint, hinc familiarissimus fuit Magnatibus utriusque ritus.

Et hoc summa admiratione dignum, quod cum totus fuerit curae animarum deditus, et lectioni, vix aliquid temporis reliquum habuerit, Concionatorem tamen agebat ordinarium; saepius confessionali relicto immediate cathedram conscendebat, et cum summo omnium applausu praedicabat, solis libris slavonicis, et polonicis doctus; latine neque verbum fundamentaliter sciens.

Monasteriorum aliquot Unitorum fundamenta iecit, et praecipue Bytheni, Pinsci, Zeroviciis, loco B.mae Virginis miraculis clarissimo, quem ille ab Haereticis iuspatronatus in illam ecclesiam praetendentibus Iudaeis iam oppignoratum invenerat. Et quia ecclesia in praedicto campo sita fuerat, et nonnisi unicum sacerdotem saecularem schismaticum habebat, nunc Dei gratia, Servo Dei authore, in perfectissimum locus ille crevit monasterium, magno animarum in utroque ritu catholico fructu. Imo aliquos ex illis, qui iuspatronatus sibi assumebant ex Schismate ad S. R. E. reduxit.

Tres disputationes cum Schismaticis insignes Vilnae habuit. Prima convertit Schismaticorum antesignanum, Proconsulem Vilnensem, nomine Ignatium Dubowicz, qui postea cum summo dolore Unitorum, et damno ad ritum Romanum descivit.

Secunda convertit Petrum Kopec, acerrimum etiam Schismaticum, Proconsulem Vilnensem, qui unitissimus Ecclesiae Dei usque ad mortem fuerat.

Tertia, optima fundamenta iecit conversionis Ill.mae Palatinae Brestensis, de qua supra, Actione tertia.

His tantisque Servi Dei donis Schismatici in illo notatis, totis viribus a S. Unione eundem studebant avocare, sed ad primum statim verbum repulsam patiebantur. Quo fit ut illi necem interdum intentaverint. De quo fusius R. P. Igumenus Polocensis infra.

Exemplar doctrinae Servi Dei produxit Ill.mus volumen quoddam a Servo Dei contra Schismaticos conscriptum, quod suo tempore ad mundum describi poterit, et Romam transmitti. (50v)

Quo autem affectu homines erga Servum Dei ferebantur, vel inde facile conici potest, quod cum quodam tempore, simplicem adhuc agens monachum, Servum Dei Polociae agentem convenirem, talem concursum hominum in Curia archiepiscopali inveni, ut domum illius forum arbitrarer.

Superiores Servi Dei, quid de illo sentiant, testantur lacrymae Ill.mi Metropolitanæ modernæ pene quotidianæ dicentis: « Mortuo Josaphat, dimidium dierum meorum amisi ».

De lenitate spiritus non est necesse loqui. Nulli unquam commotus fuerat, summis etiam affectus iniuriis, et calumniis, illud tantum addere solebat: « Domine, non loquaris vana ».

Bonorum ecclesiasticorum propugnatorem acerrimum se exhibuit, in cuius rei fidem protulit magnum volumen Actorum in diversis iudiciis per Servum Dei transactorum; neque vero suae tantum Polocensis Ecclesiae iura undique conquirebat, sed omnium ecclesiarum foundationes colligebat, et in unum referebat librum, aliisque in forma extractorum dabat. Immo Schismaticis ipsis, si quid pro illorum ecclesiis invenisset sponte offerebat. Hinc omnia quaecumque modo fere sunt Ecclesiae Polocensis totum cum suis bonis ex manibus saecularium vindicavit. Iurisdictionem episcopalem tutatus est vehementer, sacerdotes iure saecularium exemit, qui per abusum ius sibi in sacerdotes Ruthenos assumebant.

Paupertatem ab ingressu in Religionem coluit summam, cilicio et unica veste contentus, ita ut nunquam etiam in intensissimis frigoribus pelliceum gestare visus fuerit. Neque vero Archiepiscopatus hac virtute Servum Dei spoliavit. Toto enim tempore sui status episcopalis nunquam usus est vestibus sericeis, sed ex panno ordinario confectis. Unde redargutus a quodam Senatore, quod contemptui omnium seipsum offerret tam vili incedens habitu, respondit: « Ill.me Domine, pauper sum Religiosus ».

Denique vitam pro Sancta Romana Ecclesia posuit, cuius authenticum testimonium protulit, Commissionem Vitepscensem, quae quia vel sola sufficeret ad actum praesentem communi Rev.morum DD. Commissariorum consensu ex vulgari in latinum translata est, et ad calcem Actorum praesentium annexa. Prolata hac Commissione interrogati sunt publice Ill.ri et Generosi Domini Terrae Polocensis Officiales supradicti, tanquam Commissionis positae scientissimi, an vera fuerint inibi relata, et iuste (51) parricidae Servi Dei puniti, unanimi voce responderunt omnia esse longe verissima. Quin imo dice-

bamus, inquit, ad transferendam pro tanto scelere a toto Regno poenam, plures poenas solvere debuisse. Sed et praesens huic interrogationi Generosus D. Andreas Kunicki, Actor in dicta Commissione pro parte Servi Dei Josaphat, iuramento testatus est illa omnia sic se habuisse prout in dicta Commissione continentur.

Rursus et aliud signum verissimi illius martyrii dixit esse Ill. mus Archiepiscopus, quod omnes omnino in utroque ritu Catholici, omnis status et conditionis, publica voce et unanimi consensu Servum Dei appellant martyrem, illi se recommendant, ut martyri anniversariam obitus ipsius diem solemnissime celebrent. Mortem Servi Dei gravissimi viri et Regni Senatores uberibus lacrymis prosecuti fuerint, et prosequantur.

Sed et hoc non mediocriter sanctitatem Servi Dei auget, quot Deus vindicans sanguinem servorum suorum, inimicos ipsius gravissime punierit. Inter caeteros autem Nobilis quidam, D. Massalski, Servum Dei iam iam occisurus, prius ipse occisus, Wasilewski herodiano mortuus morbo, Kozon excecatus, et in fraenesin actus, de quibus singulis infra, in relatione Vitepscensi ultima.

Sed et parricida ille, qui primo ictu caput Servi Dei fuste contudit, per ipsos Schismaticos proditus est, et capite damnatus. Cum enim Vitepscum, et Commissariorum dictorum manus elapsus esset, extra civitatem in quodam substitit hospicio, ad quod forte fortuna veniunt Uniti, et praesentibus inibi Schismaticis exprobrant parricidium. Hi vero unum e medio sui ostendunt illum fustarium, subito itaque eundem capiunt, Polociam adducunt, ad confessionem facti inducunt. Iusto itaque iudicio capite damnatur, et plectitur. Sed, quae est misericordia Dei, et sanguis martyrum, peccata sua prius unito confitetur sacerdoti.

Miracula Servi Dei passim circumferuntur, et iuramento publico firmantur. Unus etiam ex pueris meis, natione Mohiloviensis, officio cantor, dolore invalescente capitis, oculorum omnino amiserat usum, atque abstersis oculis strophilio sanguine Servi Dei tincto eundem recuperavit. Hoc testimonium iterata sub conscientia approbatione firmavit. (51v)

(69 testis)

Perillustris et Rev. mus D. Episcopus Methonensis,<sup>38</sup> fide episcopali testatus est, omnium quotquot audiret communem esse et constantem de sanctitate Servi Dei in vita est post mortem opinionem. In sua etiam ipsius sententia mors illius martyrium censetur, cum non alia de causa quam pro primatu Sedis Apostolicae sit occisus.

Accedit, quod Schismatici et ipsi optime de Servo Dei sentiant, innocentissime illum esse occisum dicant. Utque alios omittam, Ill. ma Palatina Brestensis supradicta, avia mea, occasione habita saepius me praesente Servum Dei sanctum, bonum, pium esse dicebat. Et revera

<sup>38</sup> Georgius Tyszkiewicz, Ep. tit. Methonensis ab an. 1626/27, dein Ep. Samogitiensis, et demum Ep. Vilmensis ab an. 1649 (cfr. pag. 70 nota 126).



crediderim sanguinem Servi Dei Josaphat eidem profuisse. In ipso enim plane agone, anno 1627, conversa est, et me praesente in ecclesia catholica sepulta, celebrante exequias Rev.mo loci Ordinario Vilnensi tanquam suae matererae.

Adiecit Rev.mus D. se R. P. Joannem Gruzewski, Praepositum Domus Varsaviensis Soc. Jesu, sacrae Theologiae Doctorem audivisse de profundissima Servi Dei doctrina profunde discurrentem addentemque, quod in disceptationibus publicis Servus Dei lingua vulgari tam alte de mysteriis arcanis fidei catholicae discurrebat, ut nihil omnino a doctissimis theologis addi posset.

Item plures gravissimos viros reliquias Servi Dei ambire, etiam ipsos ecclesiarum Collegiatarum Officiales pro ornamento altarium petere. Imo pro ecclesia Collegiata Varsaviensi idem petitum cum illa clausula quod ipsi Ser.mo Regi, et toti Curiae longae gratissimae sint futurae.

Et quod ad miracula Servi Dei attinet, dixit se ab Ill.mo Metropolitana partem tobaleae sanguine Servi Dei tinctam habuisse, quam disperdens inter alios dederat etiam Rev.do Patri Zachariae Skorulski, Soc. Jesu. Hic dictam reliquiam collo suo appendit, casu amittit, sibi non credens nudato pectore et collo inquit, nec reperit; aliquot noctibus thesaurum illum suspiriis prosequitur, et ecce quadam nocte evigilans tacto pectore illud suum reliquiarium sibi appensum invenit, fideque sacerdotali id factum esse confirmat.

Sed et aliud aliis per eandem reliquiam praestitum beneficium. Civis quidam Vilnensis, cognomine Snarski, filiam suam extremo conflictatam morbo deplorabat. Dictus Pater Skorulski convenit praedictum civem solaturus, et iussit ut Servo Dei Josaphat filiam suam commendaret (52); ipse vero, accepta illa sanguinea particula immittit in aquam, eamque dictae puellae bibendam propinat; bibit illa, omnes humores noxios ore eiicit, in sequentem diem convalescit.

Item se ab Ill.mo D. Episcopo Vilnensi moderno audivisse, quod ipse ter in gravissimo podagrae paroxismo, invocato Servi Dei auxilio notabile senserit alleviamen.

Item sibi relatum esse a germana sorore Ill.mi Episcopi Vilnensis, quod applicata particula strophilioli sanguine Servi Dei tincti ad locum doloris in actu podagrae, praesentissimum senserit levamen. Imo hoc ipsum scripto quodam sua propria manu conscripto, et subscripto idem testata est. Protulit itaque scriptum ipsum, et ex vulgato in latinum idioma transferri iussit, ac praesentibus inseri Actis. Scripti itaque illius tenor talis est. « Accepti a Domino Deo per intercessionem s. me. Patris Josaphat Archiepiscopi Polocensis beneficii hanc meam do attestationem. Gravissimo vexata morbo, podagrae dolore, ita ut nullam in sanitate senserim meliorationem duabus fere septimanis, imo intantum praevalescente dolore ut non modo incedere, verum etiam propriis viribus e lecto surgere difficile admodum fuerit, caelestibus utendum mihi esse ad iuvandam incolumitatem prius quam humanis decreveram mediis. Cum autem haberem recentem sancti P. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, mortis memoriam, prae-



terea aliquid ex reliquiis illius, et in particulari strophili in sanguine illius tincti, ciliciiue partem, ausa sum, loco doloris applicans praefati reliquias, potentem apud Dominum Deum huius Sancti intercessionem implorare. In hac mea ferventi oratione obdormivi, et ecce per somnium video virum quemdam spiritualem casula alba vestitum, capite in dextera parte vulnerato, ex quo vulnere sanguis usque in casulam profluebat, astantem. Quaero quisnam fuisset? « Ego, inquit, sum Josaphat Archiepiscopus, cuius non ita pridem auxilium implorabas ». Cumque ego dicerem: « Obsecro, vir sancte, ut per merita tua primam obtineam sanitatem », respondit: « Merita mea coram Maiestate Divina exigua sunt. Sanguis solummodo ille, quem propter Christum Dominum, et eius fidem profundi, multum valet ». Manu igitur in sanguine de capite profluente tincta, dolore affectum sanguine illo tingit membrum, haec addens verba: « Hic sanguis propter Christum, et fidem catholicam orthodoxam, Graecam, et Ecclesiam illius effusus sanet te secundum fidem tuam ». His dictis evanuit. Ego evigilans sensi me omni dolore liberam, ac si nullo ante somnum vexarer morbo; ita ut in crastinum, et incedere, et alias benevolentibus communes absolvere possem occupationes. Maiestati itaque Divinae pro accepto, intercessione huius B. Viri, beneficio reddita gratiarum actione, et accepto mihi illo usque ad mortem in securissimum Patronum, hoc meum sub conscientia, propria manu subscriptum, do testimonium. Die 14 Martii anno Domini 1627. Filianna Wołowiczowna Kossakowska, Capitanea Zomrensis, manu propria ».

Sed et mirabile quoddam sub tempore revisionis servi Dei Josaphat corporis accidisse, nempe dum privatim prius revisio dicta absolveretur, guttae, inquit, lachrymarum ex oculis Servi Dei cadebant. Simili sacramento idem testati sunt se vidisse Ill. mus Archiepiscopus Polocensis, Adm. R. D. Archidiaconus Albae Russiae, Adm. Rev. di Patres Igumeni Commissarii apostolici, et R. P. Rector Collegii Polocensis, qui etiam addidit, aliquos ex sua Societate, qui admissi fuerant eodem tempore ad sacri capitis osculum, advertisse (qui hanc suam advertentiam iuramento religioso firmarunt) frontem Servi Dei sudasse, cum tamen lachrymae illae et sudor, quin imo minimus humor, neque ante, neque post ab ullo homine notata fuerint.

(69 testis)

Hoc talis tantique viri testimonio fidelissime excepto Rev. mus Episcopus Haliciensis<sup>39</sup> asseruit se Servum Dei semel, aut bis tantum in vita vidisse, ac proinde nil experimento suo in illo notasse. Statim tamen post mortem Servi Dei, quam, Romae dum ageret, ex sacra de Propaganda Fide Congregatione rescivisse se dixit pro martyre illum habuisse, et nunc habere, sciens illum pro fide catholica, ac primatu S. Petri et Sedis Apostolicae occisum fuisse. Confirmatum vero se fuisse concione in depositione corporis Servi Dei Polociae

<sup>39</sup> Raphaël Korsak, Ep. Haliciensis ab an. 1627, Ep. Pinscensis ab an. 1632, Metropolita Kioviensis ab an. 1637; vita functus anno 1640, Romae.

anno 1625 habita, quae quia longior est hic inseri non potest. Puncta tamen ex illa ad propositum servientia hic inseri petiit, praesertim cum concio dicta habita fuit ab Ill.mo et Rev.mo Leone Creusa, Archiepiscopo Smolenscensi moderno, viro omni exceptione fide dignissimo et Romano Doctore S. Theologiae, propter intimam cum Servo Dei conversationem, multarumque illius virtutum conscio. Porro autem puncta ex dicta concione extracta haec sunt, quae sequuntur. (53)

C. 1. Primo. Ordinario ordinarium illi fuerat quater etiam in hebdomada, dum esset Archiepiscopus, confiteri; quolibet die festo solemniori si ipse sacrum Missae officium certis de causis absolvere non poterat (quod raro accidit) ex manibus sacerdotis corpus et sanguinem Domini magna cum reverentia sumere.

C. 2. Anno 1623, paulo ante mortem ipsius, in quibusdam negotiis ab Ill.mo moderno Metropolita Polocia Novogrodecum evocabatur. Illo omnino tempore quo incommoditatibus itineris Varsaviensis confectus plane fuerat, quoque Curia cum equis absumpta Servus Dei ex nunc iter meditabatur. Cum vero illi dissuaderent nonnulli, eo quod equis carebat, respondit: « quodsi etiam, inquit, uno equo discedendum mihi erit, discedam, ut tantum mandato Pastoris mei satisfaciam », quod certissime faceret, nisi quidam illi ex Palatinatu Polocensi equos commodaret.

C. 3. Ad mensam lectione verbi divini pavit omnes, familia in Curia eius tamquam in monasterio claudebatur, subditos ecclesiasticos sine ulla difficultate, et personarum delectu, more Patris amantissimi, ad se admittebat, dulciter alloquebatur, et non taediose illos in suis confugientes iniuriis audiebat. Etiam consequenter perfecte ab iniuriis tuebatur, ad pietatem christianam hortabatur, ad ecclesias, quas in suis bonis propter illos habebat, ut quolibet die Dominico, et festis adessent sub poena compellebat.

C. 4. Domus illi cum suppellectili, stabulum cum equis igne absumpta, triginta librae argenti furto sublatae, Servus Dei nil commotus: « Deus, inquit, dedit, Deus accepit ». Iniurias tam patienter tulit, ut nesciam, an quisquam illum viderit subiratum, vel aliquid in furore dicentem, nos hucusque non vidimus.

C. 5. Cum a Superioribus suis pro Sede Archiepiscopali designatus esset, te a S. R. M. Privilegium obtentum, exemplo Sanctorum Basilii, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, Nicolai, aliorumque Sanctorum Patrum uberrimis perfusis coram quodam ex Patribus nostris lacrymis, velle se dignitatem hanc fugere, et in desertum secedere testatus est, quod cum illi dissuaderetur, et voluntatem esse Dei diceretur, extemplo Domino Deo se recommendans illud animose eidem Patri dixit: « Etiam si, inquit, cum unico tantum baculo ad Cathedram mihi eundum esset, ibo ».

C. 6. Nunquam ullus verbum indecens audivit ab illo; videre fuit pudorem virginalem in facie illius, cum quis aliquid diceret minus honesti, etiamsi pro recreatione. (53v)

C. 7. Visus est saepius in intensissimis frigoribus, in Caemeterio SS.mae Trinitatis Vilnae in uno lapide unico tectus cilicio, nudipes in

oratione perdurasse. Cilicio usque ad mortem loco indusii usus est. Hoc etiam in illo adverterunt, quod saepe tres cingulos ferreos, acutis aduncisque iunctos sphaerulis, duobus humeros per modum crucis, tertio lumbos stringebat.

C. 8. Tempore Quadragesimae, saepissime integro die, saepe duobus, neque comedit, neque bibit.

C. 9. Paupertatis tam fuit amans, ut in dignitate sua archiepiscopali nunquam manus sua pecuniam tetigerit, neque illam apud se habuerit; sericeis nunquam usus vestibus, sed tantum religioso communibus statui, in quo testes sunt parricidae, qui videntes Archiepiscopum iam occisum in antiqua veste, cingulo coriaceo, tibialibus resarcitis, aspero cilicio iacentem, familiam ipsius adducebant ad corpus illius mortem illis minitando, si verum non feterentur, quisnam ab illis occisus fuisset. Putarunt enim aliquem simplicem a se occisum Religiosum, et non Archiepiscopum, sed ab illis assecurati, multum mirati sunt Archiepiscopi paupertatem.

C. 10. Ante redditam Clementi octavo, Pontifici Maximo, per Praesules Ruthenos obedientiam, cum omnes Rutheni, et illa Confraternitas Vlnensis Schismaticorum, S. Spiritus nuncupata, Confraternitas SS.mae Trinitatis vocabatur, omnesque ad ecclesiam SS.mae Trinitatis conveniebant, Servus etiam Dei, schismatice ignarus pravitate (tunc enim in pace erant omnia), bona fide cum illis conversabatur, et ecclesiam SS.mae Trinitatis frequentabat, ibidemque Sacramentis utebatur. Verum reddita obedientia Summo Pontifici per Superiores nostros, cum Schismatici, thesauro ecclesiae SS.mae Trinitatis surrepto, ecclesiam novam aedificarunt Sancti Spiritus titulo illi indito, et Confraternitate instituta, talem videns sanctus adolescens dissensionem confugit (prout ipse nobis referebat) ferventi ad Dominum Deum oratione saepe illas iterando voces: « Viam tuam Domine demonstra mihi in qua ambulem ». Instinctu itaque divino Unitis adhaesit, minas contempsit, promissa inimicorum, quibus irretire volebant, despexit cum S. Davide dicens: « Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo ». Cum vero ipsi obiicerent Schismatici: « Tu, inquietes, nobiscum fueras », respondebat cum S. Paulo: « Cum essem parvulus loquebar ut parvulus ». Ita scilicet illi ad manum fuerant Sanctarum Scripturarum loca. (54)

C. 11. Semper libros sacros legendo, illorum sensus ad fulciendam veritatem catholicam et haeticam falsitatem confundendam eliciebat, ita ut saepe confusi fugerent Schismatici, vel cum illo disceptare non sint ausi. Subito postquam aliquis Schismaticorum liber prodississet, legit illum, statimque ex ambona errores in illo contentos confutabat. Saepius accidit, quod ex illorum etiam libris Haeticorum et Schismaticorum eosdem confundebat.

C. 12. Anno 1608, tempore turbationis illius, in qua praecipui etiam aliqui Unitorum titubare coeperunt, videndo se esse derelictos ab illis, a quibus iuvare debuerant, Schismaticorum praevalente audacia, ecclesia Collegiata Vlnensi, et aliis civitatis illius ecclesiis vi armata per Schismaticos occupatis, sacerdotibus ritus Graeci saepe



cularibus cum suo Vilenſi Decano ad Schisma deſciſcentibus, omnibus in necem monachorum Ordinis S. Baſilii monaſterii Vilenſis SS.mae Trinitatis Unitorum conſpirantibus, Servus Dei Archimandritam ſuum, qui tunc fuerat Ill.muſ Metropolita modernus, illis ſolabatur verbis, et confortabat: «Si vis humana caedit, divina ſuccedet». Hinc factum ut ab illo tempore uſque ad mortem ad nullius Senatoris Regni inſtantiam ab ultima Schismati ruina intentanda deſiſteret. Illud ſuum ſolitum ex Hieremia petitum obſtaculis obiiciens: «Non ſis tu mihi formidini ſpes mea in die afflictionis».

C. 13. Illud de ſeiſpo Servus Dei retulit. Cum, inquit, ad annos iam diſcretionis perveniſſem, accidit quodam tempore, ut cum parente meo ingrederer eccleſiam, ubi imagines Sanctorum perlustrans, imaginem hominis crucifixi adverti. Interrogavi parentem, quaeſnam eſſet haec imago, cumque explicuiſſet mihi, hunc eſſe Filium Dei qui propter peccata noſtra, aſſumpto corpore, acerbiffimas in illo perſtulit poenas, eo ipſo tempore ſenſi in me quandam amoris divini ſcintillam illabi ita, ut iucundiffimum mihi fuerit eccleſiam adire, et in illa, acquiſita rerum eccleſiaſticarum peritia, legere et canere et beneficia divina meditari intantum, ut non recorder, an aliquando eccleſiaſtica officia neglexerim.

C. 14. Nulla Comitia Generalia ſub tempus illius Archiepiſcopatus abſolvebantur, in quibus vel ipſe per ſe (quod ſemper fere fuerat), vel per alios Eccleſiae Dei negotia non promoveret. Anno ſui Epicoſcopatus ultimo, hoc eſt 1623, ſummis itineris incommodis magnam acquiſivit corporis debilitatem. Cumque aliquantulum temporis (54v) ad reſarciendas vires in monaſterio Unitorum Supraſlieniſi ſubſtituiſſet, iter coeptum proſequi decrevit. Diſſuadentibus vero ſuis familiaribus, ne vitam ſuam periculo exponeret, illud pro more ſuo reſpondebat: «Labor hic meus fruſtraneus non eſt. Namque illum offero ad laudem Dei Opt. Max. neque vero ſolummodo laborem, verum et ſanitatem, imo etiam vitam meam eidem devovi»

C. 15. Cum Diaconum adhuc ageret, aliquot perſonis confessionem perſuaſit in platea. Verum quia ipſe per ſe confessionem excipere non poſſet, ſacerdotem quemdam, ut confessiones adductorum exciperet, rogavit; hoc vero occupationes quaſdam et difficultates praetefcente lachrymis illum obteſtabatur, ut peccatorum miſereretur. Ordinibus vero ipſe ſuſceptis totum ſe proximorum tradidit ſaluti, non tantum in eccleſiis et domibus, verum etiam in plateis, itinere, et hoſpitiis ad confessiones alios inducebat. Et hoc ipſi comuniſſimum fuerat ut nunquam ex hoſpicio diſcederet, non excepta alicuius confessione, imo ſaepe accidit, quod eleemoſynam dederit pauperibus ruſticellis aut mendicis pro confessione apud ſe expedita. Cum ultima vice diſcederet Varsaviam Servus Dei ex quadam occasione dixit: «Haec mea, inquit, alias fuerat conſolatio in itinere, tempore et neceſſitate exigente, confessiones excipere, in xenodochiis infirmos, in carcere captivos, omneſque ad poenitentiam inducere».

C. 16. Ab erogatione eleemoſynarum in pauperes, viduas prae-



cupue, et orphanos nunquam desistebat. Proinde tali ab omnibus prosequatur amore, ut cum ex ecclesia Vilnae procedebat ad portas ecclesiae homines occurrebant affabilissimo illius alloquio solari cupientes. Quare cum ex Superiori Vilmensi ad Polocensem sumeretur Archiepiscopatum audire fuit pauperes summis cum lachrymis Servum Dei tanquam Patronum et Patrem suum prosequentes. Eo vero magis hoc in illo observatum est cum ad archiepiscopalem evehctus esset dignitatem, ita ut domus illius forum et nudinae pauperum vocari potuissent.

C. 17. Martyrii ita cupidus fuit, ut saepissime illis verbis uteretur non tantum in communi sermone, verum etiam in literis ad Senatores principales, zelum extraordinarium in illo repraehendentes: « Non possem, inquit, melius mori, quam pro veritate sancta ». Hinc una septimana ante martyrium, in festo S. Martyris Demetrii (55), quod secundum ritum Graecum festum est ad populum, concionem habens ad populum Vitepsci supra illa Evangelii verba: « Omnis qui vos occidit, arbitratur se obsequium praestare Deo », dolore commotus supra paucitate auditorum fusius disserebat, quod a primordiis civitatis Vitepscensis nunquam tales tumultus fuerant, quales nunc exorti sunt, cum et ab ecclesia recedunt, et Pastoribus mortem minitantur. In eadem concione desiderium moriendi suum pro veritate s. catholica fusius testabatur.

Quatuor diebus ante martyrium, id est nona novembris, cuidam Senatori scribens: « Mirum, inquit, in modum opprimor cum meis sacerdotibus a personis quibusdam », quas ibidem nominat, « et a plebe, quae fere tota in me conversa est, volens omnino me meo pellere Archiepiscopatu, et sacerdotes ecclesiis, minima occasione submersionem, acerbissimamque mortem nobis minitantur ».

C. 18. Ultima vice Polocia discedens Vitepscum, multos civium Polocensium Schismaticorum iam insultantes sibi dixisse sciebat: « Non revertetur Archiepiscopus, sed vel revehetur, vel cum aquis allabetur ». Proconsules Vitepscenses in vigilia mortis illius in praedium quoddam Capituli Vilmensis ex professo secesserunt Vitepsco, ne sui parricidii cras patrandi arguerentur. Rusticis loci illius de futura nece Archiepiscopi significarunt, et ut in civitatem sese conferrent eidem adiuturi excitarunt; sed et saepius ipsemet (inquit Ill. mus D. Archiepiscopus Smolenscensis) idem odium erga S. Virum probavi, cum me simul cum illo discedente Schismatici lapidibus impetentes clamabant: « Occide, submerge, fidem nostram sublaturi veniunt », aliisque modis, et iniuriis pro posse et scire schismatico nos insectabant.

Haec sunt quae ex dicta concione inserenda videbantur, et licet plura adhuc restant, quae hic inseri possent, quia tamen iam in praesenti Inquisitione a praesentibus et videntibus omnia relata sunt, hic ex professo omittuntur.

Extremos aliquando fines percurrens Lithuaniae, Servus Dei flumen Nemen, in vulgari, Chronos graece, offendit, quod glacie sensim diffluente neque curru neque navigio poterat secure tentari. Constitit vir sanctissimus, cumque plurimos ibidem aquarum (55v) in-

genium morari coëgisset, commodam nactus oportunitatem, ardentem adeo divinae charitatis flammae omnium subdidit pectoribus, ut ulteriorem assequi noluissent ripam donec insidentes singulis criminum maculas per confessionem aboleret.

Dum Rev.mus Metropolitae modernus Archimandritam ageret Vilenensem, et Servus Dei operarium, Schismatici scientes principaliorum esse in illis initiis Unionis partem Servum Dei Josaphat, omnibus modis in suam nitabantur petrahare nassam. In specie autem quadam vice, solo Servo Dei invento, Schismatici apostasim absolute persuadere conabantur etiam minis mortis superadditis. Ille vero petiit ab illis dari sibi tempus nocturnum ad cogitandum quid respondere deberet. In crastinum, summo mane, mittit illis schedulam propria scriptam manu, nil amplius addens, quam illa Davidis verba: « Non intrabis in consilium impiorum Dominus Deus mihi dicit ». Haec ex relatione Ill.mi Metropolitae.

Retulit etiam Rev.mus Haliciensis se a Proconsule Vilenensi Catholico, spectabili Domino Ignatio Dubovicio audivisse, quod quodam tempore feria sexta in Parasceves pro solita devotione ecclesiam SS.mae Trinitatis Vilnae ingressurus D. Proconsul, copiam rusticorum invenit in Caemeterio inter se conferentium, quod Superior monasterii illius (Servus Dei Josaphat) ligna ab illis emerit, et pecuniam restituere nolit prius quam omnes confitentur. Divisi itaque inter se, quidam eorum lignis relictis abibant, quidam vero: « debita, inquietes, contraximus, absque hac pro ligno pecunia solvendo non erimus », confessionem meditabantur. Uniti tandem inter se evocant Servum Dei, confitentur, pecuniam accipiunt, discedunt. Februarii tertia anni currentis, dum in negotiis Ecclesiae Ruthenae Varsaviae ab Ill.mo Metropolitae idem Rev.mus Haliciensis apud Ser.mam Reginalem Maiestatem audientiam haberet, eandem tanta invenit erga Servum Dei ferri reverentia, ut in praesentia peteret reliquias Servi Dei sibi submitti auro a se includendas.

Eodem anno 1627, in festo S. Joannis Baptistae, Ill.mus et Ex.mus Dux Alexander ab Ostrog Zaslaviensis, Palatinus Braclaviensis, confessione, et Communionem praemissa (56), collo suo per manus sacerdotis appendi curavit particulam strophili sanguine Servi Dei tincti, et cilicii eiusdem per Rev.mum Haliciensem sibi oblatam, gravi conflictatus podagrae morbo notabilem in sanitate sensit meliorationem, et beneficii gratias a vertice capitis usque ad plantam rubro se vestivit amictu, quinimo votum fecit ecclesiam Servo Dei post canonizationem erigendi, et monasterium sub nomine illius fundandi.

Item ex relatione Ill.mi Metropolitae retulit se audivisse Ill.mum Thomam Zamoyscium, Palatinum Kioviensem, anno 1627, feria secunda intra octavam Corporis Christi, in medio Zamosciensi incendio Servum Dei invocando flammam extinxisse.

Ill.mus Palatinus Smolenscensis, supra nominatus,<sup>40</sup> Servum Dei

---

<sup>40</sup> Palatinus Smolenscensis, de quo agitur, erat Alexander Korwin Gasiewski, ab anno 1625 (cfr. pag. 148 nota 36).

Josaphat in particularem suum, et totius exercitus Patronum accepit per speciales literas ad Ill.mum Metropolitam datas. Idemque a Rev.mo Haliciensi acceptas Servi Dei reliquias collo suo appendit, dicens se cum sanguine Servi Dei ad castra procedere, adiecitque, quod votum visitandi Servi Dei sepulcrum conceperit, dum in medio consisteret hostium Suecorum, et ab illis circumdatus iam iam sibi periculum imminere praesentiret, invocato vero Servo Dei extemplo hostes fugaret.

Ill.ris et Generosus D. Georgius Meleszko, Terrae Slonimensis Vexillifer, retulit eidem Rev.mo Haliciensi, quod partem strophilioli sanguine Servi Dei Josaphat tincti a Rev.do Patre Paulo Owłoczyński Ordinis S. Basilii oblatum sibi collo suo appensam gestat, eademque Reliquia tria miracula fecisse bona fide testatus est.

Primum. Neptem ex sorore suam gravissimum oculorum dolorem passam fuisse ita, ut oculos iam, inquiebat, excisuros arbitrabamur; accepta dicta reliquia oculos aegrotantis abstergit, sanitati eandem restituit.

Secundum. Nepotem itidem ex sorore suum infantem extreme male valuisse, et sine cibo potuque tantum pectoris angustiis, ac motu dolorem intus latentem prodidisse; superimposita pectori reliquia ad sanitatem, et plane vitam eundem revocavit.

Tertium. In se etiam dixit magnam expertum fuisse gratiam, quam tamen tunc referre noluit.

Item retulit Rev.mus Haliciensis se ex personis religiosis Servo Dei contemporaneis audivisse, quod quodam tempore a Servo Dei, Superiorem tunc Vilnae agentem, (56v) pauper quaedam rogavit eleemosynam, respondit ille se nihil habere, sed tamen primam eleemosynam, quam illi offeretur, eidem daturum. Interim venit persona quaedam ignota sibi atque eleemosyna Servo Dei data, amplius non comparet. Hic vero statim non inspecto involuto pauperi, ut promisit, reddidit; accepit illa, evoluit, aureos invenit et ad Servum Dei recurrit dicens: multum sibi esse; sed Servus Dei subiecit: « tua haec est sors, accipe, et vade ».

Addidit praeterea Ordinem S. Basilii Unitorum, cuius principalis membrum Servus Dei fuerat, tam gratum esse martyrii illius, ut anniversariam mortis ipsius diem summa pro modulo suo colat devotione; aemulis in hoc erga Servum Dei affectu Catholicis utriusque ritus, et sexus tam saecularibus, quam spiritualibus. Et in particulari anno proxime elapso, novembris 12, id est die obitus Servi Dei, admodum Rev.dus Pater Simon Blonensis, Rector Novitiatus Soc. Jesu Vilmensis, ad Rev.mum Haliciensem Vilnae agentem in monasterio SS.mae Trinitatis venit, aliquid ex reliquiis Servi Dei pro novitiatus ecclesia petens, et omnium novitiorum suorum nomine pro patrono loci illius Servum Dei sumens, sed et nomine Monialium S. Benedicti Vilmensis monasterii, rogatus ab ipsa Venerabili Abbatissa Marianna Kuczkowskâ, totoque illarum monasterio reliquias Servi Dei petiit, eundemque in Patronum ab illis assumptum significavit.

Idem Rev.mus retulit se audivisse a R. Patre Alexandro Skol-



dycki, monasterii Minscensis Ordinis S. Basilii Igumeno (qui ante sex annos, medio circiter anno captivus in catenis ferreis, et compe-  
dibus a Schismaticis Kozacis tenebatur in oppido, eorundem sede, Terechtimirovia dicto neque prius dimissus fuerat, quam Ser.mi  
minis territi Kozaci fuerant), quod R. Pater piae me. Valentinus Fa-  
bricius Soc. Jesu, Regius Concionator Varsaviae, dum in principiis  
Unionis ageret Vilnae de concione Servi Dei solitus fuerit dicere: apo-  
stolicam concionem. Haec enim methodus in concionando Servo Dei  
fuerat, inquit Pater Alexander, ut semper in duas concionem distin-  
gueret partes. Prima fuerat explicatio Evangelii ad literam, 2-a medi-  
tatio supra literam.

Item dixit se ex ore Ill.mi Metropolitanæ audivisse, quod ille dum  
esset monachus adhuc simplex in divino Servi Dei complacens intel-  
lectu eidem Dialecticam lingua sclavonica legit Servumque Dei ita  
profecisse, ut multos etiam veteranos in lingua latina exaequaret  
quoad discursus. (57)

Item dixit se a R.do Patre Meletio Kopystynski, Ordinis S. Basilii,  
audivisse, quod Servus Dei insignem exercuit quadam vice castita-  
tis actum Vilnae. Foemina quaedam, impudico erga Servum Dei lata  
affectu, morbum simulat, in lecto decumbit, Servum Dei ad confessio-  
nem vocat, praesente eodem se confiteri non posse submissa voce di-  
cit, omnes egredi iubet, atque ita soli Servo Dei infoelicem morbi  
detegit causam. Servum Dei mediis videns miseram animam flam-  
mis uri, solitae suae mortificationis extinxit aquis ardorem illum in-  
fernalem, protinusque egressus prima fere causa extitit, ut constitu-  
tio pro monachis unitis sanciretur de non excipienda ab ullo sacer-  
dotum confessione, absque praesentia socii.

Item se certissima relatione cognovisse, Servum Dei in Schismati-  
cis revocandis hac arte usum fuisse, ut subtiliter curaret patrem vel  
matrem familias tantummodo ad Sanctam pertrahere Unionem; illa  
vero lucrata, alias quae in domo fuerant lucrabatur, illam instruendo,  
ad bonam aedificationem monendo, consilia spiritualia dando, mo-  
dos procedendi suggerendo, donec tandem modicum fermentum totam  
massam, unicus omnes sancta correptione corrumperet. Hinc fac-  
tum est ut Schismatici sub excommunicatione prohiberent conversari  
suos cum pio illo animarum praedone.

Item Servum Dei in maximis difficultatibus, et aliorum querelis  
nunquam turbatum fuisse, sed tantum manuum plausu imperterritum  
animum demonstrare solitum, et « nil est, Domine » ingeminasse.

(70 testis)

His dictis, et, ut praefertur firmatis, Admodum R. D. Archidia-  
conus Albae Russiae <sup>41</sup> fide sacerdotali testatus est Servum Dei Josa-  
phat sibi notissimum in vita fuisse, et se semper de illo, ut communis  
praesefert fama, optime sensisse, zelum magnum in illo notasse, et

<sup>41</sup> Nicolaus Dyrmont Sinicki, cfr. pag. 80).



cum S. R. E. Unionem. Nunc etiam non modo in eadem persistere opinione, et pro martyre illum reputare, quippe cum optime credat, et sciat mortem ab illo perlatam in fide catholica, et pro Primatu Sedis Apostolicae occubuisse. Insuper scio, inquit, illum virum fuisse apostolicum, et apostolico more salutem hominum curasse, pastorem bonum non mercennarium fuisse. Conversionis hominum, Haereticorum et Schismaticorum, studuisse, pacem et concordiam inter homines conciliasse.

Item se ex ore Ill.mi Episcopi Vilmensis audivisse, illum ter per intercessionem Servi Dei convaluisse, et supradictam conversionem Ill.mae Palatinae Brestensis meritis eiusdem Martyris adscripsisse, addidisseque quod multi concurrebant ad dictam conversionem, Virum Dei (57v) Josaphat caput fuisse.

Item appellans omnes Nobiles, et cives, totumque Clerum spirituale, idem unanimiter dicentem, dixit quod ipsum Ill.mum Dominum piae me. Michaellem Ducem a Druzko Sokoliński, Palatinum Polocensem, a corruptissimis moribus, et haeresi Calvinistica per Servum Dei conversum fuisse, quique in eadem ecclesia cathedrali S. Sophiae sepultus est, et ab eodem altare S. Crucis sepulchro Servi Dei contiguum erectum.

Denique cum post mortem Servi Dei audisset R. D. Archidiaconus corpus illius Vitepsco Polociam translatum fuisse, in fraenesim actos dixit publice Vitepscenses qui talem, tantumque thesaurum sibi auferri passi fuerint. Confessus etiam publice est, se gravem habuisse tentationem, an deberet dicere: « Sancte Josaphat ora pro nobis », sed postquam primum corpus Servi Dei integerrimum vidit, continuo sibi in mente versari dicta illa verba: « Sancte Josaphat ora pro nobis ».

(71 testis)

Hoc testimonio expedito Adm. R. P. Igumenus Monasterii Polocensis Ordinis S. Basilii, tanquam Servi Dei contemporaneus, et qui a confessionibus in Polocensi iam Episcopatu agenti fuerat, fide sacerdotali omnia quaecumque dicebantur de Servo Dei longe verissima esse comprobavit.

Omittens vero plurima ex illis, quae iam dicta sunt, dixit se cognovisse Servum Dei sub anno 1599. Ego, inquit, annum circiter 17-um tunc agebam, ipse vero vigesimum vocabaturque in saeculo Joannes Kuncevicus et fuit a servitiis cuiusdam mercatoris, civis Vilmensis et Consulis, nomine Hyacinthi Popovicii. Tunc saepissime illum videram in ecclesia SS.mae Trinitatis Unitorum, quam ille pro devotione, die profesto aliquoties, festo vero continuo visitabat. Et quia eo tempore consuetudo adhuc fuerat, ut ipsi cives in choro canerent, Servum Dei propter vocem eximiam et in cantu peritiam caput illorum fuerat.

Hanc etiam virtutem in illo notavit dictus Pater, quod homines leves, otiosos, et maxime licentiosos adhuc juvenis abominaretur, et nunquam cum illis conversaretur, sed cum devotis, doctis, et virtuosissimis libentissime conferebat. Testis huius rei esse poterit Ill.ris et ad-

modum Rev.dus D. Petrus Arcudius, Ill.mi et Rev.mi Domini Cardinalis Burghesii Theologus, qui tunc Vilnae manserat. Schismaticorum ecclesiam nunquam, quod sciam, adiit. Licet enim Schismatici a supradicta SS.mae Trinitatis ecclesia (58) illo tempore quo Unio in illis partibus incipiebat omnes fere seduxerint, ita ut die festo vix viginti personae utriusque sexus in illa ecclesia numerarentur, et ex Clero unus tantum aderat monachus, Archimandrita nuncupatus, e contra vero ad ecclesiam Schismaticorum tam magna confluebat multitudo, ut eos capere non poterat, Servus Dei Josaphat, a Deo edoctus, ex ecclesia non discedebat, sed ipse in ea erat cantor, lector, quin et campanas non infrequenter pulsabat, quae omnia libenter praestabat gratis, et cum dispendio suarum occupationem.

Item dum esset in servitiis Mercatoris, non solum domi, sed etiam in officinis sacrorum intentus fuerat lectioni librorum, neque ad emendas merces quenuquam invitaret transeuntem, quod in more est mercatorum.

Tandem Servi Dei pietas eousque processit, ut anno 1604, viginti annos natus et aliquot, monasticam vitam sub regula S.ti Basilii in ritu Graeco catholico in dicta SS.mae Trinitatis ecclesia Vilnae, per manus bo.me. Hypatii Metropolitae amplexus fuerit, ubi assidua meditatione, et sacrorum librorum lectione, solam sclavonicam, et polonicam linguam sciens, adeo profecit, ut eximius evaserit praedicator, et, ne repetam dicta in prioribus Actionibus de Servo Dei, et ab ipsis Rev.mis Commissariis (omnia enim verissima sunt quae in hac materia dicta sunt), ab omnibus eximius theologus dicebatur. Hinc factum est, ut assumpto Josepho ex Archimandritia Vilnensi ad totius Russiae Metropolim, Josaphat in Josephi successit locum. Et quia tunc monasterium in initio reformationis fuerat, et in eo non aderant nisi monachi iuvenes et inexperti, qui litteris operam dabant, Servus Dei simul et semel Superioris, et Vicarii, Concionatoris et Confessarii, Oeconomi et Dispensatoris munus obibat, maxima omnium satisfactione. Plurimos a Schismate et haeresi ad fidem catholicam convertit, unde eorum pater appellabatur. In laboribus ideo indefessus erat, ut humanas vires superare videretur, de quibus fusius in libello de vita Servi Dei S. Congregationi de Propaganda Fide per Ill.mum Metropolitam oblato,<sup>42</sup> et quae omnia verissima sunt.

Item asseruit, quod cum ante apud Ruthenos communiter absolutio confessionalis more Graeco absolveretur, et non forma Concilii Florentini utebantur, Servus Dei ex antiquissimis libris sclavonicis eruit dictam formam, et statim curavit imprimi prout etiam impressa est, et cum S. R. E. forma omnino convenit. (58v)

Invenerat Servus Dei monasterium SS.mae Trinitatis inordinatissimum, neque dissimilem monasterio ecclesiam; illic nulla fuerant aedificia, hic nulli apparatus; iunctis itaque cum Metropolita moderno viribus, eleemosynas hinc te inde corradens, ecclesiam in non visum restituit

<sup>42</sup> Videtur agitur de s.d. « relatione », de qua sub Nr. 3 (pag. 8), et in nota 12 (pag. 8).

decorem, et monasterii optima fundamenta iecit extruendi. Libertatem monachorum unitorum vindicavit, et omnino iurisdictioni saecularium exemit, qui ita se rebus ecclesiasticis immiscebant, ut quam illi casulam sacerdoti darent, in illa sacrum Missae sacrificium absolvere debuerit monachus, quod Dei gratia iam omnino sublatum est.

Sed ut ordine res recenseantur, eo tempore, quo Servus Dei primum Vilnam venerat Archimandrita Vilnensis fuerat monachus quidam, nomine Matthaeus,<sup>43</sup> occultus haereticus Calvinista, qui etiam postmodum minister Calvinistarum factus, mortuus est Sluciae. Huius Archimandritae tempore, id est ante renovatam adhuc Unionem, Servus Dei bona fide Monasterium SS. mae Trinitatis conveniebat semper, nullum tamen detrimentum in fide omnino passus, peculiari divina gratia praeservatus.

Huic Matthaeo successit Gelasius,<sup>44</sup> item Archimandrita, bonus alias Unitus, et in lingua sclavonica librisque peritus, sed pessimae vitae; solus ut suus antecessor mansit, de animarum salute tantum curans, quantum de propria; quo factum est, ut cum Servo Dei nunquam aliquid spirituale contulerit, vel conferre potuerit. Intus tamen vocante Domino, a bo. me. Metropolita Hypatio ad Religionem admitti petit, imo ut verius dicam, ut fundamenta renovationis Religiosorum unitorum per se iacere permittat, obsecrat, demumque habitum ex eiusdem Pastoris manibus suscepit religiosum, et nomen Josaphat accipit. Et quoniam illo tempore novitii monachi professionem ad libitum Pastorum faciebant, Servus Dei brevissimo post ingressum tempore professionem emisit, et in Diaconum consecratus est.

Ingressus in Religionem Josaphat ecclesiam SS. mae Trinitatis in cellam sibi delegit; in quadam Capella, Sancti Lucae dicta, tempore liberiori vel legebat, vel sacra meditabatur. Lectisterniis vilissimis utebatur, stragulo tantum, et culcitra contentus, idque pro forma tantum. In nuda enim terra saepius cubabat, nunquam indusio usque ad mortem ab ingressu usus, sed solo cilicio. Cingulis ferreis innocens stringebat corpus.

Visus fuerat interdum in media hyeme nudis pedibus in solo cilicio lapidi cuidam versus altare ecclesiae SS. mae Trinitatis insistere divinaeque meditari. Et credo illum saepius id fecisse. Scio enim dolorem pedum ab illo contractum, et dicebatur carnem de pedibus cecidisse, quo tempore tantum officium Matutinum non adiit. Quare cives illo in ecclesia non comparente vehementer mirabantur, et magnum quid in causa debere esse putantes ex professo ad monasterium venerunt Servum Dei visitaturi.

Disciplinas gravissimas diu noctuque saepissime faciebat, ita ut plebrique notarint pavementum cellae ipsius sanguine conspersum fuisse.

Quinque post ingressum in Religionem annis non alio potu, quam aqua utebatur. Sed hac abstinentia gravissimum contraxit stomachi morbum, quare Superiores illius, communicato cum medicis consilio, sub obedientia ad cerevisiam hibendam induxerunt.

<sup>43</sup> Matthaeus, Archimandrita Vilnensis, videtur inter annum 1590-1596.

<sup>44</sup> Gelasius Rusowskyj, Archimandrita Vilnensis inter an. 1597-1603, quo anno munere suo resignavit (cfr. p. 9 nota 14).



Gelasio Archimandrita demortuo, successit alter, Samuel Siencyło<sup>45</sup> nomine, nonnisi in libris slavonicis peritus. Hunc Servus Dei induxit ad quaerendum aliquem sacerdotem religiosum Unitum pro socio sibi, qui a Servo Dei persuasus ex monasterio Uitorum Suprasliensi evocavit quemdam monachum, nomine Patrem Simonem, hominem idiotam, in nullo suo Archimandritae dissimilem. Nactus hunc socium Servus Dei passim homines cathechisabat, et ad confessionem coram dicto Patre expediendam inducebat.

Quo tempore accidit illud, quod supra relatam est de multis per Servum Dei, adhuc Diaconum, ad monasterium pro confessione adductis.

Huius Archimandritae Samuelis tempore ingressus est Religionem modernus Ill.mus Metropolita Josephus. Quare Servus Dei iam theologum nactus socium, eumque vitae piissimae, maiores in cura animarum sumpsit vires. Ille vicissim divinum in Josaphat advertens ingenium et ad magna natum esse praevidens, Logicam lingua slavonica eidem praelegit, cum maximo fructu, ut superius dictum est.

Magnis in Servo Dei visis Metropolita Hypatius talentis, in sacerdotem, renitentem licet, consecrat. Ordinibus itaque susceptis totum se animarum tradidit saluti. Cum quibuscumque alloquebatur, confessionem persuadebat singulis, rarissimusque fuerat, qui non confessus ab illo discesserat. De domo in domum, de xenodochio in xenodochium sese conferebat, et ad confessiones inducebat, pauperibus pro confessione apud se expedita solvebat; solus plane tunc confessarius fuerat religiosarum et saecularium personarum. Plures enim pietate illius alliciebantur, quam doctrina. (59v) Conciones frequentes, easque doctissimas cum magna aedificatione aequae ac admiratione habebat. Hoc enim mirabile dictum est, quod nil latine sciens, et continuis vacans circa animarum salutem curis, quandocumque necessum fuerat concionari cum laude poterat. Saepius audivi dicentes cives de Servo Dei, quod de Christo Domino dictum est: « unde illi haec sapientia? »

Denique zelantissime animarum promovens salutem, quoscumque poterat ad Religionem inducebat. Pios hos conatus non aspernatus Dominus ita multiplicavit religiosas personas unitas, ut brevi tempore sexaginta circiter Religiosos ibidem viderit.

Videntes Schismatici per illum multas animas ad Deum conversas, multos iuvenes ex civibus et Nobilibus ad Religionem tractos, loco Josaphat vocarunt illum « Duszochwat », id est animarum praedo. Cuius nominis occasione duo notabilia contigerunt. Primo: Pinxerunt Schismatici imaginem extremi iudicii, et in vestibulo synagogae suae collocarunt, quam nostris ipsis oculis vidimus, ubi inter daemones tres pinxerunt habitu diabolico personas: Rev.mos bo.me., et modernum Metropolitas, et tertium Servum Dei, quorum singuli suis peracutis uncis animas ad infernum trahebant, addita superscriptione

<sup>45</sup> Samuel Siencyło, Archimandrita Vilmensis inter annum 1604-1609. Depositus a Metropolita H. Potij ob defectionem ad Schisma.



illa: « Duszochwat ». 2-o: Obvius Servo Dei quidam pseudomonachus Schismaticus commune illi nomen « Duszochwat » indidit; « faxit, inquit Servus Dei, Dominus Deus ut omnes animas vestras rapiam, et in caelum deducam », cui Schismaticus: « Strangulaberis ».

Amoto certis de causis dicto Archimandrita Samuele, tanquam in Schismate suspecto, in eius locum Rev.mus Josephus Metropolita modernus suffectus fuit. Quo tempore maximas a Schismaticis persecutiones, et quidem pluribus vicibus monachi uniti passi sunt, cum suis capitibus Josepho, et Josaphat. In particulari autem, exorto quadam vice tumultu Schismaticorum, de quo supra, receperunt Schismatici omnes ecclesias ritus Graeci, iamque ad monasterium SS.mae Trinitatis occupandum venerunt, ubi duo supradicti capitales Schismaticorum inimici manibus sibi datis morti sese pro Sancta Unione devoverunt, nisi Dominus Deus in aliud eandem differret tempus. Postquam itaque viderunt Schismaticos solo verbo pepulerunt.

Sed de hoc uberior informatio danda. Dictum est supra in prima Actione hunc tumultum exortum et sopitum fuisse in festo Quadraginta Martyrum, taliter autem processum est. Impetum faciunt Schismatici pseudomonachi cum magna eiusdem farinae (60) manu, monasterium dictum occupaturi. Ill.mus Metropolita modernus cum Servo Dei et nobis, qui tum paucissimi eramus, in occursum, sacro Missae sacrificio die illa nona Martii absoluto, ex ecclesia prodiit, et cum Servo Dei dixit: « abscedite hinc ». Quo audito hostes omnes ad unum profugerunt, et monasterium liberum reliquerunt. Ab hoc die, in gratiarum actionem, dies ille solemnis est Ordini S. Basilii Unitorum. Quod dum diceret Rev.dus Pater Igumenus, Rev.mus Methonensis magnae Dei providentiae adscripsit, quod ad hunc ipsum actum Inquisitionis discessuri Rev.mi Commissarii Vilnae determinarint festum 40 martyrum discessus diem secundum Calendarium Gregorianum, ultima vero Inquisitionis praesentis intimatio, imo plane initium Inquisitionis incidit in nonam Martii, sive festum 40 martyrum secundum vetus, non facientibus nobis reflexionem, nisi post publicatam iam Inquisitionem. Haec ex occasione dicti tumultus.

Item retulit, Schismatici videntes nullis modis Servum Dei ad se pertrahere posse necem illi intentant Vilnae. Unde invitato Servo Dei ad se in domum propriam quidam ex illis diu Schisma illi persuadere nitebantur, nec quicquam proficientes, me qui tunc socius ipsius fueram levi invento praetextu ex hypocausto expediunt, expeditoque eundem soffocaturi aggrediuntur, sed tamen ab hoc scelere pulchris modis Servus Dei deterruit eosdem.

Misericordia in pauperes corpore ferebatur summa, sed non minori in pauperes spiritu, dando illis consilia quoad conscientiam, disidentes coniungendo, debiles confortando, vitia eradicando, pro illis Deo Opt. Max. supplicando, et varias mortificationes adhibendo.

Fui comes in itinere Servi Dei dum ad quendam descendit haereticum Nobilem, nomine Podbipięta. Hic canibus illum domo expulit, rediit Servus Dei ad currum nil nisi supra haereticam pravitatem dolens. Assumpto Rev.mo Josepho ad totius Russiae Metro-

lim Servus Dei Josaphat in Superiorem monasterii illius creatus est. Hoc tempore non imminutus Servi Dei labor honore, sed auctus, cum plura, ut supra dictum est, officia eundem manserunt. Eleemosynas licet in summa paupertate largas effundebat, paupertatem tamen summpere in omnibus sequebatur. (60v)

Sub tempus Superioratus illius, dispensator quidam monasterii, Religiosus nomine Onophryus liberius in suo servitio procedebat. Servus Dei graviter illo correpto, tanquam paupertatis religiosae immemorem, parum abfuit, quin non modo ab officio, sed etiam a Religione arceret, nisi ab aliis dissuasum fuisset.

Cum illo numero sexagenario, ut dictum est, fratres essent in monasterio, Servus Dei ex eleemosynis commodissime alebat omnes. Interrogatus vero subinde, unde pro victu et amictu haberet, respondit: «nescio, Dominus Deus dabit». Hac occasione plura de Dei providentia circa illum, et eiusdem magna fide in bonitate divina dictum est, quomodo eleemosynae insperatae submittebantur, quarum tamen in pauperes erogabat semper partem.

Humilitatis tot exhibuit pene actus, quot momenta, minima quaeque in monasterio officia et vilissima primus ipse exercens, ut suis Novitiis optimum in omnibus esset speculum, exemplarque virtutum. Ab ingressu in Religionem usque ad mortem nunquam, etiam dum esset Archiepiscopus, comedit carnes. Dum vero esset Religiosus raro etiam pisces, leguminibus ut plurimum contentus. Tali tantaque pollebat memoria, ut cuiuslibet diei per annum teneret Sanctus epistolam de illis et evangelium. Cumque Schismatici Catholicis hoc de Servo Dei referentibus non crederent, ex professo veniebant tentantes illum et confusi recedebant.

Quae supra dicta sunt de confessionibus a Servo Dei domi et in itinere exceptis vera esse affirmavit, tanquam saepius Servi Dei comes. In particulari autem dixit se cum Servo Dei ad quoddam supervenisse flumen, ubi videns difficilem esse traiectionem ad viciniorem sese contulit pagum, neque prius a confessionibus destitit rusticorum, quam commoda traiectionis praepararetur, integro post die absoluto.

Complens vero hoc suum, tanquam confessarius Servi Dei, de illo testimonium asseruit sub sacramento sacerdotii tanquam conscientiae illius optime gnarus: Sanctum Antistitem prout id unice tota vita desiderasse, ita Deo in bonis replente desiderium ipsius pro Ecclesia Catholica, et primatu Sanctae Sedis Apostolicae sanguinem fudisse, et vitam ipsam pro Deo, ovibus, et fide catholica ac obedientia Romani Pontificis posuisse. Commune scilicet in ore habens: Schisma sibi cane et angue prius exosum esse, illorum synagogas plusquam potest dici invisas. (61)

Item articulos fidei non solum in civitatibus, sed etiam in tota sua Dioecesi publice, et privatim omnes docuit, ignarosque erudit, ut bonus magister, et fidelis servus, ac catholicus, et christianus praeceptor; hinc factum est, ut Polociae ordinarius ipse per se ageret concionatorem, hinc ut in pagis ordinarius cathechistam.



Item quod Martyr fide catholica claruit, ita ut omnia a Deo impetrare non dubitaret, quam fidem catholicam a puero usque ad extremum spiritum summa cum constantia publice et privatim, spreitis hostium minis et insidiis, tutatus est. Propterea Schismaticorum errores, pravitatesque ac Haereticorum blasphemias non solum impugnare, sed etiam expugnare quantum poterat nitebatur. Ad convincendos illos libros varios coëmebat, et inter eosdem distribuebat, fideles in vera et orthodoxa fide confirmabat. Neque vero frustratus est piae huius intentionis fine. Tot enim per illum sunt conversi ad fidem catholicam, quot modo sunt Uniti Polociae. Tota vero fere, Dei gratia, est unita. Cumque posset de se dicere: « Non sum missus nisi ad oves quae perierant in ritu Graeco », ut alter tamen Petrus Apostolus, aut verius ut verus discipulus Petri omne genus bestiarum esurienti salutem hominum animae suae obiectum esse arbitrans ad haereticos Anabaptistas, Calvinistas, Lutheranos convertendos maximum adiecit animum, ut testes fuerunt, et sunt Illmus Palatinus Polocensis, de quo supra, Spectabilis D. Lucas Proconsul, Georgius Gutken Chirurgus, Generosus D. Bachański, Latecki, plurimique alii in haeresi notissimi.

Tanta spe praeditus fuit, ut maximos labores, et iniurias sustinuerat ad coelestem patriam, et aeternam requiem pervenire cupiens; propterea vigiliis assiduis, ieiuniis, orationibus, corporis macerationibus, et omnium virtutum generibus se tradidit et tandem pro Deo, et pro fide catholica, pro spe vitae aeternae sponte gladiis inimicorum corpus suum obiecit. Sed et hoc spei Servi Dei speciale est argumentum, quod licet exiguos admodum optime nosset Archiepiscopus census, talem tamen ecclesiae cathedralis machinam, plurium millium sumptu erectam, in insignem pulchritudinis formam erexit. Jura cum potentissimis bonorum ecclesiasticorum tenentariis prosecutus est. Itinera longissima perfecit. Musicos excellentissimos aluit, nunquam sollicitus de crastino, sed illud solitum dicens: « Dabit Deus ».

Summo amore Deum Opt. Max. prosequabatur, cuius gloriam summo in honore (61v) habuit, et in omnium hominum animis inserendam esse exoptavit, continuis meditationibus, quae mentem in Deum elevant, incumbibat. Hinc videre fuit dum in propria cella ante Crucifixum, et B.mae Virginis imaginem, quas semper secum habebat, consisteret, elevatis in caelum manibus et oculis, vel ad dictas figuras directis, irretorto penitusque abstracto in dulci illo obiecto haesisse Servum Dei vultu. Hinc sacri Missae sacrificii frequens usus cum magna animi voluptate. Quadam vice rediens ab altari in colloquio mecum spirituali dixit (paulo ante obitum), sibi hanc considerationem tempore consecrationis venisse: quam dulce et suave Deum panis speciebus velatum intui, sed quam terribile eundem revelata facie ad faciem in futuro contemplari.

Tali tantoque erga proximos ferebatur amore, ut omnes benigne tractavit, etiam minimos in domesticis suis, pro omnium salute Deo Missae sacrificium, preces, et omnes suos labores, vigiliisque obtulit,

deprecatusque Christum Salvatorem, ut omnes salvi fierent. Hinc inimicos amore extraordinario prosequabatur, ut notabiliter appareret illos a se plus amatos quam amicos. Dicebant subinde aliqui: « si volumus intime conversari cum Archiepiscopo, et ipsius sermone recreari faciamus aliquid, ut putet nos sibi esse inimicos ».

Item asseruit, quod cum Martyr humilitatem omnium virtutum esse basim cognovisset in omnibus suis actionibus eandem sequebatur, ut ab eius vestigiis nunquam diverteret, qua duce contemptibilia quaeque summo in honore habuit, et seipsum despectum esse interdum exultabat, et se omnium peccatorum maximum existimaret. Hinc non tantum cum esset Religiosus simplex vilissima in Superioratu etiam vilissimo vestitu utebatur, sed dum etiam esset Archiepiscopus ita villiter incedebat, ut a simplici monacho non facile dignosceretur, et aperte videretur quaerere contemptum. Quodam tempore cum Ill.mo Metropolita moderno fuerat Varsaviae in Dieta generali, suae Ecclesiae negotia promovens Servus Dei, et solito suo monastico habitu in suo statu contemni videbatur, Ill.mus Metropolita optima intentione, nesciente Servo Dei, iussit R. P. Genadium sericeas pro illo parare vestes, ad comparandum honestius coram Ser.mo Rege; rescit ille, et illum ne faciat monet, alias suo usui sericum illud non futurum, et pecuniam gratis expendendam, quae, inquit, pro ecclesiae aedificatione (62) maxime mihi necessaria est.

Item asseruit, quod quia paupertas homines Christi fratres efficit, Servus Dei illam summo studio sequebatur, quocumque vocantem secutus est in statu etiam archiepiscopali. Propterea omnia sua bona tum pauperibus, tum ecclesiis aedificandis distribuit. Dum ecclesia cathedralis S. Sophiae repararetur, adiit Servus Dei eandem inspecturus atque cum imagines pulveribus infectas videret, monuit R.P. Genadium, ut suum Oeconomum, ut illas teget. Illo vero respondente, nihil se ad tegendum habere, subiecit Servus Dei: « accipe pallium meum archiepiscopale, et tege ». Saepius etiam dicebat, se talem statum optare, ut nunquam de alio cogitaret, quam de officio suo archiepiscopali, omni exclusa cura saeculari.

Item asseruit, quod sese in omnibus quam maxime obedientem exhibuit. Primo quidem Deo, Romano deinde Pontifici, ac omnibus suis Superioribus, eaque virtute duce factus est obediens usque ad mortem. Ex pura obedientia suscepit ordinem sacerdotii, et Archiepiscopatus. Ex eadem a potione aquae quinquennio destitit. Eadem duce ita se resignatum dicebat ut sub tempus ingressus in Archiepiscopatum mihi in colloquio spirituali dixerit: « si nunc, inquit, literae Ill.mi Metropolitanae supervenissent de redeundo, et Archiepiscopatu abnegando, non visa Polocia redirem Vilnam ».

Item asseruit, quod dictus Servus Dei virtutem religionis quam maxime amabat, propterea mira in Deum, et omnes Sanctos, praecipue autem in sanctissimam Dei Genitricem ferebatur pietate, ad quam complectendam omnes Christi fideles hortabatur: Hinc festorum observatio exactissima, supplicationes diebus festis solemnioribus, conciones in honorem Sanctorum frequentissimae.



Item asseruit, quod ab omnibus tum in vita, tum in morte, tum post mortem ut maximus Dei Servus, Martyr sanctus est habitus, et reputatus prout habetur, et reputatur.

Hinc ad eius sepulcrum undique confluitur, eius intercessio ab omnibus imploratur (62v), maxima beneficia per eundem conferuntur. Immo, ego ipse tale expertus sum beneficium per Servum Dei mihi exhibitum.

Anno enim 1626, Septembris 28, die veneris nocte media, gravissimo et periculosissimo paralyseos solitae vexatus morbo, ut iam ad extrema putarem me fuisse redactum, Servo Dei Josaphat me recommendavi, et ad sepulchrum ipsius me iturum vovi, intra me ipsum dicens, quod si aliquam sensero alleviationem, et me aptum invenero, pedes Martyris invisam sepulcrum, et missam in Capella, dicto sepulchro contigua, celebrabo gratiarum actoriam. Hoc emisso voto statim obdormivi, et ecce evigilans ita me convaluisse sensi ut in crastinum e monasterio pedes ad sepulchrum ierim, et sacrum Missae officium ibidem commodissime absolverim, cum ante duobus circiter annis pedes locum sepulchri non adierim, sed equo semper uti coactus fuerim.

Sed ut ad Servum Dei viventem revertatur, invenit ille Archiepiscopatum tam in spiritualibus, quam in temporalibus omnino destitutum, Clerum insigniter per regulas a se scriptas reformavit, bona ecclesiastica, monastica recuperavit, ita ut annuus illorum fructus computatis computandis iam mille circiter florenos conficiat, cum antea vix medietatem attigerit. Hoc vero omnem excellit admirationem tam exiguis proventibus tot, tantaque a Servo Dei perfecta, familia archiepiscopalis decentissima, musici excellentissimi, artifices ordinarii, ita ut quolibet die ad minimum sexaginta personas Curia archiepiscopalis aluerit; iudicia comitialia, tribunalitia, terrestria, castrensia, civilia nunquam omittebantur in negotiis Ecclesiae Polocensis cum maximis expensis, me, Oeconomo, conscio. Sola missio Varsaviam, distans Polocia quingentis miliaribus Italicis, quolibet anno a Servo Dei ad minimum per suos substitutos totam ipsius posset substantiam exhaustire. Ultra haec hospites continui, pauperes assidui, Religiosi, domestici fuere, sed et altaria serico, argentoque conspicua, sacristia apparatus insignis, argenteae cruces, (63) candelabra, pastoralia in perpetuam tanti viri memoriam relictas, et quod caput est ecclesia haec cathedralis sexdecim innixa columnis, Capellas quatuor habens, altitudinis summae, uno verbo capacissima, et ornatissima, in insignem hanc pulchritudinis formam intra tres annos erecta, et certissime sumptu duorum millium ungaricorum vix perfecta. Omnia enim per manus meas, inquit, expediebantur, licet unde acceperimus, et quid exposuerimus punctatim non notata, ita ut interdum Servus Dei Divinam providentiam ipse miraretur, et diceret se neque scire unde habuerit pro tot talibusque expensis, neque quid exposuerit.

Sed quae fuit magnanimitas S. Antistitis, videns iam ecclesiam suam cathedralem perfici ad Collegiatam Vitepscensem adiecit animum, et haec fuit inter primas fere potissima causa discessus ultimi Vitepscum. Testantur hoc litterae ipsius, in quibus Vitepsco scribit ad me, ut mu-

rarium Vitepscum mitterem ad ecclesiam Collegiatam Vitepscensem, Annunciationis B.mae Virginis dictam, renovandam.

De animo ipsius in adversis quietissimo, neque minimo affectu, motuque iracundiae commoveri solito, de disciplinis frequentissimis, iisque gravissimis, catenis ferreis, ciliciis perpetuis, quae supra dicta sunt, me conscio verissima sunt. Martyrii vero ita cupidus fuit, ut videretur nil amplius velle, quam pro Deo mori. Hinc illi pene continuus de morte sermo, continua concio, literae continuae. Hinc publicae in ecclesia protestationes, quod nil velit, nisi mori, hinc periculorum contemptus, hinc consiliorum de morte fugienda fuga.

Interrogaverat me quodam tempore: «Pater Genadi, quando ditescemus», meque respondente: «Nescio Ill.me Domine», «Non ditescemus, subiecit, sed omnia nobis Dominus Deus suppeditabit».

Confessiones summa humilitate, magno animi dolore absolutebat; frequentissime confitebatur, non modo enim aliquoties in hebdomadam, vel aliquoties interdum in diem, verum etiam in eodem Sacro Pontificali ter, quater, quinquies, si fueram illi ad manum, confitebatur. (63v)

Item monasterium Polocense, cuius ego, inquit, sum Superior Servus Dei a saecularibus recuperavit. Cumque ruinae tantum ecclesiae essent in nudo et aperto campo, aedificia nulla, Servo Dei duce nunc est monasterium, et tres in illo ecclesiae insigniter praeparatae.

Canem quemdam Servus Dei habuit aspectu deformem, inimicorum Servi Dei inimicissimum; congoscere quippe videbatur Schismaticos, et sui Domini inimicos, ac proinde latratu insequabatur. Quadam vice, me praesente, tabellio, alias familiaris Servi Dei, a iudicibus et officio suo coactus, citationem Servo Dei daturus a parte adversa in Curiam venerat archiepiscopalem; dictus canis viso tabellione, cum alias Curiae, et cani notissimus fuerit tabellio, eundem coeperat allatrare. Servus Dei interrogat tabellionem, utrum non cum aliqua citatione veniret, eoque dicente quod sic, infidelitatem famuli sui redarguit, a cane prius hostilis animi redarguti. Hic canis in morte Servi Dei arcens a corpore parricidas ad idem s. corpus occisus est.

Ultima vice discedes Vitepscum Servus Dei sepulchrum sibi in pariete ecclesiae cathedralis excavari iussit; cumque aliquot ante mortem diebus illi nuntiasset, Vitepsci iam agenti, sepulchrum paratum esse, cum summo gaudio gratiarum actorias rescripsit literas. Saepius vero dicebat: etiamsi eadem hora morerer, dummodo ecclesiam cathedralem reparatam viderem; factumque est ita, ut non prius occideretur, quam ecclesia cathedralis tegulis cooperiretur, sola turri relicta imperfecta.

Infantes, et pueri ita illi adhaerebant, ut quocumque se conferret Servus Dei, sequerentur. Cumque nos arcerimus, ipse omnino arceri a se prohibebat, ad mensam alebat memor illius: sinite parvulos etc. Neque vero pueruli etiam suo defuerunt erga Servum Dei amore. Cum enim quidam Academicus Vilmensis, cognominie Malkor, unica nocte excellentissimum in laudem Viri Dei composuisset concionem, tamquam compendium mortis illius, eamque duobus circiter ab obitu mensibus

typo mandasset, factum est ut non tantum in domibus, et plateis viri, ac foeminae Servo Dei accinerent, et nunc accinant, sed etiam pueri aliqui imo balbutientes aptissime quoad verba et numeros publice concinebant.

Populus Servi Dei concionem audiendi summo tenebatur desiderio, ita ut cum quodam tempore (64) in ecclesia cathedrali Polocensi attentos volens reddere auditores diceret se breviter concionaturum, et ne taedio afficerentur rogaret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit: « Domine, se usque ad vesperum concionaberis, libenter te audiemus ».

Distribuens quodam tempore ad mensam cibum inter hospites, distribuebat etiam inter nos Religiosos. Cumque ipsi diceremus: « Nos non esse hospites, non necesse esse, ut Ill.mus Dominus tractet nos », respondit ille: « Nunquid, inquires, non sum dignus, ut vobis serviam »; qua reverentia prosequabatur Religiosos abunde demonstravit.

Sed tria mihi, inquit, de Servo Dei exciderunt, quae dum esset adhuc Religiosus simplex contigerunt. Primo. Certa relatione accepi Servum Dei quodam tempore in itinere constitutum, duos adolescentes pastores in agro invenisse, quos pro more suo ad confessionem invitabat. Uno Servum Dei audiente, alter fugiebat; ille vero fugientem longe insecutus est, usque, credo, assecutus, ostendens quo affectu salus animae quaerenda sit.

Secundum. Fui comes Servo Dei in itinere, dum transiens oppidum quoddam Lithuaniae, Oudy dictum, forte fortuna in Parochum ritus Romani loci illius incidit; hic inter alia conquerebatur de duritie Nobilis cuiusdam Haeretici cognomine Soroka, quod nullo modo post frequentissimas admonitiones ad fidem converti velit, et rogat Servum Dei ut discendat ad illum de fide catholica tractaturus. Simul itaque cum Parocho venimus ad dictum Dominum Soroka; ibi Servus Dei pro more et zelo suo omnibus modis haeresim illi dissuadebat, sed ille, saxo durior, in antiquo canitie et haereseos suae haerebat luto. Noluit tamen Dominus sedulam hanc Servi Dei curam, laboremque frustraneum esse. Duae enim filiae dicti Haeretici ex nunc fidei catholicae manus dederunt, et haeresi eiurata sunt Servo Dei confessae. Nil dicit pater haeticus, sed pium illum Praedonem itineri sese committentem de domo educit. Et ecce egressus domo visus est de omni malo egredi. Non prius enim Servus Dei currum conscendit, quam dicto Domino Soroka ascensum in caelum praepararit. Lacrymabundus enim senex haeresi valedicit, sanctae fidei catholicae manum dat, in campo confitetur. Visa hac dexteræ Excelsi mutatione Parochus: « Deus bone, inquit, ego tanto tempore laborans nihil cepi, Servus Dei una hora totum ». 64v

Tertio. Cum eodem Servo Dei conveneramus Ill.mum Metropolitam modernum Ruthae in bonis paternis agentem, et ecce nuntiatur Nobilem quemdam in vicinia, obstinatissimum Haeticum, agonizare. Servus Dei, accepta ab Ill.mo Metropolita licentia, convenit moribundum, et salutis aeternae admonet, haereseos et damnationis periculum commonstrat, quid vultis? eiurat haeresim moribundus, confitetur publice, Angelum Dei ad se missum dicit, moritur in crastinum cum summo omnium supra vitae morumque, ac fidei mutatione et stupore.

Denique fui praesens quando corpus ex aquis extractum Polo-



ciam deducebatur, solemnissimeque ibi deponeretur; unde quae supra dicta sunt in hac materia, longe verissima sunt. Hoc dato Servo Dei testimonio: « illum ut martyrem veneror, colo, et me ipsi ex corde recommendo ».

(72 testis)

His auditis, Adm. R. P. Igumenus Mohiloviensis,<sup>46</sup> Ordinis S. Basilii, iuramento sacerdotali praemisso, nolens longius longissimam, et omnibus notissimam rem protrahere, omnia quae de Servo Dei supra dicta sunt ex fama communi, et opinione, verissima esse testatus est.

Addidit praeterea Servum Dei Josaphat quadam vice Wladimiriae in Volhinia, in civitate nativitate suae, concionem ad populum habuisse, seque tunc saecularem illi interfuisse, et per illam ita conversum fuisse, ut Religionem hanc S. Basilii Unitorum ingrederetur, totamque eam civitatem, quod Servo Dei careret, vehementer doluisse.

Sanctitatem Servi Dei multis sibi innotuisse, dixit, argumentis. Ante Venerabile Servus Dei Sacramentum ter adorationes, capite terram attingendo, faciebat; horas canonicas cum aliis libentissime absoluebat; interdum S. R. E. more per versiculos; Sacrum fere quotidie celebrabat. Campanas ipse pulsabat, ultimus aliis cubitum ibat, primus surgebat; humilitatis tam fuit studiosus, ut si quando cum suo Superiore, Ill.mo Meropolita moderno, in uno curru discedendum ipsi fuerat, de nullo libentius, quam defectus suos aperiendo, discurrebat. Superiorem Monasterii Vilnensis agens si aliquem incorrigibilem invenerat ex inferioribus, ipse sibi poenas infligebat. Summe temperans, pauper, patiens, modestus, humilis, hilaris, imperterritus, irae nescius, spei et magnanimitatis maximae. Erga Religionem, Religiososque nostros augendos et promovendos tali fervebat ferebaturque affectu, ut cuilibet, inquit, nostrum non Curia, sed monasterium domus (65) Archiepiscopi videretur. Monasterii Polocensis, Mohiloviensis, Czereiensis nostrorum in Dioecesi Archiepiscopatus Polocensis ipse, ut ita dicam, refundator, quippe cum illa ex manibus saecularium vindicavit; libentissime per omnes civitates Religiosos fundaturus, si suo velle responderet posse. Qua de causa pulchrum quoddam accidit. Coacta quadam vice manu suorum Nobiles quidam bonorum monasterii Polocensis tenentarii Servum Dei conveniunt, de recuperatione dictorum bonorum querebantur. Quidam ex illis nomine Thobias Korsak occisionem illi minatur. Ad haec Servus Dei: « occiso, inquit, Josaphat, non occides Archiepiscopum; pro uno habebis decem; decollato Thobia Korsak, nondum est natus alter Thobias ».

Religiosos iuniores biblia legere prohibebat, non esse iuniorum, dicens, sed pro bibliis libros spirituales legendos dabat. In concionibus ad confessionem semper hortabatur.

Erga Sanctos Dei tali ferebatur amore, ut in cuiuslibet mensis ultima die, quae fuit Servi Dei memoria, Litanias memoriter absolveret,

<sup>46</sup> R. P. Gervasius Hostyłowskyj, Ordinis S. Basilii Magni (cfr. sub Nr. 74 in elencho testium).



confectas ex Sanctis omnibus et singulis, in Menologio, sive Martyrologio illius mensis contentis, tanquam si ex professo memoriae mandasset, etiamsi tantum ordinarie martyrologium quotidie legisset.

Schismaticos summo prosequatur odio, ita ut per somnium etiam cum illis disputaret. Quodam tempore retulit se disputasse cum Patriarchis schismaticis, damnationem illis exprobrasse, Schismate causatam. Neque vero argumenta tantum lili per somnium formata in mentem venerant, sed et personarum faciei compositionis recordabatur.

Totum se dederat animarum saluti. Quodam tempore, dum comes illi essem in itinere, descendit in tuguriolum pauperis cuiusdam aegrotantis et confessione persuasa eandem excipiebat. Ego, inquit Pater Gervasius, foetorem tugurioli illius ferre non valens, abscessi et currum praecedens in itinere aberravi, unde credo me statim hoc errore a Domino Deo punitum esse. Vilnae confessarium publicum agens, dum ad confessionem excipiendam in templum vocaretur, ipse prius confitebatur, et disciplinam faciebat, atque ita ad confessiones excipiendas procedebat.

Dum esset iam Archiepiscopus, quodam tempore in itinere, nobis comitibus, non (65v) modo ipse confessiones audiebat, sed nos etiam multis ad confessionem inductis, excipere confessiones fecit.

Dum esset quadam vice in Comitibus Varsaviae Schismatici Mohilovienses unam saltem ecclesiam sibi dari petebant, et pro Schismaticis multi ad Servum Dei suam interponebant autoritatem. « Malo, inquit ille, de capite meo mitra prius tolleretur episcopalis, quam ut blasphemiae Schismaticorum ecclesiam concedam ».

Archiepiscopum iam agens, vestitum nec in minimo mutavit religiosum. Unde cum a quibusdam ex nostra Religione Patribus de vestibus sericies sibi parandis moneretur, respondit non prius sibi sericeas paraturum vestes, quam in ecclesia plures archiepiscopales et sacerdotales ex serico videret vestitus.

Quod ad miracula attinet, magnum in se ipso expertum beneficium. Duobus annis gravissimo capitis vexatus dolore tandem 14 octobris anno 1627 Servo Dei me recommendans, partem strophiliolii sanquine illius tincti ex scriniolo cum debita reverentia protuli, eaque prolata fragrantissimum quemdam sensi odorem, quo recreatus omni dolore capitis liber, Dei gratia et meritis Servi Dei, mansi.

Cum Servus Dei occisus fuisset, nescio quo correptus spiritu, non modo in me dolorem nullum sensi, verum etiam in publicum prodiens Schismaticos quosque obvios arguebam, iustam Dei poenam illis interminabam, illis tantum stupentibus, et nihil omnino dicere audientibus; cum tamen alias in medio Schismatis positus nunquam id intentarem, tum vero etiam mori millies paratus fueram.

Ad constantiam et in Unione perseverentiam suos semper hortabatur, tum per colloquia tum per litteras. Unde protulit plures Servi Dei manuscriptas ad se litteras, plenas sententiis sacris ad magnam animi fortitudinem incitatoriis.

Denique causam mortis illius nullam aliam fuisse scio praeter defensionem fidei catholicae, et obedientiam Romani Pontificis. Scio illum semper habitum pro sancto, et martyre, ipsius auxilium a plu-

ribus invocatum. Plures vota ad sepulchrum fecisse, ex sua etiam parte ut martyrem Servum Dei honoro, illumque in praecipuum mihi Patronum sumo. (66)

(73 testis)

Hoc testimonio excepto R. P. Germanus Hostłowski, Ordinis S. Basilii, Inquisitionis praesentis Notarius apostolicus, iuramento sacerdotali affirmavit, illa omnia secundum famam communem de Servo Dei dicta verissima esse, vitamque Servi Dei sibi optime cognitam, quia adolescens adhuc a servitiis Servo Dei fuerat, plurimaque notasse, quae supra dicta sunt quoad mortificationes ipsius, disciplinas frequentissimas, et longissimas (ita ut sanguine pavimentum conspergeret, quem tamen ipse abstergebat), cingulos ferreos, catenulas etc.

Addidit praeterea Servum Dei hanc consuetudinem habuisse, ut quandocumque disciplinas facturus esset, nos in anticameram secedere iubebat. Ego cum altero iuvene, nomine Luca Mozelovitio, curiositate ductus tanquam saecularis, per foramen ianuae quid ageret observabamus. Servus Dei flagellis sese caedebat tam longo tempore, ut nos audiendo fatigati abscedere cogeremur.

Dumque in hac nostra curiositate diu perseveraremus, quodam die Dominico Sacrum celebraturus in solita se claudit camera, tanquam ad Sacrum se ipsum praeparans, et tandem, nobis per foramen solitum aspicientibus, se totum nudat, flagris usque ad sanguinem caedit, et post humi prostratus per unum circiter quadrantem orat; et ecce egressus lumen quoddam ab imaginibus Crucifixi et Dominae Virginis, illi oppositis, cameram replet, Servum Dei mira claritate, ac splendore circumdat, et illum ab oculis nostris aufert.

Nobis perterritis nil amplius reliquum fuit, nisi ut ex nunc ambo votum emitteremus ingrediendi in Religionem S. Basilii Unitorum, prout etiam emisimus. Et ego Dei gratia votum exsolvens Servo Dei promotore sum ingressus, ab eodemque aliquot post annis in sacerdotem consecratus. Socius vero meus, dictus Lucas, voti executionem differens neque monitis meis parens misere occisus est Polociae ipso festo Paschatis, quod etiam plurimi ex praesentibus affirmarunt.

Item se observasse, quod Servus Dei eousque iacere in lecto solitus fuerit, quousque putaret nos obdormivisse. Quare post horam circiter vel in nudo scamno terrave cubabat, vel orationi diuturnae vacabat, orationi succedebat disciplina, et quidem saepe per unam circiter horam cum magna sanguinis effusione. Interdum nudis pedibus, et in solo cilicio ad vestibulum templi cathedralis procedebat et quia summo amoris erga illum ferebamur affectu, sequebamur etiam a longe et observabamus vel quid (66v) ageret, vel ne quid periculi a Schismaticis morti Servi Dei inhiantibus pateretur. Ille vero totum se denudans, in intensissimis interdum hyemis frigoribus, flagris se more solito caedebat, illud subinde geminans: « Domine Deus, da unionem Ecclesiae Sanctae, et conversionem Schismaticorum ».

Unio cum Deo summa in Servo Dei cernebatur, ita ut cum alias saepe tum vero etiam ad mensam notabiliter appareret, quod cum

oculis mentem in coelum elevaret, tacitos imo ex corde ducens singultus; idem obeservavi dum solus in sua camera, ante dictas imagines Crucifixi, et B.mae Virginis consisteret, et maxime pro concione sese praeparans.

Scio Servum Dei habuisse animum ecclesias per singula praedia archiepiscopalia extruendi, iamque pro aliquibus materiam praeparari iusserat, et aliqua ex parte praeparatam reliquerat.

Magni in B.miam Virginem Servi Dei affectus aliquot dedit signa idem Pater.

C. 1. Quod cum Servus Dei esset Superior Vilnae, et videret festum B.mae Virginis Conceptionis Immaculatae simplici celebrari officio instituit ipse primum in monasterio Vilnensi ut sub duplici celebraretur. Nunc vero iam per omnia Unitorum monasteria solemnissime celebratur. Idemque in sua cathedrali ecclesia statim intervenit.

C. 2. Ecclesiam B.mae Virginis Zerovicensem miraculosissimam, in nudo alias et aperto campo sitam, monachis unitis restitui a saecularibus fecit, unitis viribus cum Ill.mo Metropolita moderno, quin et ipsos ius partonatus pretendentes Dominos ad fidem catholicam ex haeretico Schismate convertit, et uno verbo primaria causa exstitit multorum millium animarum salutis, quae Dei gratia, et B.mae Virginis beneficio in singulos dies per monasterium Zerovicense orbi Lithuanico, et Polono quoad utrumque ritum procuratur.

C. 3. Dum esset Polociae iam Archiepiscopus in ruinosa cathedrali ecclesia invenit imaginem B.mae Virginis nudae affixam columnae sine ullo honore, procedebat prius Servus Dei ante illam et ardentissime frequentius orabat. Tandem eo devotionis processit, ut illam in altri speciali collocaret, debito honore afficiendam.

Collegiatam Vitepscensem Annuntiationis B.mae Virginis ecclesiam prout et cathedralem Polocensem reaedificare iam statuerat, nisi mors immatura praevenisset. Denique in camera ipsius mensa nunquam sine imagine Crucifixi et B.mae Virginisi fuerat. Haec omnia, quae dixi, id in me efficiunt, ut Servum Dei pro martyre (67) sancto habeam, et in Patronum meum sumam.

(74 testis)

Hoc testimonio fidelissime excepto R. Pater Sebastianus Kaczyński, Ordinis S. Basilii, Notarius itidem apostolicus, iuramento sacerdotali praemisso, affirmavit communem fuisse, et esse talem ut fertur de Servo Dei opinionem.

Addidit praeterea, quod medio circiter ab obitu Servi Dei anno, et credo novem mensibus, veniens Polociam petii, ut possem videre corpus Servi Dei, cum antea non vidissem post mortem. Aperitur tumba, sanguinem e vulneribus capitis recentem profluere video. Accepto purificatorio, abstergitur sanguis. Nescio unde tactus, dico aliquem adhuc in vicinia esse Servi Dei homicidam. Et ecce reversus ad Curiam archiepiscopalem, aliquot post horis audio deprehaensum esse in quadam austeria, duabus leucis Polocia distante, fustarium illum,



qui primo ictu iuste caput Servi Dei petiit, quique eadem die captus, Polociam adductus, et capite plexus.

Et quod ad miracula attinet, asseruit quod tempore Quadragesimae anni proxime elapsi, secundum morem Religionis s. Basilii Unitorum, fuerat in missione pro excipiendis rusticorum confessionibus; hac occasione invenerat subditum quemdam monasterii Polocensis, nomine Romanum Sabathońko, extreme male valentem, ita ut neque lecto sese movere potuerit. Excepi tamen confessionem ab illo, et augustissimum Corporis Dominici Sacramentum illi ministravi, ac ut voto facto ad sepulchrum Servi Dei compareret monui. Vovet illud quod suadebat, sanatur statim, et ad sepulchrum gratias Deo et Servo Dei persolvit.

Item retulit se certa relatione accepisse, quod anno 1623, ante obitum plane Servus Dei fuerat in Congregatione quadam Generali monachorum unitorum, ubi Patres Basiliani unanimi voce ab Ill.mo Metropolitano petierunt, ut Servum Dei sibi daret Protoarchimandritam. Qui audita hac instantia, egressus est in medium et publice petiit, ut Ill.mus Metropolitano aliquem alium pro Archiepiscopatu designaret, et se ad monasterium reverti pateretur.

Item retulit penitentem suam, Generosam D. Marinam Letecka voto ad sepulchrum Servi Dei facto, et exsoluto, pedum usum omnino amissum recuperasse.

Propter haec omnia aliaque quamplurima de Servo Dei relata ego etiam ex mea parte Servum Dei pro sancto, et martyre reputo, totum tamen iudiciis S. R. E. humilissime subiicio. (67v)

(75 testis)

His dictis R. D. Albertus Brannicki, apostolicus Inquisitionis praesentis Notarius, se et dolere in praesentia et gaudere confessus est, et dolere quidem, quod Servum Dei in vita nosse sibi non fuerit concessum, gaudere vero vehementer se sortem prae ceteris potiorum adeptum esse, eo quod vitae Servi Dei, et excellentissimarum illius virtutum a Rev.mis Sedis Apostolicae Commissariis exactor sit adlectus, et extractor. Et quoniam illum pauperes amantissimum Patrem, subditi benignissimum Patronum, infideles fidelissimum, inimicissimi amicissimum, clientes advocatum fuisse depraedicant, oves pastorem, viduae et orphani hilarem datorem lachrymis prosequuntur. Imo ipsa ecclesia cathedralis Polocensis, hucusque exterius nondum perfecte turrata, coronam verticis sui in morte Servi Dei cecidisse ingemiscit. Ego etiam non Servi Dei necem, quae verissime martyrium est, sed scelestissimos parricidas, eorumque inauditum scelus cogor deplorare. Corpus Servi Dei videndo integerrimum, ita in illum nescio quo intuitu movente exarsi, ut sancte fatear me taedio affici, quod negata facultas illud continuo contemplandi. Assentior itaque vitae illius sanctitati, in propaganda religione zelo, in defendendo Primatu Apostolico obedientiae, in tuendo honore divino morti, in praestandis orbi universo miraculis. Enimvero ipse quoque, longe quam dici potest immeritus, per intercessionem Servi Dei insigne beneficium sum



consecutus. Quodam enim tempore in negotio hoc Inquisitionis gravissimum capitis sensi dolorem, sed postquam sepulchrum Martyris inviseram, et tumbam aspexeram, praesentissimum doloris medicamen sensi, optimeque valens ex ecclesia recessi, gratiis ad sepulchrum Servi Dei persolvens, eodemque in Patronum tam in vita quam in morte mihi assumpto. Denique quolibet die nomen illius commemorandum, in gratiam Patronatus, cum caeteris Patronis meis proposui, et in obsidem affectus mei erga illum hunc qualem laborem in scribendo et colligendo praesentis Acta Inquisitionis eidem Servo Dei dico, ac dedico.

(76 testis)

Rev.dus D. Abrahamus Hrenevecius, Nuntius Inquisitionis praesentis, iuramento (68) sacerdotali confirmavit talem ut praefertur opinionem de Servo Dei semper fuisse, et esse, et Servum Dei pro fide catholica, et primatu S.ti Petri interfectum, multis miraculis, de quibus supra, orbi christiano redditum esse illustrem.

Sed et in seipso insigne Servi Dei beneficium expertum esse testatus est. Anno, inquit, 1626, mense Octobri, filia mea (viduus vero est) Susanna nomine gravissimo affligebatur morbo, et irremediabili sanguinis fluxu laborabat. Cumque iam a medicis derelicta esset, me illam ad sepulchrum Servi Dei Josaphat deferri curaturum devovi, atque hoc voto emisso filiam meam pristinae restitutam sanitati recepi.

Addidit praeterea, cives Polocenses tali in Servum Dei ferri affectu, ut in vigilia anniversariae mortis illius diei, anno proxime elapso, interrogaverint, utrum vigiliae totius noctis futurae essent ad sepulchrum Servi Dei eo animo, quod praesentes devotioni nocturnae adesse vellent. His de causis plurimisque aliis, supra relatis, ipse quoque R. Dominus Servum Dei pro S. Antistite reputat, et mortem illius martyrium censet, ac in Patronum suum perpetuum eundem assumit.

(77 testis)

R. D. Martinus Trzciński, itidem praesentis Inquisitionis Nuntius, Servum Dei Josaphat pro sancto, et martyre se habere testatus est. Adiecit praeterea se in hac sua opinione confirmari per similem de Servo Dei opinionem gravissimarum personarum. Scio enim, ut supra dictum est, Ill.mum Palatinum Smolenscensem<sup>47</sup> ex voto ad sepulchrum Servi Dei cum consorte sua venisse, meque recordor ab Ill.ma D. Palatina Smolenscensi audivisse, quod tantum erga Servum Dei amorem, et devotionem habeat, ut in illius honorem, et meritorum apud Deum perennem memoriam ecclesiam promiserit aedificare.

(78 testis)

His per Rev.mos Commissarios atque alios ad praesentem spectantes Inquisitionem prolatis de Servo Dei testimoniis, Ill.ris et Generosa Domina Vexilliferi Terrae Polocensis coniux, Ill.ris et Generosi Domini Gregorii Korsak, iuramento praestito affirmavit se filiolum suum aeger-

<sup>47</sup> Agitur de Alexandro Korwin Gąsiewski, Palatino Smolenscensi ab an. 1625 eiusque uxore.

rimum domi reliquisse, et hoc Inquisitionis tempore ad sepulchrum Servi Dei eiusdem sanitatem recommendasse, nunc iam sibi significatum esse dictum puerulum convaluisse, hancque gratiam per Servum Dei sibi praestitam affirmavit. (68v)

His testimonis fidelissime exceptis, et populo iam in audiendo fatigato, nec quoquam ad contrarium aliquid dicendum comparente, Actio finita indictaque est per R. D. Martinum Trzciński Actio ultima publica crastinae diei pro sola tumbae (Servi) Dei sigillatione et quibusdam interrogatoriis, ad quae publice omnes respondere tenerentur.

ACTIO QUINTA - DIES EADEM - FERIA QUINTA.

(*Visitatio corporis Servi Dei*)<sup>48</sup>

Multis iisque gravissimis de causis a Rev.mis DD. Sedis Apostolicae Commisariis, matura super hoc deliberatione habita, corpus Servi Dei non modo secundum instructionem Sedis Apostolicae privatim aliquibus, sed publice pluribus ostendendum esse conclusum est. Praeter commune enim plurimorum gravissimorum virorum desiderium, quo Servum Dei videndi ferebantur, plurimi ex hostibus Ecclesiae Dei, veritatis cognoscendae ergo, idem ambiebant, alias solam statuum illic occultari dicturos se fatebantur, vel in pulveres omnino redactum. Ad maius ergo Servi Dei testimonium vocantur omnes te singuli fere ex Collegio Patrum Soc. Religiosi, totus Clerus Ecclesiae Polocensis utriusque ritus, totum Officium Terrestris, Castrensis, et Civile Polocensia, et coram illis corpus Servi Dei exponitur. Et quia locus sepulchri illius humidissimus fuerat, vehementer timebamus (ut postea inventum) ne si non corpus, saltem corpori adiacentia computrescerent, cum periculo corrumpendi ipsum corpus. Novam iussimus parari tumbam, adamascena intus et extra ornatam, cum toto archiepiscopali amictu.

Exempta itaque tumba ex sepulchro, quod sibi in vita Servus Dei parari iusserat, invenimus totam quantum vestitam panno rubro, detracto rubro tegebatur etiam nigro. Rursus et hoc avulso, tripartita tela nigra, et pice illita involvebatur. Atque ita in prima sepultura anno 1623 sepultum fuerat, neque hucusque a quoquam apertum. In superiori tamen tumbae parte fenestrella impendebat ipsi capiti, latitudinis unius circiter palmi, quam tectam lamina ferrea, et tela, pannoque desuper invenimus.

Aperta tumba corpus integerrimum reperimus, capillos in capite, et barba, qui non erant tempore occisionis avulsi; media enim barba plane capilli abstracti; figura hominis optime cognoscebatur, non modo vulnera, sed et livores (69) dignosci poterant. Caput, manus, pectus, pedes, uno verbo totum corpus ita fuit tractabile, ut quilibet articulus in suam flecti posset partem. Color totius corporis fuscus; cumque putavimus corpus solummodo ita comparere, revera tamen solidum non esse, strophiole pulveres faciei abstergi iussimus, et strictissime

<sup>48</sup> Extractum publici factum iuris a R. P. Georgio HOFMANN in *Ruthenica* (Orientalia Christiana, vol. III, 2, Nr. 12, pp. 221-224).

cutem ossibus adhaerere advertimus, ipsumque cranium durissimum. Sed cum ad vestitum corporis ventum est, qui totus fuerat episcopalis coloris albi, totus quantus putridus invenimus, ita ut casula, alba, tobialia in madidos pulveres fere abierint praeter stolam episcopalem, et manipularia. Invenimus etiam circum circa pulveres; in quos advertimus conversos esse flores, qui in tumbam sub tempus sepulturae illius iniecti fuerant. Caput ipsum sericeo in modum mitrae episcopalis tegebatur pileo, sed iam et ille putredine ex parte corrumpebatur. Capiti supposita duo pulvinaria, unum plumis repletum et hoc tantum computravit quoad materiam, non quoad plumas, alterum floribus rutae recentibus, et hoc totum in vermes conversum, et haec causarunt mucorem faciei in ipso corpore, qui tamen nil obfuit ipsi corpori. Ex utraque parte corporis frusta quaedam lignorum circumposita fuerunt humidorum. Ita in illo communi dolore non fuit ordo, nec modus talem thesaurum servandi ordinatus. Circum circa tumba tota nigro vestiebatur panno, qui magna ex parte computruit, quin imo ipsa lignea tumba ex humidiori confecta ligno tota putredine corrumperetur. Omnia enim circum circa humore quodam sanguineo madebant, ita ut in ipso ultimo assere sub ultimo panno, et pulvinaribus expressa fuerit humoribus totius corporis figura, ita ut optime posset dignosci altitudo, et latitudo, compago quoque membrorum, et iuncturae, imo mitra ipsa in dicto assere expressa, quod ipsum omnes unanimi voce miraculose factum esse dixerunt. Unanimi ergo omnium consensu ne totum corrumperetur corpus conclusum est loculum Servi Dei cum toto apparatu mutandum esse, prout etiam, tam magna urgente necessitate, mutatus est.

Exempto itaque corpore, et pulveribus, ac putredine circumiacentium asbterso, suppositis tobalaeis in quadam Capella supra mensam collocavimus. Cumque aliis detractis ad cilicium ventum sit, quo corpus supernudum tegebatur, tam stricte adhaerebat corpori, etiam e parte posteriori, in spallis et brachiis, ut illud nullo modo avellere potuerimus, sed tracto illo partes totius corporis trahi videbantur. Unde plurimi dixerunt: hoc esse signum, Deus voluit manifestare, quali affectu Servus Dei erga mortificationes ferebatur. (69)

Itaque supra dictam mensam corpus sedere fecimus, illo ad tractandum mollissimo, ita ut caput, manus, pedesque in quamcumque flecteremus partem elevando, et demittendo, vestivimus alba nova, et casula sericea rubri coloris, stola etiam episcopali, et manipularibus additis. Sed et mitram episcopalem ex serico rubro confectam capiti superimposuimus, supposito eidem pulvinari ex eodem serico. Atque ita vestitum in decentissimo posuimus loco. Personae gravissimae venientes caput sacrum, manus, pedesque osculabantur.

Hic duo acciderunt. Primo: Videbatur Servus Dei lachrymasse, et sudasse, cum nullus humor in corpore neque ante, neque post visus fuerat, de quo in priori Actione, ad quam haec relatio reservata fuerat propter ordinem meliorem Actionum; 2-o: Inter illam Officialium, et Religiosorum multitudinem aliqui etiam ex Schismaticis sese ingesserunt, qui viso integerrimo Servi Dei corpore, publica voce, non sine lachrymis,



peccatum suum agnoscebant, nunc se fideles unitissimos futuros dicebant, de blasphemiiis in Sanctum vehementer dolebant.

In mediis itaque lachrymis, multorum doloris, plurium vero gaudii, praecedente Clero utriusque ritus, religioso et saeculari, omnibusque Officialibus cum candelis accensis in novam, quam diximus, corpus impositum tumbam, ex dicta Capella soli Rev.mi Commissarii sacris vestiti in ambonam protulerunt, sive in locum editiorem, ante altare maius secundum ritum Graecum situm. Atque inibi positum corpus clara voce revisum est, et quid relictum clarissime intimatum, atque in Acta praesentia illatum. Illa vero fuerunt quae supra diximus.

Hac publica revisione peracta, idem Servi Dei corpus in loco sepulchri reposuimus, et laudibus Deo glorioso, qui Sanctos suos in mediis fustibus, gladiis, globis, aquis, putredine non dat videre corruptionem, persolutis, iam nocte imminente ex ecclesia processimus.

Sed et imaginem Servi Dei Josaphat revisimus. Sita illa fuerat supra pannum quendam rubrum. Circum illam itaque votiva invenimus argentea, et cerea; ante eandem, atque ipsum corpus lampadem etiam argenteam perpetuo igne ad sepulchrum Servi Dei eleemosynae piorum faciunt lucere.<sup>49</sup> Data itaque licentia est nomine S. Sedis Apostolicae ad maiorem Dei Opt. Max. gloriam, et S. R. E. exaltationem, ad pio multorum desiderio satisfaciendum votiva illa solita appendendi, et recipiendi, quo manifestius omnes videant quo Deus honore primatus S. Petri defensores Orbi conspicuos reddat universo. (70)

#### ACTIO SEXTA - DIES QUINTA.

Quae fuit Martii 24, feria sexta post Dominicam Quadragesimae 2-am.

Hac die, convocato universo civitatis populo per pulsum campanae, solitum Ill.mus Archiepiscopus Polocensis Sacrum Pontificale habuit de SS.ma Trinitate pro felici absolute Inquisitionis. Post Sacrum Adm. R. D. Archidiaconus Albae Russiae lingua polonica sermonem ad populum habuit, exprobrando Schismaticorum pravitatem, Servum Dei absolute corruptum fuisse toto corpore dicentium vel tantum statuat illius a fabre factam tumulo illatam fuisse, quid inventum propalando, et quaedam alia ad aedificationem doctissime disserebat.

*(Citatio facta publice coram populo alta voce)*

His praemissis, et Rev.mis DD. Commissariis circa ambonem, more solito, consedentibus, Spiritus Sancti suffragio invocato, R. D. Albertus Brannicki, Notarius apostolicus, intimavit clara et elata voce actum praesentis Inquisitionis Polociae hodie terminari, eandemque

<sup>49</sup> Hucusque excerptum R. P. G. HOFMANN (*l. cit.* p. 221-224).

diem feriae sextae esse ultimam, et peremptorium iudiciorum praesentium terminum, proinde omnes et singulos, si qui pro vel contra Servum Dei aliquid scirent, accedere iussit, et terna citatione citavit. Nemineque iam comparente, quaesita est ingens illa hominum multitudo utriusque sexus, ritus, et status, quid de Servo Dei communi voce sentirent, an scilicet Servus Dei Josaphat Archiepiscopus Polocensis in fide, et pro fide catholica, pro primatu S. Petri, et obedientia Summi Pontificis Romani, pro unione Ecclesiae Graecae cum S. R. E., et amore salutis animarum occisus fuerit, an pro Sancto illum tenuerint, et teneant, et de quibusdam aliis, quae ex fama communi de Servo Dei dicebantur an fuerint vera. Unanimi voce universus affirmative respondit populus. Atque ad maius huius de Servo Dei opinionis signum Ill. mus D. Archiepiscopus Polocensis cum toto suo Clero, et Episcopatu clara et elata voce, astantibus et acclamantibus suis, Servum Dei in suum, et totius Archiepiscopatus Patronum sumpsit, pro canonizatione SS. mo D. N. humillime supplicans.

Item clara et elata voce testatus est Rev. mus Haliciensis, qui tanquam Coadiutor Metropolitae Kioviensis pro tota Dioecesi Ill. mi Metropolitae (70v) in Patronum Servum Dei sumens, pro canonizatione nomine Ill. mi Metropolitae et totius Dioeceseos ipsius SS. mo D. N. humillime supplicavit. Tanquam vero Protoarchimandrita Ordinis S. Basilii Unitorum per Russiam pro toto Ordine praedictum Servum Dei in Patronum sumpsit, et nomine omnium Religiosorum Unitorum pro canonizatione humillime supplicavit.

Admodum R. P. Rector Collegii Polocensis, Societatis Jesu, pro toto Collegio Polocensi et singulis in particulari praesentibus, ac fratribus publica protestatione Servum Dei in Patronum sumens, SS. mo D. N. pro canonizatione humillime supplicavit.

Generosi, Illustres, et Spectabiles trium Congregationum, et Sodalitatum ecclesiae Patrum Soc. Jesu Polocensis Praefecti, pro suis seorsim Sodalitatibus Servum Dei in Patronum suum perpetuum sumpserunt, SS. mo D. N. pro canonizatione humillime supplicantes.

Illustres Terrae Polocensis, Genorosi Castri Polocensis, Spectabiles Civitatis eiusdem Officiales, triplex hic unica voce Magistratus, nomine totius Officii Terrestris, Castrensis, et Civilis totius Terrae, Castri, et Civitatis Polocensis Servum Dei in publicum Patronum suum petentes pro canonizatione SS. mo D. N. humillime supplicarunt.

His peractis ad sigillandum tumulum processimus.<sup>50</sup> Cumque inibi consisteremus ingens illa hominum multitudo suas supra tumulum proiciebat chartulas, suo nomine scriptas vel subscriptas, quibus Servum Dei in Patronum se sumere testabantur. Coronas, cruces, metalla, imagines, torques, anulos, monilia, margaritas contactu sacri corporis, candelas etiam ipsas, strophiola, libros consecrari petebant, et per Rev. mum D. Episcopum Methonensem petiti sui composites fiebant.

<sup>50</sup> Textus subsequens publici factus est iuris ab eodem auctore, R. P. G. Hofmann, S. J. (*l. cit.* p. 224).

Tandem satiato aliquantulum plurimorum in videndo Servi Dei desiderio, tumbam Servi Dei funiculis sericeis, duplices tumbae partes inferiorem scilicet et superiorem stringentes, oclusimus, sigilla nostra iisdem appendentes, et in sepulchro a Servo Dei in vita procurato reposuimus.

Sed et imposuimus in tumbam membranulam cum tali inscriptione linguae latinae: « Servus Dei Josaphat Chuncevicius Archiepiscopus Polocensis a Schismaticis Vitepsci interfectus anno 1623, Novembris 12. Cuius corpus praemissa Inquisitione apostolica (71) de mandato SS.mi D. N. Urbani Papae 8-i revisum est anno 1628, mensis Martii die 24, a Commissariis apostolicis, propria illorum manu subscriptis ».<sup>51</sup>

Sed et publicata est ex ambona excommunicatio nomine S. Sedis Apostolicae, et soli Summo Pontifici pro absolute reservatione super omnes et singulos cuiuscumque status et conditionis ac dignitatis, quicumque in futurum absque speciali Sedis Apostolicae facultate tumbam Servi Dei aperire auderet, vel aliquid ex illa extrahere.

Haec audientes viri gravissimi publicis testabantur lachrymis dolorem prohibitione de non aperiendo amplius tumulto causatum.

Sed et aliud gratitudinis suae, et affectus in Servum Dei dedit specimen Polocia. Dum enim ipsa die, id est in Vigilia Annuntiationis B.mae Virginis Perillustris et Rev.mus D. Episcopus Methonensis campanas insignes tres ecclesiae Polocensis Patrum Societatis consecraret, ad instantiam Adm. R. P. Rectoris, ac totius Collegii, uni illarum in memoriam Servi Dei Josaphat nomen indidit, duabus prioribus in honorem Sanctorum Stanislai Martyris, et Ignatii consecratis.

Porro autem ipsa Annuntiationis B.mae Virginis die, confirmationem pro more idem Rev.mus ministrans, multis petentibus, in memoriam eiusdem Servi Dei, nomen Josaphat imposuit.

Et ne quid huic actui deesse videretur, Judaeos etiam citari fecimus ad Curiam archiepiscopalem, testimonium de Servo Dei exquisituri.

(79 testis)

Primus itaque, Nahman nomine, testatus est Servum Dei in vita sibi notissimum fuisse, et pro sancto (in sua, inquit, religione) illum habitum fuisse, eumque talem habere locum in coelo, qualem ipsorum Patriarcha Abraham, Isaac, et Jacob. Nullam causam in Servo Dei occisionis fuisse, in summa innocentia sine ulla ullius hominis querela pro lege Dei, et quia Unitum se dicebat, occisum fuisse. Non semel, inquit, mors illius mearum multorumque ex nobis causa fuerat lachrymarum. Adiecitque: « Faxit Deus, ut ego in mea fide sim tam bonus, quam ille in sua fuerat ».

<sup>51</sup> Finis excerpti R. P. G. Hofmann, S. J (l. cit. p. 224).



(80 testis)

Israel quoque, filius Nahman, testatus est se praesentem fuisse Vitepsci, imo videntem Servi Dei necem, et cum aliis Judaeis summis prosecutum fuisse lachrymis. (71v) Immo, cum Schismaticis (inquit) exprobrassem hanc Servi Dei innocentis mortem, dicebant mihi: « si-leas, nec mortuum Archiepiscopum defleas, nam et tibi mali aliquid fiet ».

Addidit praeterea tale parricidium patratum Vitepsci, quale non modo Christianis indignum est, verum etiam Turcis, et Paganis; tam tyranice hominem iustum, Pastorem, in sua religione bonum virum, mitissimum, iucundissimum, et amoenissimum occiderunt, qualiter neque miserrimae conditionis hominem deceret occidisse.

Denique se vidisse, quando corpus Servi Dei post mortem de monte altissimo praecipitabatur, cum plurimis aliis Judaeis, et unanimiter cum illis dixisse, quod neque minimum os integrum in corpore manserit; extracto tandem ex aquis corpore, et integro reperto non potuimus non mirari.

Et sane haec infidelis hominis attestatio notabiliter auget miraculum, quod in praesenti Inquisitione corpus integerrimum invenimus, et totum quidem caesum, sed quodlibet etiam minime illaesum os, ita ut omnino crediderimus, si corpus Servi Dei primo sepulturae tempore caute poneretur non impositis floribus et lignis humidis, non modo mansurum integerrimum, sed neque etiam in colore mutationem aliquam passurum fuisse.

(81 testis)

Samuel Judaeus, surdus alias, curiositate humana ductus sub tempus sigillaturae inter alios sese immiscuit fideles ad videndum, quod integerrimum dicebatur Servi Dei corpus. Quaesitus postmodum an ex facie Servum Dei congnoiceret, respondit illum ipsum fuisse, quem in vita noverat, in perpetuum Schismaticae obstinationis ignominiam, quae temerario ausu figuram aliquam Servi Dei dicebat substitutam.

Sed ecce noluit Deus gloriosus rem hanc Inquisitionis transire sine aperto praesentiae Spiritus Sancti testimonio. Quidam enim ex Nobilibus, nomine Kazimierski, iuramento praestito testatus est se audisse ex quadam foemina, multis ibidem praesentibus, quod scilicet illa prima die Inquisitionis considentibus Rev.mis, Admodum Rev.dis Patribus, ac Dominis Sedis Apostolicae Commissariis, id est 20 Martii, circa ambonam, sub ipso primo Inquisitionis actu quoddam lumen circumsedentibus impendens cum magna de praesentia Spiritus Sancti opinione.

His Polociae absolutis, multis iisque gravissimis de causis inito Patres consilio Vitepscum ire decreverunt, expedita Polocensi de vita Servi Dei Josaphat ad laudem D. O. M. et S. Matris Ecclesiae exaltationem Inquisitione. (72)

## V I T E P S C I

## ACTIO SEPTIMA - DIES SEXTA

Quae fuit Martii 30, feria quinta, post tertiam Dominicam Quadragesimae.

Absoluta Polociae Inquisitione, prout tempus, locus, et necessitas postulabat, inito cum Patribus consilio Vitepscum (quae civitas 24 leucis distat Polocia) venimus. Ad complementum enim praesentis Commissionis placuit loca martyrii videre, et inspectores mortis examinare, hostes etiam in testimonium vocare. Secundo itaque Dei gratia itinere ultra omnem pollicitationem et opinionem, glacie passim dilatente, et traiectionem fluminum, lacumque omnino impediante Vitepscum venimus Martii 29, et per pulsum campanarum in tribus tantum ritus Graeci ecclesiis (quia per decretum Regium ab aliis ablatæ sunt in poenam parricidii, ut patet ex Commissione infra ponenda) de adventu nostro toti significavimus civitati, atque in Curia, in qua Servus Dei Josaphat occisus fuerat, constitimus. Ubi statim rem aggressi, scientes plures sponte non comparituros, utpote schismate vel haeresi infectos, auctoritate commissoriali, seu verius apostolica, citatione iuridica principales civitatis Vitepscensis ad comparendum in crastinum, et testimonium Servo Dei ferendum per R. D. Dominum Commendatarium Vitepscensem<sup>52</sup> citavimus.

Praedicta itaque die 30 Martii, hora circiter antemeridiana nona, convocata per pulsum campanae civitate in Parochiali Vitepscensi ecclesia, B.mae Virginis dicta, ad quam Servus Dei occisus fuerat, more solito circa ambonam considerentes Rev.mi Commissarii, invocato Spiritus Sancti auxilio, et praemissa de pertinentibus ad Inquisitionem exhortatiuncula Inquisitionis praesentis peremptorium terminum Vitepsci hodiernam esse diem intimari fecerunt, eoque intimato omnes hesternam die citatos nominatim citari iusserunt. Itaque secundum dictam citationem personaliter comparentes cives Vitepscenses Gregorius et Basilius Bonicii, fratres germani, Lupka, Georgius Buievicius, Gregorius Pestrec, haeretici Calvinistae, Scraba Anabaptista, Cornelius Butak, Czarnawski, Bohdan Ostapow, Carpus (72v) Choroszko, Theodorus Suchoruk Schismatici, Petrus Ivanovicus, et Nicolaus Hutor Uniti, Joannes Sutor, ritus Latini, iuramentum clara et elata voce de veritate dicenda, in forma prius per Notarium apostolicum praelecta, deposuerunt. Absoluto iuramento quidnam de Servo Dei, scirent requisiti, et in qua opinione de eodem essent, unanimi voce sanctitati Servi Dei, pietati, innocentiae, milleque aliis virtutibus longum dederunt testimonium, causam mortis fidem catholicam, et Romanae Ecclesiae unionem esse dixerunt, sibi articulos fidei catholicae a Servo Dei explicatos saepius fuisse, atque ad obedientiam Romani Pontificis tractos. Item post mortem Servum Dei ex aquis extractum integerrimo

<sup>52</sup> R. D. Albertus Kozieracki.

corpore pulcherrimum vidisse. Imo ultra naturali quodam colore rubuisse, cum antea innatum fuscum quendam colorem habuerit. Addentes hoc non potuisse fieri naturaliter, cum ordinarie aqua fluvialis paucissimos post dies corrumpat corpus, et foedissimum efficiat, cum tamen Servus Dei die Dominico submersus nonnisi feria 6-a ex aquis extractus fuerat.

(82 *testis*)

Sed et aliqui ex illis particularia quaedam de Servo Dei retulerunt.

Et in primis Gregorius Bonicius dixit Servum Dei sibi notissimum fuisse, eumque continuis Vitepscensium periculis expositum; non novam, inquit, fuisse Vitepscensibus in vitam Servi Dei ultimam conpirationem. Dum enim Servus Dei in Archiepiscopum Polocensem creatus Vitepscensis Ecclesiae possessionem adiret, gratissimo vultu excipiunt illum universi, in suum agnoscunt Pastorem, obedientiam reddunt.

Duobus vero post annis pseudomonachi quidam Schismatici veniunt Vitepscum, literam a Smotricio Pseudoarchiepiscopo Polocensi ferunt, ad defectionem a Servo Dei sollicitant, et ad adhaesionem ipsi Smotricio tanquam legitimo Polocensi Archiepiscopo, a Patriarcha creato, incitant. Id demum efficiunt, ut Smotricio scriberent Vitepscenses, ei obedientiam deferentes, et Pastori suo Josaphat renuntiantes. Hinc factum est, ut iam concepto erga Servum Dei affectu prorsus valedicerent et qua publice qua privatim mortem illi minitarentur, et insidias struerent. (73)

Et prima quidem vice, cum Servus Dei in ecclesia Collegiata Anuntiationis B.mae Virginis Vitepsi anno 1621 sacrum Missae officium persolvebat, illum aggressi sunt, et caesis monachis illi assistentibus parum abfuit, quin ipsum Servum Dei in medio Sacri trucidarent, inclamantes, quod Archiepiscopus venerit ad destruendam fidem Graecam et introducendam Latinam, occidamus; sed nondum venerat hora illius, per medium hostium sanus, et incolumis rediit.

Rursus anno 1622 in Praetorium venit cum Perillustri D. Surrogatore Vitepscensi et convocata universa plebe publice quaesivit, utrum sint aliqui, qui adhaereant Unioni. Aliquot ergo Unitis illi se adhaesuros protestantibus tota fere reliqua civitas coniectis insimul pileis (quod est signum coniurationis) arreptisque armis necem iam iam Servo Dei intentant, et parum abest quin cum ipso Ill.ri D. Surrogatore vitam adimunt inclamantes: « Archiepiscopum iam latinizare ». Sed neque tunc dies Josaphat venerat. Pastor vero optimus quo facillius inimicos suos ad ovile Christi pertraheret, dedit toti civitati Vitepscensi literas assecratorias de non mutando ritu Graeco in Latinum. Nihil tamen illae in Schismaticis profecerunt. Sed quoniam Servus Dei omnes omnino ecclesias Vitepsci illis abstulerat, synagogam quandam novam extruxerunt pro suis ceremoniis absolvendis, eamque e diametro Curiae archiepiscopalis statuerunt, ita ut cantus etiam synagogae illius in Curia archiepiscopali audiretur. Vir Dei, Archiepiscopus Josaphat, quadam vice dicto Gregorio synagogam illam digito commonstrans cum sum-



mo dixit dolore: « Videtis, inquit, quid audeat Schisma, quale praeiudicium Ecclesia patitur; revera nil curarem malitiam illorum, sed quia eiusdem sum cum illis ritus, corde tenus moveri cogor ».

Cum illi mentio fieret de morte a Schismaticis illi intentata dicere solebat: « Faxit Deus, ut ego sterilem hunc agrum sanguine meo reddam fertiliorem ». Concordiae studiosissimus fuerat. Ante mortem una circiter hebdomada in magnis Vitepscensium dissensionibus, quae inter me reliquumque Magistratum vertebantur, insigniter laborabat; labores hos pios literis authenticis comprobavit, quae consulto hic praetermittuntur. (73v)

(83 testis)

Gregorius Pestrec, commune aliis Servi Dei innocentiae, et vitae inculpatae dans testimonium, asseruit se praesentem fuisse Vitepsci, quando Servus Dei occisus est. Series inquit tumultus huius talis fuerat. Duodecima Novembris anni 1623, in omnibus ecclesiis campanas pulsarunt, quibus excitati Schismatici recta Curiam archiepiscopalem tanquam ex conducto petunt, ipso Servo Dei in ecclesia B. mae Virginis sub tempus Matutini praesente. Porro autem tumultus huius causam dabant comprehaensionis per servos Archiepiscopi cuiusdam sacerdotis insolentis, nomine Heliae, Servo Dei tamen nesciente. Audiens enim ille tumultus causam dictum sacerdotem Schismaticum dimitti iubet, et finitis Matutinis recta in Curiam per medium hostium revertitur. Viso discolo illo sacerdote iam dimisso Schismatici parricidae tumultui supersederunt, interim e medio illorum nescio quis: « nunc esse tempus Archiepiscopi occidendi », inclamat; hac voce provocati accurrunt universi, et aliquot millium Schismaticorum manu collecta Curiam circumdant archiepiscopalem, sepes diripiunt, ipsam ingressi domum Servum Dei occidunt me (inquit Gregorius) ex quodam eminentiori loco hanc tragoediam spectante; et licet sim Calvinista, conscientia tamen me mea tristente fateor, et miraculum puto me cum duobus aliis, qui iam mortui sunt, vidisse nebulam quandam igneam super domum, in qua occisus est, archiepiscopalem, quae dum media circiter hora perdurasset, tandem sub tempus occisionis evanuit. Immo etiam uxor mea hac visa nebula cum lachrymis addidit, illam alicuius mali omen esse.

Idem Gregorius Servi Dei corpus extraxit ex aquis, addiditque se vehementer mirari, quod non modo nullam passus fuisset corruptionem, sed pulcherrima oris compositione labiorumque et genarum rubore omnes ad se videndum invitasset, ita ut inter nos, inquit, diceremus: « Ecce nos alloquetur Archiepiscopus ». Vulnere ipsa constricta fuerunt, sanguinis nihil in toto corpore apparebat. Immo cum esset submersus in loco tam profundo, ut altitudo aquae quindecim conficeret ulnas, ex necessitate quaerendum nobis, inquit, fuerat uncis ferreis praeacutis, quibus aliquot illi vulnera infliximus. Extractum tamen corpus nihil sanguinis ex vulneribus emisit, cicatricibus omnino apparentibus. Ex aquis vero corpore extracto, inveni collo Servi Dei appensum cilicium ad modum sacci lapidibus (74) repletum. Et quoniam tunc, cum corpus dictum quaereretur, fuerat unus ex illis qui

Archiepiscopum submerserat, de modo submersionis ex eodem (inquit Gregorius) quaesivimus. Ille vero dixit Servum Dei bis fuisse submersum; et primo quidem solis funibus alligaverant parricidae ad collum Archiepiscopi saxa, sed illud submersum protinus emersit, saxis inter funes seipsis enodais; rursus itaque Servi Dei cilicium implent lapidibus, collo appendunt, corpus submergunt. His et pluribus aliis dictis sub eodem iuramento confirmavit Servum Dei pro Unione occisum fuisse.

(84 testis)

Georgius Buievicius testatus est Servum Dei toto Archiepiscopatus tempore sibi notissimum fuisse, famam de illo optimam, pietatem illius, et innocentiam summam, perpetuam ab esu carnum abstinentiam, modestiam, concordiae amorem magnum, in sua religione zelum in Archiepiscopo notasse. Denique pro Unione cum Romana Ecclesia occisum fuisse.

Quodam tempore ecclesiam B.mae Virginis Servus Dei iusserat expurgare, imagines mundari, chorum, et stalum accomodari. Schismatici publicarunt Servum Dei iam esse fidei Latinae, et suas ecclesias pro ritu Latino reformasse. Itaque decernunt, ut Servus Dei pontem transiens in fluvium Vidbla detruderetur. Sed tunc magna Dei providentia tutatus est. Cum autem Servo Dei diceremus, quod illum velint occidere Vitepscenses, dicebat: « Occident Josaphat, non occident Archiepiscopum ».

Tumultus ultimi causam dabant comprehensionem illam sacerdotis schismatici, sed revera, inquit, falsum, quia aliquoties iam parum abfuit, quin multo ante Servum Dei occidissent Vitepsei, cum tamen non esset alias ulla comprehensio sacerdotis. Deinde iam, ut dictum est, dimissus fuerat sacerdos. Tanto autem odio erga Servum Dei ferebantur parricidae, ut in tumultu ultimo foeminae ipsae stuppam et stipulas ad domum accendendam conferrent, iamque in principio impetus accenderant, sed flamma extincta supellectilem omnem rapuerunt.

Occiso Servo Dei de monte praecipitant asperrimo corpus, ita ut putaremus in minutissimas confringendum partes; postea, ut etiam non inveniretur, in profundissimo fluminis loco submerserunt, conducto quodam ad submergendum et pro submersione uno circiter aureo dato. (74v)

Vidi etiam quando calix ex cista sponte in sanguinem Servi Dei cum patena excidit, de quo supra.

Pacis ita amans fuerat, et concordiae, ut nobis, inquit, sua committens negotia semper concordia litem dirimere iuberet, etiam de suo aliquantulum cedere iubens.

(85 testis)

Scraba, Anabaptista, testatus est, se tribus annis circiter ante mortem optime scivisse de conspiratione Vitepscensium in vitam illius facta. Ego tamen, inquit, licet fueram alterius fidei semper illius nomen et famam defendebam; ita vero exosum Archiepisco-

pum Josaphat habebant Schismatici, ut etiam nos, qui illum defendebamus secum conversari non paterentur.

Dum mihi, inquit, Schismatici die mortis illius dicerent tumultum ideo excitatum, quod sacerdotem illorum iusserit comprehaendi, dixeram illis hoc vel falsum esse, vel si verum fuerat Archiepiscopum in sacerdotes sui ritus ius habere. Quod si, inquit, vobis praeiudicium fieri putatis, electis aliquot ex vobis personis, et accepto tabellione seu nuntio Archiepiscopum adite, sacerdotem requirite, impetum in Curiam archiepiscopalem, et vitam Archiepiscopi gravissimarum causarum poenarum non facite. Audiens autem tumultum non sedari Curiam archiepiscopalem adii, sacerdotem dimissum vidi, nunc tempus est, et occasio occidendi Archiepiscopum clamantes audivi, neque sacerdotibus sibi opus esse sed Archiepiscopo; postea etiam occisum vidi, sed ita fuit contusus, ut illum non cognoscerem. Calicem sponte sua in sanguinem excidisse adverti. /*Add. corr.*: Saepius de fide nobiscum colloquebatur ad religionem catholicam pertrahens/. Septem Archiepiscopos Polocenses cognoveram, sed illi parem non vidi. Absolute nullam causam fuisse mortis, nisi quod se Unitum diceret, dixit. Cumque demum interrogaretur, an Servus Dei esset in coelo, et quid sibi videretur de illius salute, respondit Haereticus: « Si ille non est in coelo, neque limen nobis attingere licebit ».

(86 testis)

Zacharias Czarnawski, ultra supra in communi dicta, testatus est saepius Archiepiscopo Josaphat dictum fuisse, quod te tui Vitepscenses ad mortem quaerent; « filioli, dicebat ille, ego fidem tenaciter defendo ». Unde, inquit Zacharias, certissimum est, illum esse pro fide catholica occisum. (75)

Eo ipso die et hora, qua Servus Dei occidebatur, ipse me domi meae cum meis occluseram. Et ecce ipso occisionis puncto (ut postea colligi) sine ulla causa infans meus gravissime lachrymari coepit, quem ulnis meis gestabam, et tanquam vir singultu gravi veluti mortuum deflebat. Quare ego statim dixi, quod instinctu Dei mortem dolere Archiepiscopi.

(87 testis)

Bohdan Ostapow, sexies torturis (quia putabatur unus e parricidis fuisse, eo quod nomen ipsius in album coniuratorum relatam fuisset) tempore Commissionis Vitepscensis subiectus, testatus est: die mortis Servi Dei tribus miliaribus distabam, inquiring, Vitepsco, et ecce diluculo nebulam quandam igneam video supra domum archiepiscopalem sitam quaeque non nisi sole orto disparuit. Omnibus concordiam Servus Dei persuadere solitus fuerat atque illis subinde utebatur verbis: « Paupercule, bonum esset amicitiam redintegrare ».

(88 testis)

Theodorus Suchoruk, torturis etiam dicta de causa gravissime pressus, optimum dans de Servo Dei testimonium testatus est, se saepius



concionibus illius zelosissimis pro fide catholica interfuisse, Idem de eximia, et non visa corporis iam ex aquis extracti pulchritudine non dispar aliis testimonium tulit.

(89 testis)

Cornelius Butak fassus est supra locum illum fluminis, in quo Servus Dei submersus fuerat, columnas quasdam nebulosas comparuisse, equites dictis columnis assistentes, et inter se congressum molientes tandem disparuisse.

(90 testis)

Joannes Sutor, ritus Latini, asseruit non modo se ipsum, sed etiam alios Servi Dei Josaphat amantes odio a Schismaticis habitos; mortem etiam mihi, inquit Joannes, pro dicto amore Schismatici minabantur. Item pro fide catholica Romana occisum esse. Denique ex aquis extractum pulchriorem in facie visum esse quam fuerit in vita.

(91 testis)

Petrus Ivanovicus, Unitus, ingenue fassus est Smotricii literas et pseudomonachos, de quibus supra, causam fuisse tumultuum Vitepsensium, et mortis Servi Dei. Unde aversi a suo Pastore Schismatici, avertentur etiam a nobis, cumque nos ad ecclesias nostras unitas conferemus: « ecce intrat in infernum », dicebant. (75v)

Item se fuisse tunc praesentem in Praetorio, et medio periculo, quando Servus Dei, coniuratione facta, vix non fuerat interfectus, ut dictum est.

Scio etiam quodam tempore Schismaticos insidias illi struxisse super fluvium quemdam Vitepsco vicinum, Zukowa dictum, quo tamen periculo Dominus Deus illum liberavit.

Longum vero testimonium dederat optimo Pastori obsequentissima ovis quoad sanctitatem, pietatem, innocentiam, animarum zelum, aliasque plurimas tanto viro dignas virtutes. Pro fide catholica Romana et apostolica, ac primatu S. ti Petri et Sedis Apostolicae interfectum fuisse iterata voce audacter testabatur.

Neque hoc, inquit, parricidium Deus gloriosus praetermittere voluit Vitepsco non perterrefacto. Toto enim tempore, quo Servi Dei corpus latuerat in aquis, nebula quaedam densissima totam tegebat civitatem, qua tota perterrita civitas mori videbatur tota.

Sed et aliud Servi Dei sanctitatis retulit indicium. Naum, inquit, Wołk, civis Vitepsensis, Schismaticorum caput, et principalis causa tumultus ultimi Vitepsensis ac mortis Servi Dei Josaphat, quique iam poenas parricidii sui luxit, antequam tamen capite plecteretur sacerdoti unito confessus est. Quadam vice dixit mihi se lumen quoddam subinde videre aliquot noctibus super locum fluvii, in quo corpus Servi Dei submersum fuerat. Cumque ego non adeo Schismatico crederem, ipse quadam nocte egressus sum ad dictum lumen videndum, et ecce hisce oculis meis aliquoties flammam quandam e flumine progredientem notavi; accidit vero hoc ipsum iam corpore ex aquis extracto.

De calice in sanguine Servi Dei sponte volutato publicam semper fuisse famam, et nunc esse fatebatur.

Addidit; referebat, inquit, nobis Servus Dei Josaphat somnium quoddam, quod visus fuerit; sibi in summitate campanilis ecclesiae B.mae Virginis Vitepscensis consistere, undique vero illum apes circumdederant, ita ut sese defendere non potuisset. Ecce fatidicum somnium. Tot enim fuerunt apes in somno, quot Schismatici in vigilia.

(92 testis)

Nicolaus Hutor testatus est se praesentem fuisse ultima die, qua Servus Dei (76) occisus fuerat, in ecclesia B.mae Virginis tempore Matutini, et notasse quod cum Servus Dei Josaphat pro more suo e graduali caneret, ita cum multorum admiratione cecinit, ut nunquam alias dulcius quisquam illum audierit cecinisse. Deinde, cum absolutis Laudibus secundum consuetudinem ritus Graeci prima Hora immediate ab solveretur, Servus Dei ultra suam solitam consuetudinem in medio Primae egressus ex ecclesia in suam rediit Curiam. Et quoniam tumultum iam exortum audiebamus, magnum quid dicebamus futurum, quod noster Archiepiscopus finem Horae primae non expectavit.

Sed et aurora infelicis illius diei, qua Servus Dei occisus est, mortis illius praesaga fuisse videtur. Non enim rutilare sed flammare visa est, imo sanguineos quosdam radios maximo omnium nostrorum stupore spargere. Scio denique multos orationibus Servi Dei sese commendasse, et nunc commendare, et pro Sancto illum in omnium ore haberi.

(93 testis)

Sed et honesta matrona ac optima in ritu Graeco Catholica, Optati Szczur, Civis Vitepscensis, coniux, testata est se vidisse ex vestibulo templi B.mae Virginis, quando Servus Dei in aream Curiae suae extractus occidebatur, quod antequam inter verbera spiritum exhalasset, suos sibi dextera claudebat oculos. Dum vero iam occisus fuisset, et corpus illius extra Curiam extractum, in vestibulo templi consistens lachrymabunda spectabam corpus, et ecce lumen ingens de coelo lapsum supra corpus Servi Dei descendebat; dumque ipsi appropinquaret corpori, in modum plenae contractum est lunae, et supra ipsum constitit caput, tantaeque oculos meos perstrinxit luce, ut amplius spectare non possem, et licet aliquot personae mihi astiterint eo ipso tempore, me tamen interrogante, an aliquid viderent, nullam vidisse notavi; hanc suam attentionem iuramento publico confirmavit.

Schismatici vero, inquit, ad dictum Servi Dei corpus accurrentes non tantum viri et pueri, sed et senes, foeminae, et vetulae illud pedibus calcabant, barbae et capitis capillos vellebant, in faciem expuebant, aliisque ignominiae, et iniuriarum generibus corpus sacrum afficiebant.

Sed et retulit eadem ipsa die parricidii, quemdam ex sicariis suo ipsius suspendio tanquam alterum Judam sibi vitam ademisse, multis idem comprobantibus. (76v)

His testimoniis fidelissime, cum iuramento publico, exceptis, Actio

praesens est finita, et reliquorum testimonia in crastinum diem dilata. Citati vero ex nunc omnes et singuli ad comparendum in eodem loco ad testimonium de vitae sanctitate Servi Dei ferendum, sed et citationes per domos in scripto sunt dimissae.

ACTIO OCTAVA - DIES SEPTIMA.

Quae fuit Martii 31 - feria 6-a post Dominicam Quadragesimae 3-am.

Hac die, more solito, circa ambonam considerentes Patres, invocato Spiritus Sancti suffragio, Inquisitionis terminum peremptorium hodiernam esse diem intimarunt, atque intimato omnes hesternam die nominatim citatos citarunt.

*(Depositio testium Vitepscensium clara et alta voce unanimiter facta)*

Itaque secundum dictam citationem personaliter comparentes Cives Vitepscenses citati Basilius Koroban, Optatus et Joannes Szczurski, Theodorus Zylka, Philippus Wołk, Stephanus Pauli, Bohdan Sakovicius, Simon Sklay, Theodorus et Stephanus Spika, Theodorus Biruk, Joannes Jarmukow, ritus Graeci omnes, tum Catholici, tum Schismatici, iuramento clara et elata voce coram sacris scripturis praestito unanimiter affirmarunt Servum Dei innocentissime occisum fuisse, nullam contra ipsum parricidas rationem habuisse, nil illum in ritu Graeco innovasse, ad fidem et Unionem omnes invitasse, in moribus affabilissimum aequae ac humanissimum, omnium etiam infirmorum quorumcumque amantissimum. Item quod, cum occideretur Servus Dei lumen quoddam supra domum archiepiscopalem, et corpus iam occisi apparuisse. Item cum corpus Servi Dei, sexta post submersionem die, ex aquis extractum fuisse, a singulis nostrorum, aliisque omnibus, inquirunt, visum fuisse insigniter pulchrum, et elegans, imo contra naturalem Servi Dei colorem rubicandum, genas, et labia rubore perfusas, et omnino tamquam vivum apparuisse.

Item a primo submersionis Servi Dei die usque ad feriam sextam, qua corpus Servi Dei ex aquis extractum est, nebula quaedam, inquietabant, totum repleverat Vitepscum, homines mutati esse videbantur penitusque exanimati; ipsa vero die (77) qua corpus extractum est, et postquam extractum est serenissimum comparuisse coelum, et corporis delationi, ac in ecclesia S. ti Michaelis depositioni summo favore favisse; demum postquam in ecclesia depositum fuisse, uberimam, nubibus in momento collectis, pluviam descendisse; sed praeter haec praeterea aliqui sua, et seorsim testimonia dederunt.

*(94 testis)*

Optatus Szczur,<sup>53</sup> Unitus, causam tumultus primi retulit in Gregorium Bonicum, superius nominatum Haereticum, qui anno 1621

<sup>53</sup> In alio loco (fol. 76v) testis hic et eius frater nominantur etiam « Szczurski », sed in elencho posito in fol. 17v dicitur simpliciter « Szczur ».



rediens Varsavia dixit Servum Dei (qui tunc Varsaviae, et in Comitibus fuerat) iam latinizasse, atque in ecclesia Latinorum more latino in azimis Sacrum celebrasse. Quod audientes Schismatici tumultuari coeperunt. Calcar etiam huic tumultui addiderunt pseudomonachi supradicti, a Smotricio Vitepscum submissi; eoque odii in Servum Dei processerunt rebelles ut ex nunc synagogam sibi extra civitatem exstruxerunt, illam numerosissimi frequentarent, ecclesiis civitatis catholicis plane relictis. Rediit Servus Dei Josaphat Varsavia, sacrum Missae sacrificium more nostro celebrat. Vix tamen aliquot ex nobis Unitis praeter consuetudinem in ecclesia videt, unde dolore in media concione commotus, malitiam Schismaticorum exagerans et paucitatem Unitorum contemplans, ad constantiam suos hortatur, ut Ecclesiam matrem non deserant, monet: « Nil aliud, inquiens, mihi restat, quam ut verbis Christi Domini vos consolere: Noli timere pusillus grex ». Uniti inter nos Uniti convenimus Archiepiscopum, Gregorii relationem illi referimus, et an vera sit inquirimus. Negat ille constanter, vocatum ad se Gregorium de aperto mendacio confundit apertissime. Fictum tamen hoc crimen in malevolis insidens animis penitus non evellit, coniuratio scelestissimorum magis magisque in dies crescit, donec tandem in parricidiale nefas excrevisset.

Hoc vero mirabile in Sancto fuit, quod inimicorum amicissimus fuerit, humanitatis plenissimus, ad prandia pauperrimos quosque invitabat, denique nulla alia de causa nisi pro sancta Unione occisus est. (77v)

(95 testis)

Joannes Szczur, Unitus, in particulari testatus est, se dum Servi Dei corpus extra Curiam extractum iaceret vidisse columnam lucidam directe faciei illius insistentem.

(96 testis)

Bohdan Sakovicus,<sup>54</sup> audita Servi Dei morte, lachrymans dixit: « Non occidistis Archiepiscopum, sed totam civitatem occidistis ».

(97 testis)

Simon Szklay, Unitus, et familiaris piae me. olim Ill.mi Joannis Zawisza, Palatini Vitepscensis, testatus est Servum Dei sibi notissimum adhuc cum esset Superior Vilnae fuisse. Cum enim, inquit, Dominus meus dictus Ill.mus Palatinus Vitepscensis solitam quolibet anno eleemosynam submittebat ad monasterium Vilnense SS.mae Trinitatis, illam ego deferebam ad Servum Dei; ille vero non tangens illam obibat mecum xenodochia, carceres, et pauperes, aliaque pia loca donec distribuere totam.

<sup>54</sup> Sielovicus, an Siekovicus, an Sakovicus - non satis constat ex copia Processus Polocensis an. 1628 romana. Nam transcriptio nominum slavivorum scribae huic romano sat difficilis erat, praesertim quod spectat literas « k, K, w, W, n, v, u, Z, L ».

Causam mortis referebat in pseudomonachos Schismaticos a Smotricio submissos, ita ut scelesti homines auderent persuadere populo, quatenus potius moriantur sine Sacramentis, et illorum filii sine baptismo, quam ut unitos Praesbyteros adeant. Non puto, inquiens, illos fuisse monachos, sed diabolos. Hinc tumultuari coepit Vitepscum, Mohilovia, Orša, Mscisłavia, Połocia, aliaeque civitates Dioeceseos Polocensis Smotricium in Archiepiscopum agnoscentes; quorum tumultuum protulit complura acta, et iuridica extracta in lingua vulgari, quae hic consulto praetermissa sunt.

Addidit etiam, se cum Servo Dei quadam die collocutum fuisse de morte, quam Schismatici illi minabantur, ille vero: « Scio, inquit, quod me velint occidere, sed et Sanctos Patres pro veritate occisos esse scio ».

Quod ad miracula attinet, miraculo tribuit Simon dictus, quod lucem quamdam viderit cum pluribus aliis supra illum fluvii Duna locum, in quo, et quando corpus Servi Dei interfecti latuerat submersum. (78)

(98 testis)

Theodorus Spika, Unitus conciones Servi Dei sibi mirum in modum placuisse dicebat, ita si tota, inquit, concionaretur die, libentissime illum audiremus. Item se fuisse praesentem, quando calix sponte sua ex cista excidens, in sanguine Servi Dei volutabatur.

His citatorum exceptis fidelissime testimoniis visum est nobis voluntariam aliorum excipere testimonii depositionem. Publice itaque requisitis omnibus et singulis, quicumque de Servo Dei ex praesentibus scirent aliquid,

(99 testis)

Illis et Generosus D. Joannes Dirmunt Sinicki, Subiudex Terrae Vitepscensis, haereticus Calvinista, locuples dedit Servo Dei testimonium sanctitatis, pietatis, innocentiae, humanitatis, morum, et vitae inculpatae, integritatis, aliarumque christianarum virtutum. Pro fide, et quia Unitum se vocabat, occisum esse. Nos, inquit, alterius fidei homines ad fidem catholicam trahebat dicens: « habete fidem similem mihi ». Denique (inquit) illum Deus ab aeterno praedestinavit ad martyrium.

(100 testis)

Generosus Dominus Christophorus Demecz, ritus Romani Catholicus, iuramento praestito, Servum Dei pro fide catholica Romana interfectum fuisse testatus est, magnam de sanctitate illius fuisse et esse asserens opinionem.

Generosus D. Zernicki, ritus Romani Catholicus, idem dans Servo Dei testimonium, addidit se quadam vice scripsisse Servo Dei, quod audierit a Schismaticis quatuor instructos esse, ut illum in transitu fluminis Zukowa per insidias trucidarent. Rescripsit ille gratias mihi agendo pro favore, sed addendo: « Non timeo, inquit, ego mortem; faxit Deus, ut sim tam felix, et coronam merear martyrii ».

(101 testis)

Generosus D. Balthasar Skulatowski, Unitus, idem dans Servo Dei testimonium, dixit se audivisse ex ore Schismaticorum de concionibus Servi Dei iudicium, dicentium: « Sacrosancta verba ex ore ipsius profluunt ». Item se audivisse communiter dici de lumine viso supra domum et corpus Archiepiscopi tempore occisionis, de calice in sanguine voltato. In vita autem nunquam notasse Servum Dei comotum, vel otiose loquentem. (78v)

Denique Servum Dei esse verum martyrem signum est evidentissimum, quod occiso illo omnia mala super Vitepscum venerunt. Et primo quidem ex parte Ser.mi Regis privilegia civitatis ablata, et civitas in pagum pene conversa. Deinde ex parte Omnipotentis Dei peste, nunquam alias Vitepsci audita, statim post mortem Servi Dei tota civitas consumpta est. 3-o: Fame dirissima etiam nunc vexatur totus tractus Vitepscensis. Denique ditissimi quique Vitepscensium ad extremam redacti paupertatem. Sed quid mirum? Cum et Servo Dei vivente inimicos illius Deus punierit. Massalski Mscislaviae, multas Servo Dei Vitepsci causans difficultates, herodiano mortuus est morbo. Kossof publice iurans Servum Dei concionantem globo sclopetorio a se traiciendum excaecatus, et in phraenesim actus miseram trahit per mille dolores vitam.

Generosus Dominus Helias Doctorowicz, ritus Romani Catholicus, longum dans Servo Dei elogium addidit quod mortua sua matre unita, petiit a Servo Dei, ut sepeliretur in ecclesia Vitepscensi; sed cum Servus Dei diceret sumptum esse necrium maiorem pro sepultura in Collegiata, obiecit paupertatem suam bonis igne consumptis; misertus Servus Dei ex nunc sine ullo sumptu honestissime sepeliri iussit.

Obvians quadam die Generosus D. sacerdoti cuidam schismatico, Lapis nuncupato, vidit illum indicem quendam per civitatem Vitepscensem circumferre, et legit nomina omnium Schismaticorum contra Servum Dei coniuratorum, ante parricidium duobus circiter annis. Unde addidit, antiquum fuisse odium in Servum Dei Schismaticorum, idque propterea solum, quod esset cum S.R.E. unitus.

Item se fuisse in quodam prandio apud Servum Dei cum quibusdam aliis Nobilibus, et civibus Schismaticis, audidissequ longum sermonem Servi Dei de Unione Sancta, confundentem Schismaticos ex ipsis illorum sclavonicis libris, in quibus inveniri demonstrabat Ruthenos antea reddere solitos obedientiam Pontifici Romano.

Cum quadam vice tumultus exoriretur in Servum Dei, eo quod aliqui ex Schismaticis calumniarentur quasi illorum synagogam delere vellet, adii, inquit, Servum Dei, et an hoc (79) verum fuisset ex illo requisivi. Servus Dei triplici signo Sanctae Crucis facto: « Dominus Jesu, inquit, quod ne cogitarim tu vides ».

Altera vice de animo occidendi illum Schismaticorum certiozem reddidi. Servus Dei zelo accensus: « Domine Deus, inquit, in Trinitate unus, cuius veritatem evangelizo, fac me dignum, ut pro te sanguinem meum fundam ».

Cum corpus Servi Dei ex aquis extractum fuisset, et in ecclesia



S. Michaelis repositum, confluyente ad videndum illud populo, et inter illos parricidas, sanguis, me vidente, ex vulneribus profluebat.

(102 testis)

Nicetas, cives Vitepscensis, Unitus, iuramento praestito testatus est se praesentem fuisse quando calix sponte sua ex cista excidens in sanguine Servi Dei volutatus est; cum tamen ipse per prius manibus dictam cistam aperire nullo modo posset. Item se scire Schismaticos 30 florenos contribuisse piscatoribus, ut corpus Servi Dei submersum invenirent.

Sed et honesta matrona, Petri Iwanowicz supra nominati Uniti coniux, ipsa etiam unitissima, pro sola fide catholica occisum esse Servum Dei testata est. Item se audivisse ex Nahum, Schismatico, de quo supra, quod viderit lumen quoddam emicans ex loco illo, in quo Servi Dei corpus submersum fuerat.

Denique sibi etiam apparuisse in somnis in vigilia feriae sextae, qua corpus Servi Dei ex aquis extractum fuerat, lumen quoddam supra domum Archiepiscopi, et in medio luminis illius virum quemdam quae tandem lux cum suo quem includebat viro versus fluvium Dunam ferebatur, in eundemque se immersit.

His testimoniis fidelissime exceptis, et iuramento publico firmatis, cum nullus iam eo die compareret, neque quisquam aliquid in contrarium afferret, licet clara voce omnes citati fuerint, denique pro non comparentibus quibusdam citationibus dimitti iussis, Actio praesens finita est, et ullimus Inquisitionis praesentis terminus peremptorius crastina Sabathi dies triplici intimatione publicata. (79v)

ACTIO NONA - DIES OCTAVA.

Quae fuit Aprilis prima- Sabatho ante Dominicam Quadragesimae 4-am.

Hoc die, et eodem modo in eademque ecclesia B.mae Virginis parochiali, ad Curiam archiepiscopalem sita, circa ambonam considerentes Rev.mi, ac Admodum Rev.di Patres, ac Domini Sanctae Sedis Apostolicae Commissarii trina citatione citantur omnes et singuli ad testimonium Servo Dei ferendum, et in primis illos, quos hesternae die per R. D. Commissarium Vitepscensem citaverant.

(Schismatici atque uniti)

Personaliter itaque comparentes citati cives Vitepscenses Laurentius Możey, Bohdan, Gregorius Drokula, Wołodko Onyszkiewicz, Zdan, Daniel Wysocki, Petrus Czarnawski, Matthias Łytka, Michaël Nestoris, Gregorius Nieszzyk, Joannes Hutor, ac iuramento in forma praestito, unanimi voce Servum Dei pro fide Catholica occisum esse confessi sunt; in vita et in morte fuisse sanctum, coniurationes saepius in ipsius mortem Vitepsci factas, humanissimum in inimicos, in concionibus zelosissimum, aliisque virtutibus vere pastoralibus praeditum fuisse. Post mortem corpus ex aquis extractum extraordinario

vigore claruisse, imo nunquam in vita talem faciei leporem habuisse; aliqui praeterea ex illis sua seorsim testimonia dederunt.

(103 testis)

Joannes Hutor, Unitus, testatus est ab aliquot iam annis in mortem Servi Dei Vitepscenses coniurasse, causam tumultuum variam assignabat.

Primo, quod Vitepscensium ecclesiarum possessionem adiens Servus Dei parochialem verrere ecclesiam iusserit, imagines perpurgare etc., et hac de causa parum abfuit, quin illum de ponte in fluvium Vidbla praecipitem dederint. Non enim dicebant licere quidquam ecclesiasticum, etiam pulveres extra ecclesiam proiicere. Accessit, quod dum Servus Dei abusus quosdam in sacramentis distribuendis tolleret, sustulit etiam errorem illum Schismaticorum, et omnino in suis ecclesiis fieri prohibuit: Sacerdotes Ruthenos honorem quemdam SS. mae Trinitatis praetexentes triplici porrectione unicam communionem cui libet ministrare. Quare Schismatici hoc ritus sui mutationem arbitrati, occidere Servum Dei cogitarunt. (80) Licet cum Servo Dei id nunciaretur, dixerit aperte: « Christum Dominum esse passum solum, non totam Trinitatem Sanctissimam, et proinde nos suscipere corpus Filii tantum, non Patris, neque Spiritus Sancti, unde nec trinam porrectionem Corporis et Sanguinis Dominici suscipere debere christianos. Si tamen, inquiebat, hoc illos a gremio arcet Ecclesiae non una tantum porrectione aut terna, sed etiam decupla Augustissimum Sacramentum illis iubebo ministrari ».

2-o. Pseudomonachi supradicti a Smotricio supradicto Vitepscenses ad defectionem impulerunt, ut suo scripto testarentur, quod Pseudoeppiscopum Smotricium in suum Pastorem agnoscerent; sub idem plane tempus venit Gregorius supradictus haereticus Varsavia, et Archiepiscopum Josaphat cum suo Metropolita Josepho iam latinizasse, et Missam more latino celebrasse asseruit. Hinc secundus exortus est tumultus, et Servus Dei in ecclesia semel atque iterum vix non est occisus. Sed praedictus Joannes Hutor, arguens Gregorium eodem ipso tempore mendacii, adcitavit illum de falsitate, sub idem plane tempus, prout et citationem protulit iuridicam, asserens hanc per Gregorium Servo Dei illatam calumniam causam etiam fuisse ultimae necis Servi Dei. Redit bonus Pastor Varsavia, de calumnia Gregorii sibi illata rescit, in Praetorium venit, se coram tota plebe de non mutando ritu Graeco fide archiepiscopali obligat, literas dat Vitepscensibus, quibus se obstringebat non immutaturum quidquam in ritu Graeco, tamen nihilominus et in Praetorio statim vix non occiditur, et Gregorius supradictus receptis semel illis litteris noluit amplius illas populo ostendere; alias assicurati Schismatici nil tentarent. Hac occasione conquestus est Joannes de malitia Gregorii haeretici, quod ausus fuerit ecclesiam ritus Graeci emere a quodam Schismatico, Matthaeo Wolk nomine, et propriis equis transvectam Vitepscum in synagogam Calvinisticam erigere, quae etiamnum hodie videtur. Et haec est synagoga in vita et post mortem Servo Dei exosissima, versus quam dum corpus Servi Dei occisi processionaliter deferebatur, calix ille superfe-

retralis sponte sua inversus est, de quo in Actione prima Polocensi, referente Domino Vicenotario Terrae Polocensis fusius. Adiecit tamen: iusto Dei iudicio sacrilegum illum venditorem decollatum fuisse tanquam criminis laesae maiestatis convictum. (80v)

Tertio. Famuli Servi Dei Schismatum sacerdotem pestilentissimum ipso die necis illius incarcerarunt; tumultuari itaque refractarii coeperunt; nihilominus Servus Dei, tumultu audito, Pseudopraesbyterum illum dimitti iusserat, prout et dimissus est. Sed quia aliqui ex sicariis non sacerdote, sed Archiepiscopo sibi opus esse clamabant Curiam archiepiscopalem invaserunt, maledictis his convocati clamoribus, Archiepiscopum occiderunt, ut quidam ex aliis, dictus Joannes, cognoverat.

Die Dominico, quo Servus Dei occisus fuerat, dictus Hutor tribus leucis distabat Vitepsci, et ecce ante solis occasum immediate videt civitati Vitepscensi nebulam quandam sanguineam impendere. Dumque nil sciens ulterius discederet, noctu tandem accepit literas Petri, Uniti supradicti, hoc tenore ad se scriptas: « Actum est, actum est, actum est. Archiepiscopum suum occidit Vitepscum ». In sua demum opinione Servum Dei tanquam pro fide catholica Romana occisum, sanctum et martyrem esse.

(104 testis)

Gregorius Nieszyk, Unitus, scriptum quoddam obtulit, contenta illius iuramento comprobans. Porro scripti tenor talis est.

« Ill.mi et Rev.mi DD. Commissarii! Pro ignorantia mea VV. Ill.mis et Rev.mis Dominationibus oretenus enarrare totamque rem explanare non valens, loco verbis expressae orationis meae, id quod mihi bene perspectum est, in hacce schedula mea sub conscientia describens VV. Ill.mis et Rev.mis DD. nec non Pastoribus nostris exhibeo. Primo. Postquam huc Vitepscum monachus, nomine Silvester appellatus, a Smotricio cum literis venit, eodem quoque tempore Gregorius Bonicius, Notarius praeteritus, qui a tota civitate Varsaviam missus fuerat, reversus Varsavia coram omnibus DD. Consulibus et plebe in Praetorio praesens cum esset narravit sanctae me. Josaphat Chuncevicium Archiepiscopum Vitepscensem se praesente Varsaviae in templo Romano habitu monachorum ornatum sacrum celebrasse. Unde illico plebs tota confoederata synagogas novas in variis locis construere, devotionesque suas peragere coepit. Quod omnibus notissimum est; si res postularet quaerant Celsitudines Vestrae ex Superioribus nostris, an non haec illius verba ipsissima fuerunt, pro quibus verbis et turbationibus omnium civium nomine D. Joannes Hutor praedictum Gregorium Bonicium tunc temporis ad magnificum D. Palatinum advocatum fuisse Praetorem olim (81) Vitepscensem citavit. Postea cum Archiepiscopus sa.me. nautis Vitepscensibus pro Confraternitate privilegium Regium comparaverat, tunc idem Gregorius omnes nautas turbavit dicens, quod omnes sub obedientia Romani Pastoris esse debetis, unde maiores dissensiones, et seditiones cives concitarunt. Praeterea adhuc literas sa.me. Rev.mi Archiepiscopi ad civitatem scriptas idem Bonicius eodem tempore apud se, sine scitu



aliorum, detinuit, neque hucusque illas reddidit, pro quibus recipiendis D. Petrus Proconsul cum caeteris civibus ad illum miserat. Quod attinet ad vitam sa.me. Archiepiscopi Domini et Pastoris nostri omnibus perspectum est, illum fuisse sanctae piaequae vitae, et sic firmiter credo, quod fel. rec. Pater, et Pastor noster in coelo sit, et dignus est, qui pro sancto habeatur ».

(105 testis)

Zdan, Unitus, dixit se Servum Dei occisum iam vidisse, et dum corpus illius spectarent Judaei lacrymis Pastorem nostrum prosequerentur. Maximam etiam, inquit, nobis omnibus causabat admirationem, quod occiso Servo Dei nebula densissima totam Vitepscensem cinxerit civitatem per aliquot dies.

Auditur testimoniis citatorum, datus est locus testimonium ferendi illis, qui sponte sua aliquid de Servo Dei se scire profiterentur, et in primis ex statu Spiritualium.

(106 testis)

Itaque Admodum R. D. Albertus Kozieracki, Commendatarius Vitepscensis, ritus Romani, tacto pectore, dixit Servum Dei toto sui Archiepiscopatus tempore sibi notissimum, et unitissimum fuisse, multisque heroicis virtutibus claruisse, atque omnia quae supra tanquam Vitepsci de Servo Dei nota recensita sunt longe verissima esse.

Addidit, quod Servus Dei de Schismaticorum pravitate coram se conquerens dicere solitus fuerit: « Pater mi, ecce quomodo oves meae scabie infectae sunt! » Illos tamen saepius ad se vocabat, atque ex libris antiquissimis sclavonicis, quos in parochiali Vitepscensi invenerat, aperte demonstrabat, longo ante tempore Russiam obedientiam Summo Pontifici Romano reddere solitam fuisse.

Hem se fuisse praesentem anno 1621, quando Servus Dei vix non occisus fuerat in ecclesia Annuntiationis B.mae Virginis Collegiata, nisi per nos Catholicos defensus fuisset.

Anno etiam 1622 adfui Servo Dei quando in Praetorio Vitepscensi tumultus contra illum excitatus est, clamantibus Schismaticis: « Hic fidem nostram destruit, occidamus ». Servus Dei nil amplius dicebat, nisi se velle dare toti civitati literas assecutorias de non mutando (81v) ritu Graeco, prout etiam dederat, de quo supra. In solemnioribus festivitibus secundum ritum Romanum nostram adibat ecclesiam frequentissime. Schismaticos et ipsos haereticos ad prandia invitabat, neque de ullo alio, quam de Unione, ac fide catholica Sanctaque Sede Apostolica disserebat.

Sub tempus parricidii Vitepscensis obviavit cuidam Schismatico dicenti: « Non poenitet me iam facti, si securis mea in capite Archiepiscopi immersa iam fuerat ». Sum oculatus testis quod nebula totam Vitepscensem cinxerat civitatem usque dum corpus Servi Dei extraheretur ex aquis. Extracto vero corpore serenissimum comparuit coelum illius dispositioni arridens. Audivi etiam ex ore Haeretici cuiusdam nobilis, D. Uzeniecki cognomine, Vicepalatini olim

Vitepscensis,<sup>55</sup> quod calix ex cista sponte sua exciderit, et in sanguine Servi Dei volutatus fuerit.

Concordiae intantum studuit, ut non tantum Catholicos sed etiam Schismaticos, Haereticos, ipsos etiam Judaeos inter se dissidentes studuerit reconciliare. Audivi etiam Servum Dei ab ipsis Schismaticis laudatum fuisse, et occisum illum doluisse; sed et occiso optimo hoc Pastore homines dolore consternatos per civitatem discurre, imo prae dolore animique omnium consternatione die obitus Servi Dei, et necis sacrum Missae officium in ritu Graeco, et Latino Vitepsci non est celebratum. Audiens alias Schismaticos mortem Servo Dei intentare monueram illum quo cautius se gereret. Servus Dei « faxit, inquit, Dominus Deus, ut sim dignus sanguinis effusione ».

Item se audivisse ex ore Ill.ris et Generosi Domini Szapka, Notarii Castri Vitepscensis, affinem suum Schismaticum cognomine Chlewiński extreme male valuisse, neque remedium ullum amplius a medicis sperasse; dictus D. Notarius monuit Schismaticum Unionis, et erga Servum Dei devotionis. Revocat Chlewiński, confitetur sacerdoti unito, Decano Vitepscensi id in praesentia confirmante, infraponendo, votum ad sepulcrum Servi Dei vovet, convalescit, sed iusto Dei iudicio, differens in longum votum et alio se conferens, subitanea morte praeventus est.

(107 testis)

R. D. Onykiey Diakowski, Decanus ritus Graeci Vitepscensis, cum Rev. dis Ignatio, Martino, Praesbyteris ritus Graeci Catholici, Vitepscensibus, lacrymis ubertim perfusi de Servo Dei talem semper qualis praefertur fuisse opinionem, tacto pectore (82), testati sunt, et ideo solum occisum fuisse, quod summo Pontifici obediens fuerit, et Primatum S. ti Petri defenderit, in periculis propter Unionem toto Archiepiscopatus sui tempore.

(Idem dixerunt)

Quodam tempore Servus Dei publicas instituit supplicationes ad ecclesiam Collegiatam Vitepscensem. Nobilis quidam nomine Nicolaus Wasilewski, Schismaticus, tumultu facto obstitit, nec ultra progredi permisit, cum magno Servi Dei periculo.

Dum dicti Wasilewski mentio fieret, Generosus D. Skulatowski, supradictus, dixit eundem, occiso Servo Dei, dixisse: « tanquam bestiam submersam esse gaudeo », sed quo morbo laverit maledicentiam supra dictum est.

Item cum Servus Dei, impetu iam Schismaticorum in suam Curiam facto, ex ecclesia domum per medium hostium rediisset, mortem sibi imminere videns praefatos suos affatus agnos: « condoleo vobis, Patres, inquit, venit hora, fugite ». Ipse itaque in aliud cubiculum

<sup>55</sup> Erat Vicepalatinus Vitepscensis tempore occisionis S. Josaphat. In alio loco eiusdem Processus adducitur eius testimonium de cista miraculose aperta in loco occisionis.

oraturus secessit, nos profugimus, sed tota die a Schismaticis in necem quaerebamur.

(108 testis)

Generosus Dominus Gregorius Uszacki, familiaris olim Servi Dei Josaphat, vir sexagenarius, optimus in ritu Graeco Catholicus, iuramento praestito, et lachrymis ubertim perfusis, dixit se ab anno 1590 Ill. mis Principibus Archiepiscopis Polocensibus successive inservisse, sed Servum Dei omnibus virtutibus longe superiorem fuisse, plurima in illo zelum honoris divini, et curam animarum concernentia observasse.

Fui, inquit, praesens comes Servo Dei, quando Mohiloviensis tanquam suae Dioeceseos volens possessionem adire ecclesiae, in civitatem non est admissus; imo tota civitas ad resistendum egressa, tormenta obiecta, mors iam iam intentata; Servus vero Dei in medium ibat lactus incendium. Cumque pertinaciam hanc sanctam in Servo Dei vidissent Mohilovienses Schismatici magnam illi obtulerunt pecuniae summam, ut illis ecclesias secundum privilegium Regale non auferret; respuit Servus Dei, adiiciens: « Donum Spiritus Sancti vendi non debere ». Rursus Mscislaviensis instituit ecclesiae visitationem, et ecce Schismaticus quidam nobilis, cognomine Massalski, Servum Dei occisurus venit Mscislaviam, et publice se hoc fine venisse dicit. Sed praevenit Dominus impium consilium, ab altero suo inimico globo sclopetario eodem die traiectus est. Audiens Servus Dei casum hostis in corpore et anima illum in persona convenit, ad Unionem invitata, tantumque agit, ut Schisma obstinatissimum (82v) quondam eiuraret. Confessionem apud Servum Dei expedierit, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum ex manibus sacerdotis uniti susceperit. In sancta fide catholica Romana, et Apostolica mortuus decesserit.

De tumultibus Vitepscensibus idem retulerat plane quae alii supra. Addens privilegium quoddam per Servum Dei obtentum fuisse pro nautis ut illis ecclesiam liceret exstruere Vitepisci, et suam erigere Confraternitatem cum illa clausula, ut sit sub Pastore unito. Exagerat hoc punctum Gregorius Bonicius, supradictus, simplicius, ut quidam ex Schismaticis, nomine Posciora, iam pro parricidio hoc decollatus, Domino Uszacki retulit; iam illorum ecclesiam in latinam convertendum iri traducit. Nautae et inter se tumultuati sunt, et tumultum maximum excitarunt.

Discedens ultimo Polocia Vitepscum, cum illum ultimo in itinere conveniret Dominus Uszacki de nullo diligentius, et principalius quaerebat vir desideriorum, quam an sepulchrum sibi excavatum esset. Saepius vero dicere soleret: « non posse se melius mori, quam si pro Primatu Romani Pontificis occideretur, quinimo optarem, inquebat, ut mea familia eandem quoque mortem mecum subiret ». Una circiter hebdomada ante mortem suam in festo S. ti Demetrii martyris, secundum ritum Graecum celeberrimo, concionabatur Vitepisci super illa verba Evangelii: « Omnis qui vos occiderit etc. » et dixit: « Vos, inquit, mihi minitamina mortem, et ego vobis dico, non essem foelior, quam si per manus vestras pro fide catholica, et apostolica occi-



derer. Scitote ergo me paratissimum esse ad moriendum pro veritate». Sacrificulus Schismaticorum, Helias nomine, qui ultimo captus fuerat a famulis Servi Dei. Ad despectum Pastoris sui plane sub ipsa Curia Dunam traiciebat, tota aspiciente Servi Dei familia, quasi re ipsa dicens: «Quid faciet mihi Archiepiscopus?» Confisus in malitia Schismaticorum cum tamen iam monitus esset, ne libere vagaretur. Famuli itaque Archiepiscopi hanc insolentiam dicti sacrificuli advertentes eundem comprehenderunt, et in coquina Curiali incluserunt. Verum tumultu facto, iubente Servo Dei, dimissus est. Nullo ergo iam habito praetextu scelestissimum illud parricidium perpetrarunt.

In ultima mortis suae hora videns Servus Dei familiam suam globis sclopetariis hostes traicere velle, prohibuit omnino vel loco globorum papyro uti ad terrendos et non interficiendos inimicos. Sicarii vero hac bonitate Pastoris sui abusi, totam familiam gravissime vulnerabant, et vel maxime R. P. Dorotheum Archidiaconum (83) et Generosum Dominum Cantacusenem Emanuelem, Graecum. Me vero, inquit D. Gregorius, in atrio domus vulneratum quidam ex parricidis mihi notis alloquebantur: «et tu quare unus ex illis es, qui optime longe ante sciebas haec vobis futura aliquando?». Interim Schismatici, occupata iam per vim tota Curia archiepiscopali, caesis omnibus famulis, totam diripiebant supellectilem. Auditis his clamoribus Antistes procedit e camera et clausis ipse foribus sacratissimae Crucis formavit effigiem, me a sinistra parte illi astante, et pro more suo dulcissime hostes allocutus: «Filioli, quare famulos meos caeditis; si aliquid contra me habetis, ecce adsum!». Nullus ex audientibus in illum manum movit, donec ex opposita camera eruperunt duo, et Servum Dei stantem viderunt, quorum alter, Servo Dei stringente in modum crucis ad pectus manus, fuste caput petiit, securi divisit alter; prostratum vero, quotquot in atrio fuerant, omni telorum genere confodiebant et contundebant; elevata tamen Servus Dei manu inter media verbera exclamavit: «O, Deus meus, forte dicturus; non imputes peccatum hostibus». Audientes hoc sicarii extra atrium in aream extrahunt Martyrem, ibique globis sclopetariis caput sacrum traiciunt, et iterum fustibus caedunt. Tandem vestibus Servus Dei exuentes, corpus illius cilicio tectum invenerunt; putantes ergo non fuisse occisum Archiepiscopum (meliori inquietes, et molliori utebatur ille indusio), totum domum evertunt, pavimentum eiusdem inquirentes. Dictum etiam Dominum Gregorium adducunt ad corpus, et an fuerit Archiepiscopus occisus quaerunt, qui sub iuramento illum esse affirmans, gaudium illorum complevit.

De disciplinis frequentissimis, cura animarum, confessionibus, itinerariis, amore concordiae hostiumque longius diserebat. In hospitibus, ubicumque Servus Dei pro nocte, sive pro meridie subsisteret, nil aliud omnino curabat, quam ut ad confessiones simplices induceret et easdem ab illis exciperet. Ubicumque commode poterat, non prius ex hospitio discessit, quam Sacrum audiret, dispendium nullum negotiorum curans.

Statim post mortem Servi Dei, apud Chirurgum decumbens, Dominus Uszacki dixit, se audivisse supra recensita miracula de luminibus,

columnis, nubibus etc. die mortis Servi Dei diversis locis comparentibus. (83v)

Ex aqua etiam extractum corpus vidit eximia pulchritudine nituisse. Denique nulla alia de causa, quam pro obedientia Summi Pontificis Romani occisum fuisse.

(*Romani ritus testes*)

Hoc testimonio fidelissime excepto, Ill.ris et Generosus D. Obiesko Vicepalatinus Vitepscensis testatus est, non fuisse sibi notum in vita, sed tamen communi opinione pro Sancto illum haberi. Imo ab ipsis Schismaticis parricidis audivisse, quod innocenter illum occiderint, poenas sibi immisas iustissime fassi fuerint, ex corde se mortem dolere. In sua porro sententia, inquit D. Vicepalatinus, Servus Dei pro magno sancto et martyre omnino censeri, sub conscientia testabatur.

(109 testis)

Generosus Dominus Nicolaus Hurko, ritus Romani Catholicus, Judex Castri Vitepscensis, iuramento praestito testatus est, Servum Dei sibi in vita notissimum fuisse, semper de illo optima fama, etiam in vita Sanctum vocatum (*additum in margine*); concordiae studiosissimum, humanissimum, hostium amicissimum, seipsum etiam cum duobus sibi inimicissimis mediante Servo-Dei optime convenisse.

Cum frequentes, inquit, viderem tumultus Vitepsci, quid esset in causa Schismaticos interrogabam; respondebant passim, quia Archiepiscopus recognoscit Papam, et nos Papistas efficere conatur. Cuius signum dicebant esse, quod acolythos suos albis vestitos in ecclesia sibi ministrare faceret, et non sicut Antecessores illius saecularibus indutos vestibus.

De supradictis miraculis die obitus Servi Dei de coelis exhibitis, statim post illius mortem, audivisse dixit, imo etiam in seipso magnam Servi Dei gratiam expertum esse testatus est. Cum enim, inquit, essem Polociae anno praeterito ad sepulchrum Servi Dei orans, magna inibi fieri miracula audivi, et ab illis qui in se experti sunt, in particulari autem a quodam Nobili ritus Latini, Generoso Domino Nicolao Doctorovicio, qui se per merita Servi Dei oculorum usum recuperasse asserebat. Quare cum dictus D. Judex Vilnae postea agens arthetico iam ad extremum deduceretur morbo, ita ut medicus iam absolute mortem illi praediceret, in extremis illis positus angustiis sancto, inquit, Martyri me recommendo, convalesco, et nunc optime valeo. (84)

Quare etiam Servum Dei in perpetuum suscepi Patronum, et agnosco in Martyrem tanquam pro fide catholica, et Primatu S. ti Petri interfectum.

(110 testis)

Generosus D. Georgius Szapka, ritus Romani, iuramento praestito testatus est, magnam esse in vita, et post mortem de sanctitate Servi Dei opinionem, et in sua opinione sanctissimum fuisse et esse, miraculis ad hoc incitantibus.

Ab ipso Schismaticorum Vitepscensium antesignano, Nahum Wołk nomine, audisse se dixit, quod viderit lumen quoddam supra locum, in quo Servus Dei submersus fuerat.

Ipse etiam D. Szapka filiolo suo pessime valente ad sepulcrum Servi Dei sistendi votum emisit, et sanum ex nunc recepisse se iuramento testatus est.

(111 testis)

Generosus D. Czarny fassus est se corpus Servi Dei extractum vidisse, et nil mutatum omnino; nebulam quandam totum Vitepscum cinxisse, usque dum corpus ex aquis extraheretur, eoque extracto serenissimum comparuisse coelum.

(112 testis)

Generosus D. Joannes Ogiński, Schismaticorum facile Princeps, ibidem personaliter sponte sua comparens longius sanctitati, et innocentiae Servi Dei dedit testimonium, absolute dicens nullam fuisse causam mortis in illo.

Item Vitepscenses propterea Patrem Archiepiscopum, inquit, occiderunt, quod putarent illum absolute ritum Graecum tollere velle; quod si litteras illas, quas Gregorius Bonicius supradictus celaverat, a Servo Dei Vitepscensibus datas super ritus Graeci observatione, publicatas viderent, nullo modo tantum scelus attentarent.

(113 testis)

Gregorius Kokotka, civis Vitepscensis, haereticus Calvinista, longum de innocentia et sanctitate Servi Dei dedit testimonium, absolute dicens occisum pro Unione.

(114 testis)

Stanislaus Jakusevicius, Vitepscensis, ritus Romani, testatus est, quod viderit corpus Servi Dei, dum post occisionem submergendum ad navigium trahebatur. Ad summum enim despectum nudarunt totum parricidae, et resupinum omnibus ostenderunt ita ut misertus Haeretici praedicantis filius inclamaret: «Impiissimi homines, tegite saltem corpus». Ad quae scelesti: «sileas, ne tibi idem fiat». Asseruit etiam, extractum ex aquis corpus Servi Dei se vidisse, et notasse, quod nunquam in vita tam pulcher fuerit, quam post mortem. Denique causa nulla, inquit, mortis in illo fuerat, quam quod fuerit cum S. R. Ecclesia unitus. (84v)

(115 testis)

Sed et Sacristianum ecclesiae Collegiatae Vitepscensis, nomine Tychon, vocari fecimus, qui solus dicebatur fuisse in anticamera Servi Dei, ultimo orante in ulteriori camera. Et licet nullus fuerat, qui illum inibi praesentem fuisse diceret ex familia Archiepiscopi, tamen ex una parte nullus fuerat, qui illum omnino fuisse negaret; ex alia vero in seniculo iam et simplicissimo, atque in simplicitate optimo



Unito periculum mendacii non timebatur; datus est illi locus saltem ultimus inter testes.

Hic itaque Tychon testatus est sub iuramento solum se fuisse in anticamera quando Servus Dei hostium impetum videns monuit illum ne appropinquaret fenestrae propter globos sclopetarios, quos versus anticameram, et ipsam cameram dirigebant hostes. Ipse vero in cameram ulteriorem processit, atque inibi, credo, in oratione quartam circiter partem horae consumpsit, egressusque recta hostibus occurrit.

(116 testis)

Denique honesta matrona, Georgii Buievicii coniux, filia Generosi D. Gregorii Uszacki, testata est R. P. Dorotheum Archidiaconum ita fuisse a Schismaticis in illius oculis contusum, ut iam mortuum putantes relinquerent. Quin imo etiam parum abfuit, quin submergerent, nisi Dominus Deus illum pro miraculo reservasset.

His testimoniis fidelissime exceptis, citatis omnibus trina citatione ad comparandum et dicendum, si quid haberent pro vel contra de vita et martyrio Servi Dei Josaphat Archiepiscopi, nec quoquam comparante, denique exhortatione ad populum per admodum R. D. Archidiaconum Albae Russiae habita, Actio inquisitoria ultima finita est.

#### ACTIO DECIMA ET ULTIMA.

Eodem Sabatho - die pomeridiano.

Ad instantiam plurium Catholicorum, utriusque ritus, ex communi Patrum consensu placuit locis illis, quae Servus Dei post mortem sanguine suo sparserat, et miraculis celebres reliquerat, signa aliqua et cruces ad memoriam tanti viri erigere. Itaque diligenti facta inquisitione, ubinam ante mortem oraverit, primum ictum acceperit, primo et secundo ab universa plebe illusus fuerit, ex qua parte montis ardui deiectus fuerit, in qua parte pedis montani ad navigium deferendus iacuerit (85), in quo loco submersus, et denique in qua ecclesia, ex aquis extractus, depositus lucem Vitepsco restituerit. His, inquam, omnibus quaesitis, et repertis aliis tabellae sunt affixae, in aliis pro loci commoditate cruces erectae, benedictis tamen prius crucibus per Ill.mum et Rev.mum D. Suffraganeum Vilmensem, in praesentia populi.

Neque vero et Vitepscensem Inquisitionem Deus voluit relinquere sine signo aliquo, quo demonstraret manifeste, quis illius fuerit effectus. Sequenti enim, post finitam Inquisitionem, die, id est Dominica Laetare, Ill.ris et Generosus D. Vicepalatinus Vitepscensis supradictus, media circiter die, venit in Curiam Archiepiscopalem cum universo Vitepscensi populo, ubi evocatis Ill.mis et Rev.mis Commissariis in aream illam in qua Servus Dei Josaphat occisus fuerat, tota civitas plane innumerae multitudinis intus et extra Curiam procidit ad pedes Ill.mi D. Archiepiscopi flens et eiulans. Ill.ris vero Dominus Vicepalatinus oratione ad Ill.mum D. Archiepiscopum praemissa confitebatur nomine totius civitatis peccatum illorum tanquam actu poe-

nitentiam agentium, poenitentiam nomine illorum toti civitati iniungi petiit, ut illos abhinc in suas oves recipere dignaretur cum lachrymis publicis omnium supplicabat. Sed et omnes reliquos Rev.mos Sedis Apostolicae Commissarios pro intercessoribus inclamarunt. In medio itaque populi fletu, et Patrum consolatione, Ill.mus Archiepiscopus consolari se supra poenitentiam illorum dixit, et si fructus dignos poenitentiae adverterit in suas oves illos facile agniturum se promisit.

Haec dum aguntur Ill.mus D. Vicepalatinus refert hanc poenitentiam ipso die adventus Rev.morum Commissariorum Vitepscum fuisse divinitus monstratam cuidam foeminae, quae in iudicio Castrensi publice fassa est. Prima enim die sessionis Vitepscensis vidit in somnis dicta foemina supra copulam templi, in quo Inquisitio fuerat, lunam et solem sanguineum, ita ut sanguis solis in ipsam crucem copulae deflueret. Puer vero quidam clamabat: « fugite, fugite ». Et ecce omnes Patres familias civitatis suas domos verrentes extra in plateam sordes eiiciebant. Non enim vanum fuisse hoc somnium publica illa peccati confessio clare demonstravit. Sed et feria 2-a post Dominicam Laetare, et instante vigilia Annuntiationis B.mae Virginis (85v) secundum vetus Calendarium, venerunt principales cives Vitepscenses ad Ill.mum Archiepiscopum, et confessarios sibi assignari petierunt. Assignati itaque pro confessariis Rev.mus Haliciensis, Rev.di Igumeni Polocensis et Mohiloviensis, item Rev.di Patres Sebastianus et Hermanus, Notarii apostolici, ipsa die Annuntiationis B.mae Virginis confessiones plurimorum principalium exceperunt.

Sed et ad complementum Inquisitionis vocati sunt ad Curiam archiepiscopalem Hebraei praecipui Vitepscenses, nomine Caim Alexandrowicz, Simicha Zelenij, Abraham Marcharinicz, Daniel Samuełowicz, qui omnes unanimiter longum Servo Dei testimonium dederunt sanctitatis, amoris, concordiae, ita ut ipsos, inquit, nos iudaeos reconciliare studuerit, alias ad prandium etiam dissidentes invitans. Occisus, quia Unitum se esse dicebat. Ad occidendum Patrem Archiepiscopum illi solum non venerant, inquit, qui in cunis, vel in lecto iacuerant. Cum quaererent ex nostris iudaeis parricidae, utrum qui occisus fuerat fuerit Archiepiscopus, dixerunt iudaei: « Si cilicio indutus est, ipse est Pater Archiepiscopus ». Cum de monte deiceretur putarunt omnes iudaei nec minimum os integrum relictum fuisse. Denique lachrymis se occisum prosecutos fuisse, et nunc prosequi.

Ad extremum, cum in transitu, et reditu Polocia casu descenderrunt Dev.mi Commissarii ad Nobilem quemdam, Schismaticum potentissimum, nomine D. Samuelem Mirski, supremum Terrae Bracłaviensis Iudicem, cumque de Servo Dei mentionem fecissent insignem de innocentia, sanctitate, pietate dedit attestationem, ideo affirmans occisum fuisse, quia Unitum se dicebat; sed duo in particulari recensuit. Primo, quodam tempore traiciebat Servus Dei fluvium Ula, sub aula plane dicti D. Iudicis, et ecce, me, inquit, vidente Nobilis quidam nomine Jesmont familiam illius sine ulla causa aggreditur, vulnerat, parum abest quin demergit. Servus Dei nil commotus venit ad dictum Dominum et cum summa tranquillitate, nullo quasi sui contemptus

habito respectu, eo die ibidem hospitatus est. Altera vice eundem fluvium traiciens parum abfuit, quin submergeretur. Postea secundum suum solitum ad dictum Mirski descendit et nil amplius dicit praeterquam quod: « hi, inquit, submergere hic dicerent de te, Domine Judex, quod me submergi iuberet ». Unde addidit D. Mirski illum timuisse insimulationem etiam in propria causa.

Sed et discenderunt etiam Ill.mi Commissarii ad haereticum quemdam Calvinistam (86), Martianum Giedroyc, Vicedapiferum Terrae Polocensis. Qui requisitus, quid de Servo Dei sentiret, non dissimile priori dedit testimonium. Addidit praeterea longum elogium humanitatis Servi Dei, et viceversa amoris aliorum erga illum, ita ut licet plurimi fuerunt, quibus Pater, inquit, Archiepiscopus litem ex parte honorum ecclesiasticorum occupatorum intenterat, omnes tamen summe iustum illum esse dicerent. Sed et coniux ipsius, acerrima Schismatica, summopere Servum Dei laudabat de paterno affectu erga Moniales Ordinis S. Basilii; ex sua, inquit, mensa subinde fercula illis subministrabat.

His tota Inquisitione fidelissime exceptis testimoniis ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis, Sanctae Matris Ecclesiae exaltationem, Primatus S. ti Petri, ac S. Sedis Apostolicae defensionem, tota inquisitione finita, Ill.mi et Rev.mi, Adm. Rev. di Patres, et DD. Apostolici praesentis Inquisitionis Commisarii in maiorem dictorum fidei manus suas subscripserunt, et propriis sigillis signari mandarunt. D. O. M.

(*Nomina DD. Iudicum remissorialium*) (86v)

Locus sex sigillorum DD. Iudicum remissorialium.

Antonius Sielava Archiepiscopus Polocensis Commissarius Apostolicus manu propria.

Georgius Tyszkiewicz Episcopus Methonensis Suffraganeus, Custos Vilmensis Praepositus Grodnensis Commissarius Apostolicus manu propria.

Raphaël Korsak Episcopus Haliciensis, Coadiutor Metropoliae Chioviensis etc.

Nicolaus Dyrmunt Siniczky Canonicus Vilmensis, Archidiaconus Albae Russiae, etc.

Gennadius Chmielnicky Igumenus Monasterii Polocensis, Ordinis S. Basilii manu propria.

Gervasius Hostiłowski Igumenus Monasterii Mohiłowiensis, Ordinis S. Basilii, Commissarius Apostolicus, manu propria.

(*Subscriptio Notarii huiusmodi causae*)

Ego Albertus Brannicki, Notarius Apostolicus perpetuus, ad Inquisitionem praesentem ab Ill.mo Domino Episcopo Vilmensi tanquam principali Commissario apostolico missus, fidem facio me omnibus et singulis supra relatis, et recensitis, ac dum referebantur,



et recensebantur praesentem interfuisse, atque hanc ipsam testium depositionem per RR. Patres infrascriptos Nuntios apostolicos collationatam confecisse, et mea propria manu scripsisse, et cum originali contulisse, ac quoad omnia puncta, paragraphos, et articulos conformissima esse, in eiusque rei maiorem fidem totam hanc Inquisitionem manu mea propria subscripsi et sigillo meo muniri feci. Idem qui supra. etc.

(*Sigillum Notarii causae*)

Locus sigilli.

(*Subscriptio alterius Notarii huiusmodi causae*)

Ego Sebastianus Kacinsky, Ordinis S. Basilii M., Inquisitionis de vita et morte Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis et causae remissorialis, et compulsorialis a Rev.mis DD. Iudicibus subdelegatis, et remissorialibus Apostolicis Notarius electus, deputatus, et iuratus, qui executioni praedictarum remissorialium et compulsorialium, testium productionibus, eorumque iuramentis ac toto desuper fabricato processu toto mense Aprili, et diebus triginta interfui, et de his omnibus rogatus fui. Ideo hoc praesens registratum processum in hac una et aliis 65 paginis simul sutis examinavi, et quia huiusmodi transumptum, copia sive exemplum a principio praesentationis dictarum litterarum usque ad finem totius processus cum suo originali cum Rev.do Patre Germano Hostilowsky, Ordinis S. Basilii, Notario apostolico, qui de praesentatione supradictarum literarum remissorialium, et compulsorialium rogatus extitit, et ad auscultationem huiusmodi transumpti faciendam deputatus fuit, diligenter auscultavi, et collationavi cum suo originali in omnibus et per omnia concordare inveni. Ideo in fidem hic me propria manu subscripsi, approbans omnia singula in supradictis paginis contenta. Et ideo sigillo meo religioso signavi, Maij 1, anno 1628.

Sigillum notarii. (87)

(*Subscriptio alterius Notarii*)

Ego Germanus Hostylowsky, Ordinis S. Basilii, Notarius apostolicus, et de praesentatione supradictarum literarum remissorialium ut praemittitur rogatus, et ad auscultationem huiusmodi copiae sive transumpti Processus remissorialis faciendam cum suprascripto R. Patre Sebastiano Kacinski, causae huiusmodi Notario electo et iurato, a praedictis DD. Iudicibus deputatus huiusmodi transumptum sive exemplum, et copiam cum R. D. Alberto Brannicki, Notario apostolico, incipiendo a praesentatione earundem literarum remissorialium usque ad finem totius Processus et registrationi testium in his 65 paginis consistenti, cum suo originali auscultavi, et collationavi in omnibus et per omnia cum dicto originali concordare inveni. Ideo in fidem me subscripsi approbans paragraphos omnes in hac tota Inquisitione expressos, et sigillo meo religioso signavi. Idem qui supra manu propria, etc. Subscriptio Notarii deputati ad collationandum processum etc.

Locus sigilli.

(Attestatio originalis, Romae)<sup>56</sup>

Praesens copia extracta fuit ex suo proprio Processu originali remissoriali, auctoritate Apostolica in partibus facto, cum quo per me Notarium infrascriptum facta felici, ac diligenti collatione, et auscultatione, cum eodem Processu concordare inveni, et concordat etc.

Et in fidem etc.

Datum Romae hac die decima sexta Maii 1629.

Ita est Clearchus Buschus Sacrae Congregationis Rituum Notarius.  
(m. p.)

## APPENDIX AD PROCESSUM BEATIFICATIONIS AN. 1628

## 72.

Polock, 1618-1623

*Catechismus compositus a S. Josaphat et praescriptus sacerdotibus suae Archidioecesis. Textus adnexus fuit Processui Polocensi an. 1628 (cfr. fol. 70), et textui Processus an. 1637.*

ASV, *Archivum S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 119-131 (copia).

GUEPIN A., *Saint Josaphat...*, v. I, p. 3-19 (pièces justificatives).

CONTIERI N., *Vita di S. Giosafat*, Roma 1867; appendice V-XXII.

## Catechismus a Servo Dei Josaphato compositus

QUAERITUR . Quid nam sit esse Christianum?

RESPONDETUR. Est esse baptisatum in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, credere et confiteri Legem JESU Christi.

Q. Quid nam habere teneatur, qui confitetur Legem JESU Christi?

R. Haec quatuor: Primo: Confessionem Fidei, Secundo: Modum orandi Deum, Tertio: Scientiam illorum quae facienda sunt et quae fugienda, ut quis placeat Domino Deo, Quarto: Notitiam mediorum, per quae gratia DEI acquiri possit, aut augmentum illius. Qui haec facere sciverit est verus Christianus, et salvabitur.

Q. Quomodo quis haec facile addiscere posset?

R. In primis addiscere tenetur Symbolum Fidei. Deinde Orationem Dominicam, hoc est: Pater Noster. Praeterea decem praecepta Decalogi. Denique septem Ecclesiae Sacramenta. (119v)

<sup>56</sup> Haec ultima mea est adnotatio. Attestatio haec scripta est manu propria Notarii Buschi.

## P A R S I.

## D E F I D E

QUAERITUR. Quodnam sit Symbolum Fidei?

RESPONDETUR. 1-o. Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem caeli et terrae.

2-o. Et in JESUM Christum Filium DEI Dominum nostrum.

3-o. Conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Virgine MARIA.

4-o. Passum et sepultum.

5-o. Qui descendit ad Inferos et resurrexit a mortuis.

6-o. Ascendit in caelos, sedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis.

7-o. Inde iterum venturus est iudicare vivos et mortuos.

8-o. Credo in Spiritum Sanctum.

9-o. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem.

10-o. Remissionem peccatorum.

11-o. Carnis resurrectionem.

12-o. Vitam aeternam. AMEN. Hoc est Symbolum Apostolicum.

Praeterea est etiam Nicaenum, quo in Liturgia et in Canone ecclesiastico utimur.

Q. Quare nam Symbolum appelletur?

R. Symbolum vocatur idiomate Graeco, secundum nos autem dicitur Sklad, hoc est Compositio.

Q. Cur nam dicatur Apostolicus?

R. Quia illud SS. Apostoli composuerunt, cum totum mundum peragrarent Evangelium praedicando. (120)

Q. Quid contineatur in illo Symbolo?

R. Duodecim articuli Fidei Christianae; unus de Patre, sex de Filio, quinque de Spiritu Sancto.

Q. Quid significat verbum: CREDO?

R. Significat, quod ego firmiter profiteor, et pro certissimo habeam illa omnia, quaecumque continentur in illis duodecim articulis. Propterea, quia docuit Apostolos ipse DEUS, Apostoli vero docuerunt Ecclesiam, Ecclesia docuit nos. Et quoniam impossibile est DEUM mentiri, ideo illa omnia certiora esse iudicio, quam alia, quae oculis video et manibus palpo.

Q. Quid significant verba: CREDO IN UNUM DEUM?

R. Significat, quod licet diversae sint Personae: Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tamen illi Tres sunt unus Creator omnium rerum, et unus Dominus. Licet Pater sit DEUS et Filius sit DEUS et Spiritus Sanctus sit DEUS, tamen non tres sunt Dii, sed unus DEUS. Et illarum trium Personarum est una deitas, et una essentia. Et hoc est mysterium Sanctissimae Trinitatis.

Q. Potesne dari aliqua similitudo SS. mae Trinitatis?

R. Potest. Anima hominis, quae creata est ad imaginem DEI; una est in sua essentia, tres tamen habet potentias: intellectum, voluntatem, et memoriam. (120v)



- Q. Quid significat vox: PATREM?
- R. Significat, quod ille sit verus naturalis Pater Unigeniti Filii sui. Est etiam Pater noster, sed per gratiam, non autem naturalis.
- Q. Quis sit secundus articulus?
- R. Et in JESUM CHRISTUM Filium eius unigenitum, Dominum Nostrum.
- Q. Quis nam sit Christus?
- R. Est Filius Dei Patris ante saecula ex illo natus, ita Omnipotens, ita Sapiens, ut Ille. Qui propter nos factus est homo in utero Sanctissimae Virginis MARIAE.
- Q. Quomodo id factum est?
- R. Non virtute humana, sed virtute Spiritus Sancti. Quia illa permansit Virgo sicuti ante partum, ita et post partum. Atque ita Filius Dei in caelo non habet Matrem, in terra non habet Patrem.
- Q. Quare fuit crucifixus et sepultus?
- R. Propter nos miseros homines, et propter nostram salutem, ut nos purgaret a peccatis nostris, et erueret de manibus inimicorum nostrorum, diaboli, et inferni, atque ita redimeret nos sanguine preciosissimo in ligno Sacratissimae Crucis.
- Q. Ergo nos fuimus captivi, si nos redemit? (121)
- R. Vere fuimus captivi, et servi peccatorum nostrorum, mortis, diaboli et inferni.
- Q. Quid ergo fecit Salvator noster cum descendit ad Infernum?
- R. Eduxit SS. Patrum animas et aliorum Sanctorum, quae fuerunt in inferioribus partibus terrae prope infernum, expectantes sanctum gloriosum adventum illius.
- Q. Quomodo resurrexit a mortuis tertia die?
- R. Surrexit a mortuis ad vitam beatam in anima et corpore. Glorificatus, ut iam amplius nunquam moriatur.
- Q. Quomodo ascendit in caelos, et sedet ad dexteram Patris?
- R. Ascendit quadragesima die post suam a mortuis resurrectionem et supra omnes caelos et supra omnes Angelos propria sua virtute et potestate, ubi nunc est cum maxima gloria ut Filius DEI verus.
- Q. Quomodo veniet iudicare vivos, et mortuos?
- R. In die Iudicii, in fine mundi, veniet de caelo cum magna gloria, et cum exercitu SS. suorum Angelorum, ut iudicet homines, et unicuique reddat secundum opera et merita illius.
- Q. Credis ne in Spiritum Sanctum?
- R. Credo quia verus est Deus, et tertia Persona Sanctissimae Trinitatis a Patre (121v) per Filium procedens.
- Q. Ergo Latini non bene dicunt, quia Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit?
- R. Bene. Unum est illud quod ipsi dicant: A Filio, cum eo quod nos dicimus: per Filium.
- Q. Quomodo id fieri potest?
- R. Eo modo, quo Scriptura Sacra solet dicere de creatura, quod sit per Filium; Joann. 1<sup>o</sup>: « Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil ». Ad Hebr. 1<sup>o</sup>: « Per quem saecula facta sunt »; nihilominus tamen nullus eo impietatis processit, ut non cre-

dat, quod creatio omnium rerum ita est a Filio, ut et a Patre, licet non dicat Scriptura a Filio sed tantum per Filium.

- Q. Quaenam sit causa quod Sacra Scriptura hoc modo dicendi utatur?
- R. Quia illo tempore plenus fuit mundus Ethnicis, qui non unum, sed plures Deos confitebantur; ne itaque putarent quod Christiani etiam pariter plures Deos habeant: Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, propterea Sacra Scriptura hoc modo loquendi utebatur. Patri id adscribens, quia ab illo omnia, Filio vero, quia per illum omnia, Spiritui vero Sancto, quia in illo omnia, atque ita exprimitur Unicum principium. Idem etiam de Spiritu Sancto intelligendum est.
- Q. In Symbolo autem Nicaeno quare est scriptum: A Patre procedentem, et non additum a Filio?
- R. Fecerunt id SS. Patres contra Macedonium Haereticum, et alios adhaerentes ipsius, qui sic docuerunt: quod Spiritus Sanctus procedat a Filio tantum, et non a Patre, et propterea tantum mentionem fecerunt (122) Patris, respectu cuius processionem Spiritus Sancti non agnoscebant Haeretici.
- Q. Utrum in Scriptura Sacra alicubi reperiat, quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, sed tantum a Patre?
- R. Nullibi reperitur, immo vero contrario modo, quia scilicet procedit a Filio, quia CHRISTUS Joann. 16. dicit: « Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi vobis quia de me accipiet ». Et cap. 17<sup>o</sup> dicit: « Mea omnia Tua, et Tua mea ». SS. vero Patres clare idem testantur.
- Q. Quidnam inde sequeretur, si diceremus, quod Spiritus S. non procedit a Filio?
- R. Id sequeretur, quod iam Filius non esset in omnibus aequalis Patri. Pater enim excepta paternitate haberet aliquid amplius, quam haberet Filius, quod est blasphemum in Fide Christiana, contra fundamentum Fidei de Sanctissima Trinitate.
- Q. Si verum est, quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio, ergo duo principia erunt Spiritus Sancti, et non Unum?
- R. Nequaquam, sicut enim non sequitur ex eo quod creatio caeli et terrae sit a Patre et Filio et Spiritu Sancto esse tres Trinitates, sed tantum est unica, propterea, quia unica est virtus per quam Tres Personae crearunt caelum et terram. Similiter hic quoque, quia unica est Virtus spirativa Patris et Filii coniuncta, et indivisibilis, ideo per illam spirat Pater et Filius, non ut duo Spiratores, sed ut unus tantum. Atque ita Pater et Filius est unum principium Spiritus Sancti. (122v)
- Q. Quid est Ecclesia Catholica Oecumenica?
- R. Est tota Congregatio Fidelium sub uno Capite invisibili Christo Domine, et visibili Vicario CHRISTI.
- Q. Quisnam sit Vicarius CHRISTI?
- R. Successor Principis Apostolorum, Petri; uni enim S. Petro commisit Deus pastorum Catholicum Oecumenicum, et non aliis Apostolis. Atque ideo illa potestas remanet tantum in successore

Petri, et non in successoribus aliorum Apostolorum. Hoc enim modo Pastores Oecumenici essent duodecim, quod nullus hactenus dixit.

Q. De Patriarchis autem Orientalibus quid sentiendum est?

R. Sunt Episcopi, sed si in Unione cum successore Petri non fuerint Pastores non sunt, salvari non possunt, tam illi ipsi, quam etiam seguaces illorum.

Q. In quo consistit haec Unio?

R. In hoc, ut sit una Fides, licet caeremoniae ecclesiasticae et Ritus est alius in Ecclesiis Nostri Rutenis, alius apud Latinos, et diversa Sacramentorum administratio. Uno Corpore et Sanguine CHRISTI utimur diverso modo nos a Latinis. Nos sub duabus speciebus, illi sub una, nos in fermentato pane, illi in azimo, nihilominus tamen de illis Sacramentis una eademque nostrum est fides. Quia scilicet non est simplex Panis nec simplex Vinum, prout docent Haeretici, sed quod sit vere Corpus et Sanguis ipsius ita, ut etiam in minutissimo fragmento panis divisi inveniatur integer CHRISTUS. Ita nos credimus, ita credunt Latini. (123)

Q. Quid intelligendum per Sanctorum Communionem?

R. Quod illi omnes, qui sunt in dicta Ecclesia habent communem participationem Sacramentorum, Sacrificiorum, orationum et aliorum bonorum operum, quae in Ecclesia fiunt, sicuti membrum in corpore unum est particeps virtutis alterius.

Q. Quomodo fit remissio peccatorum?

R. Fit per merita Domini Nostri JESU CHRISTI et potestate ipsius, quam ille dedit Apostolis, Apostoli Episcopis, Episcopi Sacerdotibus pro absolvendis illis, qui confitentur.

Q. Possuntne sine confessione remitti peccata?

R. Possunt, quando erit contritio et propositum confitendi.

Q. Quomodo erit resurrectio mortuorum?

R. In die Iudicii a mortuis resurgent omnes homines mortui, in anima speciosissimi et in corporibus glorificatis, mali vero contrario modo abominabiles et turpissimi.

Q. Quid nam sit vita aeterna?

R. Est gloria Regni caelestis, hoc est videre Deum, et gaudere cum illo in aeternum, possidendo omnia bona, sine ullius mali admixtione, atque ubi erunt boni. Mali vero descendent in ignem infernalem ad poenas aeternas.

Q. Daturne aliquis tertius locus pro animis e corpore discendentibus?

R. Datur, et vocatur ille locus Purgatorium. Ad quem eunt illi qui moriuntur in gratia DEI; ideo tantum, quia non satisfecerunt in hac vita pro praeteritis peccatis non videbunt faciem DEI, donec exsolvent omnia in quibus deliquerunt. Postquam autem debitas luent poenas, illi quoque (123v) gloriae caelestis participes efficientur.

Q. Possumusne nos, qui vivimus, suffragari defunctis in purgatorio existentibus?

R. Possumus, et hoc facit S. Ecclesia cum Liturgiis, supplicationes,



exequias, odas, et alias orationes pro defunctis nos absolvere iubet.

## PARS II.

### DE ORATIONE DOMINICA: PATER NOSTER (123v)

QUAERITUR. Quae est oratio Dominica?

RESPONDETUR. Illa: Pater noster, qui es in Caelis, 1<sup>o</sup>: Sanctificetur nomen tuum, 2<sup>o</sup>: Adveniat Regnum tuum, 3<sup>o</sup>: Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, 4<sup>o</sup>: Panem nostrum substantialem da nobis hodie, 5<sup>o</sup>: Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, 6<sup>o</sup>: Et ne nos inducas in tentationem, 7<sup>o</sup>: Sed libera nos a malo.

Q. Quare illam dicimus orationem Dominicam?

R. Quia ipse Dominus Noster JESUS CHRISTUS ore suo docuit illam discipulos suos.

Q. Quo fine nos illam docuit?

R. Ut nos doceret quomodo orare debeamus, quidve a Domino DEO petere.

Q. Estne aliqua oratio melior illa?

R. Non est. Quia illam ipse Dominus docuit, et includit in se omnia illa (124), quae nobis optare, et a Domino DEO petere debeamus.

Q. Quare Deum dicimus Patrem, dicentes PATER NOSTER?

R. Ut nobis in memoriam revocantes amorem immensum, quo nos diligit Deus, tanto cum maiori fiducia et securitate ab illo petere possumus omnia quae nobis necessaria sunt, tanquam filii a parente.

Q. Quare dicimus: Pater noster, et non: Pater meus?

R. Quia est Pater omnium hominum, et nos inter nos sumus fratres, et filii tam benefici parentis.

Q. Ubi est Deus?

R. Ubique, hoc est in caelis, in terra, et quolibet loco.

Q. Quare ergo dicimus: QUI ES IN CAELIS?

R. Quia ibi domus est nostra aeterna, ibi SS. vident faciem DEI, et ibi magis manifestatur magnificentia eius.

Q. Quot et quae includuntur in illa oratione Dominica?

R. Septem, quae petimus. Imprimis, ut dilatetur Gloria DEI, et includitur in illis verbis: SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

Q. In secunda petitione quid petimus?

R. Beatitudinem nostram et supremum bonum nostrum, hoc est ut DEUS in nobis hic in terra per gratiam suam sacrosanctam, postmodum vero in caelo per gloriam regnet. Hanc petitionem exprimitur illis verbis: ADVENIAT REGNUM TUUM.

Q. Si Deus non regnabit in nobis, quis nam regnabit?

R. Inimici animarum nostrarum, hoc est: Mundus, Daemon, Caro. (124)

Q. In aliis vero petitionibus quid petimus?

R. In tertia petitione petimus, ut faciamus voluntatem DEI, ita hic in terra, sicuti ibi in caelo faciunt Angeli et electi DEI.

Q. In quarta petitione quid petimus?

R. Ut nobis provideat de pane, et victu tam corporis quam animae, ut est Corpus et Sanguis eius Sacrosanctus, et gratia illius simul cum aliis donis Spiritus Sancti.

Q. In quinta autem quid?

R. Ut nobis dimittat peccata nostra, et debita nostra, uti nos etiam dimittimus proximis nostris. Quia Dominus Deus nobiscum eo procedet modo, quo nos quoque procedimus cum proximis nostris.

Q. Quid in sexta?

R. Ut nos non permittat incidere in tentationes, verum ut nobis det virtutem ad vincendum illos, et non peccandum.

Q. Quid vero in septima?

R. Ut nos liberet ab omni malo, tam spirituali quam corporali a Sathana inimico nostro.

Q. Quid sit peius et magis deforme: peccatumne an diabolus?

R. Absque dubio peccatum, quia diabolus deformis factus est non alia de causa, quam propter peccatum.

Q. Quam frequenter hanc orationem adhibere debemus?

R. Quam saepissime, et frequentissime, mane praesertim e lecto surgendo, et vesperi cubitum eundo.

Q. Suntne aliquae aliae orationes Christianis consuetae?

R. Sunt. Verbi gratia ad SS.mam V. MARIAM et ad SS-os DEI. (125)

Q. Quae sunt ad SS.mam V. MARIAM?

R. Diversae sunt orationes. Primarium locum obtinet illa, quam nos docuit Archangelus Gabriel, et Elisabeth, Mater Joannis Baptistae. Illa autem sic se habet: DEI Genitrix Virgo Ave MARIA, gratia plena Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, quoniam genuisti nobis CHRISTUM Salvatorem et Liberatorem animarum nostrarum. Est praeterea alia quoque oratio brevissima, quae addi potest: Sanctissima Virgo DEI Genitrix, Domina totius misericordiae, ora pro nobis peccatoribus.

Q. Quando haec oratio ad B.mam V. dicenda?

R. Statim post Pater Noster. Gratissimum enim est JESU CHRISTO D. N. cum memoriam facimus Sacratissimae eius Matris.

Q. Ubi est SS.ma DEI Genitrix?

R. In caelo.

Q. Illa autem quae est in ecclesia quid nam est?

R. Haec est imago illius, quae est in caelo, ut per hanc illam nobis in memoriam revocemus. Quoniam autem haec est imago illius debitum huic honorem deferimus ad laudem illius SS.mae Virginis.

Q. Quidnam dicimus illi in illa salutatione angelica et in illa oratione?

R. Salutamus, laudamus, et commendamus nos orationibus ipsius.

Q. Post Virginem MARIAM habesne aliquam devotionem versus alios Sanctos?

R. Vere versus omnes habeo tanquam versus fideles Servos Dei (125v) et adiutores nostros in caelo. In particulari autem erga An-

gelum Custodem meum et versus illum Sanctum Patronum meum, cuius nomen gero.

- Q. De Reliquiis Sanctorum quid sentire debeamus?  
 R. Illis quoque honorem debitum deferimus propterea, quia fuerunt domus Spiritus S. et quia coniungi debent cum animabus illorum glorificatis.  
 Q. Quomodo illos oras?  
 R. Eo modo quo me orare docet S. Ecclesia, aliquando vero ad laudem illorum dico Pater Noster et Ave Maria.

### PARS III.

#### DE DECEM PRAECEPTIS DECALOGI

- QUAERITUR. Quenam sit tertia pars debiti Christiani?  
 RESPONDETUR. Scire decem praecepta Decalogi, in quibus continetur id quod facere debeamus et quid fugere.  
 Q. Quenam ergo sunt decem praecepta Decalogi?  
 R. Ego sum Dominus Deus Tuus. 1-m: Non habebis Deos alios praeter me. 2-m: Non accipies nomen Domini DEI tui in vanum. 3-m: Memento ut diem Sabati sanctifices. 4-m: Honora Patrem et Matrem tuam. 5-m: Non occidas. 6-m: Non fornicaberis. 7-m: Non furaberis. 8-m: Non dicas contra alium testimonium falsum. 9-m: Non concupiscas (126) uxorem proximi tui. 10-m: Non concupiscas domum proximi tui, neque agrum illius, neque servum illius, neque ancillam, neque bovem illius, neque asinum illius, neque ullum animal aut quicquam proximi tui.  
 Q. Quando Deus haec decem praecepta sanxit?  
 R. In primis in Lege Veteri. Postea Christus in nova confirmavit.  
 Q. Quomodo inter se dividuntur?  
 R. Tria prima ad laudem Dei, septem vero posteriores ad utilitatem proximi spectant.  
 Q. Quomodo illa tria ad laudem Dei referuntur?  
 R. Quoniam vult Dominus DEUS ut illi serviamus in primis corde, deinde verbo, et opera denique.  
 Q. Quomodo primo praecepto satisfacimus?  
 R. Laudando unum solum DEUM, illum timendo, et honorando et toto corde illi servendo, et exspectando ab illo omne medicamentum et aliam mercedem tanquam a principio omnis boni.  
 Q. Quis peccat contra hoc praeceptum?  
 R. Praecipue idololatrae, superstitiosi, divinatores, incantatores. Hi enim omnes contraveniunt honori illius.  
 Q. Quomodo secundo praecepto satisfacimus?  
 R. Laudando Dominum DEUM lingua nostra et gratias illi agendo et necessaria nobis ab illo petendo. (126v)  
 Q. Quis peccat contra hoc praeceptum?  
 R. Imprimis illi qui blaspheamant Nomen DEI et SS.m eius. Deinde



illi qui iurant in re falsa, vel sine ulla necessitate iurant. Praeterea illi qui votis non satisfaciunt. Denique qui non deferunt debitum honorem Nomini Divino.

- Q. Quare non dicatur ubi non est verum, iustum, et necessarium?
- R. Quoniam iuramentum debet esse in re vera, quae nulli subiacet falsitati, et cuius notitiam Iurans primo habere debet, item de re iusta, quae sit licita. Item de re iuridica quae aliquid valeat. alias enim non excusabitur a peccato. Et ad hoc requiritur honor versus illum per quem iuratur.
- Q. Datur ne aliquod iuramentum ne aliquis male iuret?
- R. Datur; nunquam iuretur.
- Q. Quomodo ergo dicendum dum quis vult aliquid pro certo affirmare?
- R. Ita est, vel non ita est, vere, profecto. Haec enim non dicuntur esse iuramentum. Quod si autem plus aliquid addideris, a recto deviabis.
- Q. Quomodo satisfacimus tertio praecepto, quod iubet Festa celebrare?
- R. Demonstrando exterioribus operibus fidem et charitatem, quam habemus in corde.
- Q. In quo haec demonstranda?
- R. Nihil laborando illa die, devotioni ecclesiasticae vacando, praecipue autem SS. Liturgiam audiendo, cum devotione et attentione; procurando, ut alii quoque nobis subiecti audiant Liturgiam.
- Q. Quid ultra agendum esset?
- R. Deberet illa dies consumi in rebus pertinentibus ad cultum DEI (127) ut in oratione, in lectione librorum divinatorum, et auditione illorum, in operibus misericordiae.
- Q. Quomodo satisfacimus quarto praecepto in honorandis Patrem et Matrem?
- R. Tenemur illos audire, et honorare, et servire illis, et iuvare illos.
- Q. Quodsi autem pater tuus iuberet te mentiri, vel aliquid peccatum committere, teneris ne illi obedire?
- R. Nullo modo teneor illis obedire in rebus Deo contrariis, sed tantum in rebus licitis et honestis.
- Q. Quam multiplices patres inveniantur?
- R. Quadruplices. Imprimis patres naturales, qui nos genuerunt, similiter et avi etc. Deinde patres spirituales, ut sunt Sacerdotes, Superiores spirituales, et Praedicatores. Tertio Reges, Gubernatores, et Magistratus civilis. Quarto denique senes, propter senectutem illorum. Hos vero omnes tenemur honorare, quemlibet secundum propriam uniuscuiusque conditionem.
- Q. Quid facere teneantur boni patres cum suis filiis?
- R. Debent illos docere et instruere, neque nimis corrigendo neque nimis indulgendo, sed his et illis mediis secundum rationem procedendo.
- Q. Quomodo se gerere debeant famuli, vel subditi versus proprios Dominos?
- R. Tanquam filius versus patrem suum, obedientiam illi praestando et honorem illi deferendo tanquam D. N. JESU CHRISTO.

- Q. (127v) Domini vero quomodo se gerere debent cum famulis suis?  
 R. Ita ut patres cum filiis, sicut fratres in Christo.
- Q. Quod est quintum praeceptum?  
 R. Non occides.
- Q. Quomodo satisfacimus huic praecepto?  
 R. Nihil mali facientes proximo nostro.
- Q. Quod est sextum praeceptum?  
 R. Non fornicaberis.
- Q. Quomodo nos gerere bebeamus in observando hoc praecepto?  
 R. Hoc pacto: fugiendo omnem corporalem turpitudinem, et deonestatem, non modo in opere, verum etiam in verbo, et in cogitatione, ut Dominus Deus in decimo prohibet praecepto.
- Q. Quo remedio utendum ad observandum hoc praeceptum?  
 R. Multiplex est remedium. Sed haec fortassis inter alia sunt potiora. Imprimis temperantia in cibo et potu. Deinde fuga malae societatis. Tertio abstinencia a lectione librorum impurorum, a colloquiis turpibus, ab inhonestis cantionibus et illorum auditione quantum fieri potest. Quarto, frequens Confessio et Communio. Quinto, denique petenda a Deo castitas, et a B. MARIA Virgine ut nobis a Christo Domino impetrare dignetur eandem. (128)
- Q. Quod est septimum praeceptum?  
 R. Non furaberis.
- Q. Quid in hoc praecepto continetur?  
 R. Ut non accipiamus neque apud nos detineamus quidquam alterius, neque vi, neque fraude, neque auxilio, neque consilio, neque ullo modo damnificando alterum.
- Q. Quomodo satisfacimus octavo praecepto?  
 R. Non dicendo falsum contra proximum, non murmurando, non detrahendo, non detegendo peccata occulta, nisi illi ad quem spectat illis remediare, vel aliquo alio bono fine. Non iudicando temere proximum, non dicendo falsum, quin imo benedicendo de quolibet ita, ut velles ipse de te ab omnibus bene audire.
- Q. Quomodo satisfacimus nono praecepto?  
 R. Non concupiscendo uxorem alterius neque ullam aliam turpitudinem. Et propterea necesse est custodire oculos, et alios sensus cohibere propter custodiam cordis, confugere ad orationem propter victoriam in tentationibus.
- Q. Quomodo satisfacimus decimo praecepto?  
 R. Non concupiscendo possessiones, neque ullam rem proximi modo iniusto, neque illi invidendo bona illius.
- Q. Potestne dici in brevitate, quod dictum est de decem praeceptis Decalogi?  
 R. Potest id concludi in duobus de Charitate praeceptis. Diliges Dominum Deum tuum super omnia, proximum vero sicut te ipsum propter Dominum Deum; in his brevibus verbis continetur tota Lex Divina et omnium quaecumque habentur in Sacris Scripturis. (128v)
- Q. Sunt ne alia praecepta Ecclesiae?  
 R. Sunt numero quinque. Primum: Festa ab Ecclesia constituta cele-

brare, hoc est Sacram Liturgiam illo die audire. Secundum: Ieiunare certis diebus, quae Ecclesia iussit observare, et a cibis vetitis illis diebus abstinere, et in specie quatuor ieiunia per annum. Tertium: Confiteri peccata coram Sacerdote habente a Superioribus suis potestatem. Quartum: Communicari Corpori et Sanguini Christi ad minus semel in anno et maxime in Paschate (?). Quintum: Decimas iuste persolvere.

- Q. Quare Ecclesia DEI memoriam SS.M DEI agere praecipit et celebrare?
- R. Ut Dominum DEUM laudemus in Sanctis eius. Deinde, ut inde colligamus gloriam quam Sancti habent in caelo. Tertio, ut vitam et bona opera illorum nobis talibus diebus colligamus, et illos imitemur. Quarto, ut speciali modo illis diebus nos illis recommendemus et intercessionem illorum apud Dominum DEUM imploremus. Quinto, quia S. Ecclesia vult Sanctos suos filios honorare, sicut illi honorarunt Deum et Ecclesiam.
- Q. Quare Ecclesia utitur diversis ritibus et caeremoniis?
- R. Imprimis propter maiorem cultum DEI, et praesentiam laudis eius. Deinde ad promovendam devotionem in hominibus, ut per exteriora cognoscant interiora. Tertio, quia cum habeamus a Domino DEO animam et corpus tenemur illi debitum praestare honorem per illa media, per quae in anima et corpore devotionem excitare possumus. Tales vero sunt ritus et caeremoniae ecclesiasticae.
- Q. (129). Dantur ne aliqua alia bona opera quae non exprimuntur in decem Decalogi praeceptis?
- R. Dantur, et illa sunt 7 opera misericordiae, quaedam spiritualia, quaedam corporalia.
- Q. Quae sunt opera misericordiae corporalia?
- R. Esurientes pascere, Sitientes potare, Nudos vestire, Incarceratos redimere, Infirmos visitare, Peregrinos in domum recipere, Mortuos sepelire.
- Q. Quae sunt opera misericordiae spiritualia?
- R. Peccatores a peccato revocare, Ignorantes docere, Dubitantes bene instruere, pro Proximis DEUM orare, Afflictos consolari, iniurias patienter ferre, offensas dimittere.
- Q. Quot sint cardinales virtutes?
- R. Quatuor: Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia.
- Q. Quot sunt Dona Spiritus Sancti?
- R. Septem: Sapientia, Intellectus, Consilium, Scientia, Fortitudo, Pietas, et Timor Dei.
- Q. Suntne aliqua peccata, de quibus non fit mentio in decem praeceptis Decalogi?
- R. Sunt 7 capitalia: Superbia, Avaritia, Impuritas, Ira, Invidia, Gula, Acedia.
- Q. Quare illa dicuntur capitalia?
- R. Quia sunt causa et caput aliorum peccatorum. Ordinarie autem sunt mortalia, licet aliquando possunt esse venialia.
- Q. Quot sunt peccata contra Spiritum Sanctum?



- R. 6; 1-o: Praesumptio, quasi aliquis possit salvari sine meritis, 2-o: Desperatio de misericordia DEI (129v), 3-o: Oppugnatio veritatis agnitae, 4-o: Invidia bonorum spiritualium quae proximi nostri a Domino DEO habent, 5-o: Obstinatio in peccato, 6-o: Mors sine poenitentia.
- Q. Quot sunt peccata, quae vindictam Domini DEI inclamant?
- R. Quatuor: homicidium voluntarium, peccatum sodomiticum, oppressio pauperum, viduarum et pupillorum, merces operariorum detenta.
- Q. Quid est peccatum?
- R. Est illud, quod quis concupiscit, vel dicit, vel facit contra voluntatem DEI et legem eius.
- Q. Quid mali faciat peccatum mortale?
- R. Facit, quod homo amittat gratiam Dei, et Deum, gloriam caelestem sibi promissam, et facit illum reum damnationis aeternae.
- Q. Quare illud dicimus mortale?
- R. Quia occidit animam et facit quod illa amittat vitam suam, hoc est gratiam Dei.
- Q. Peccatum autem veniale quid facit?
- R. Non aufert gratiam Dei, neque meretur infernum, sed reddit hominem tepidum in orationibus, et servitio divino, et meretur poenam temporalem et disponit ad peccatum mortale.

## PARS IV.

### DE SEPTEM ECCLESIAE SACRAMENTIS

- Q. Quot sunt Ecclesiae Sacramenta?
- R. Septem: Baptismus, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.
- Q. Quis instituit haec Sacramenta?
- R. Dominus Noster JESUS CHRISTUS.
- Q. Quare instituit?
- R. Pro remissione peccatorum nostrorum, et merito Sacratissimae suae Passionis pro communicatione gratiae suae. In quolibet (130) enim Sacramento confertur nobis gratia, propter aliquid particulare, sed illa digne sunt recipienda.
- Q. Ad quid necessarius est Baptismus?
- R. Ut homo fiat Christianus et filius Dei.
- Q. Quomodo id fieri potest?
- R. Quia omnes nascimur in peccato originali, quod haereditario quasi iure a primis parentibus nostris in nos descendit, hoc est ab Adam et Eva. Hoc peccatum cum omnibus aliis remittitur in Baptismo et confertur nobis gratia cum omnibus habitibus bonis. Atque ita ex filiis damnationis efficimur filii Dei, et haeredes Regni caelorum.
- Q. Ad quid Confirmatio est necessaria?
- R. Ad recipiendum gratiam DEI, et virtutem contra inimicos nostros

spirituales, et tentationes illorum, propter confessionem fidei, quam suscepimus in Baptismo.

Q. Sacramentum Poenitentiae ad quid est necessarium?

R. Ut Dominus Deus dimittat nobis peccata nostra, quae commisimus.

Q. Quomodo quis sese praeparare possit, qui vult confiteri?

R. Haec facere debet. In primis: diligenter in memoriam revocare peccata quae commisit. Deinde: dolere pro illis corde contrito et habere propositum non amplius redeundi ad peccatum. Tertio: integre confiteri omnia sua peccata et poenitentiam implere, quam Confessarius iniunxerit.

Q. Quis sit modus praeparationis bonae ad SS. Confessionem?

R. Quolibet die eundo cubitum conscientiam propriam examinare. Quolibet vero mane totum semetipsum Domino DEO commendare ut eo difficilius homo peccare possit. (130v)

Q. Quomodo tuam examinas conscientiam?

R. Imprimis, gratias ago Domino DEO pro omnibus beneficiis quae ab illo accepi. Postmodum, examino peccata illo die commissa, pro illis dolendo, et habendo forte propositum emendationis et confessionis. Tertio, rogo Dominum DEUM ut mihi illa dimittat, et facio forte propositum non amplius peccandi.

Q. Mane autem quid facere consuevisti?

R. Gratias ago Domino DEO quod me custodire dignatus fuerit illa nocte, et pro aliis beneficiis offero illi ad Sacrum illius obsequium animam et corpus meum, et illa omnia quae mihi facienda sunt, constituo apud me secundum posse meum et gratiam a Domino DEO mihi praestitam fugam omnium peccatorum. Et praeterea alias absolvo devotiones tam ore quam corde, tam cogitando quam loquendo.

Q. Sacramentum Eucharistiae ad quid est necessarium?

R. Ut anima nostra uniatur cum Deo, et ut hoc cibo spirituali roboretur in hoc temporali agone suo. Deinde, ut operatione talis Sacramenti in peccatum non labamur. Denique, ut omnem perfectionem christianam aquiramus.

Q. Quid est Eucharistia sive Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi Domini?

R. Est ipse Dominus DEUS et Salvator Noster JESUS Christus cum Anima et Corpore et Deitate sua, ita sicuti est in caelo. Idque tam sub specie Panis tam sub specie Vini, postquam Sacerdos consecraverit.

Q. Remanet ne Panis in Patina vel Vinum in Calice post consecrationem Sacerdotis?

R. Non remanet. sed virtute illorum verborum DEI: Hoc est Corpus meum et Hic est (131) Sanguis meus, quae Sacerdos adhibet in Consecratione, Panis transsubstantiatur in Corpus et Vinum in Sanguinem D. Nostri JESU CHRISTI. Hoc autem fit in Sacro Officio Liturgiae.

Q. Quid est Sacrosancta Liturgia?

R. Est memoria et ritus verus Vitae, Passionis et Mortis Domini No-

stri JESU Christi, simul etiam sacrificium, hoc est oblatio, in qua offerimus eundem JESUM Christum Dominum Nostrum pro vivis et mortuis. Atque ita necesse est, ut cum maxima devotione et reverentia hanc oblationem Domino DEO offeramus.

Q. Quomodo te praeparare possis ad dignam SS.mae Eucharistiae Communionem?

R. Debemus accedere cum magna humilitate, ut vilissimus subditus ad magnum Regem, cum devotione ut creatura ad Creatorem, praemissa antea confessione, et emundata conscientia ab omni peccato mortali.

Q. Ad quid est necessarium Sacramentum Extremae Unctionis?

R. Ad recipiendam gratiam Spiritus Sancti, et animae expiationem a reliquiis peccatorum, ad confirmandam animam et augmentum spei honorum aeternorum, et ad suppeditandas vires, ut possit resistere difficultatibus, et tentationibus morbi, et diaboli.

Q. Ad quid amplius confert?

R. Ad obtinendam sanitatem corporis, si id erit e voluntate DEI et salute nostra.

Q. Sacramentum Ordinis ad quid est institutum? (131v)

R. Ut per illum detur virtus et gratia DEI sacerdoti ad consecrandum Corpus et Sanguinem Christi, in remissionem peccatorum, quod nullus alius homo, excepto Sacerdote, facere potest.

Q. Matrimonii Sacramentum cui est usus?

R. Ut vir et faemina accipiant gratiam DEI ad complementum vitae, et educationem liberorum, ad laudem et gloriam DEI, ad multiplicandos homines Christianos, ut semper inveniantur qui DEO servire possint.

Q. Quomodo se gerere debeant erga semetipsos Vir et Uxor?

R. Vir debet diligere et honorare Uxorem suam tanquam sororem in Domino. Uxor vero debet venerari et obedire Viro suo tanquam Christo, et uterque debent amorem mutuum conservare, pacem, unanimiorem et fidem ita sicuti procedit Dominus Noster JESUS Christus cum Ecclesia sua.

Q. Estne aliquid praeterea scitu necessarium Christiano homini ultra ea quae supra expressimus?

R. Sunt. Imprimis: tres sunt potentiae animae nostrae: intellectus, voluntas et memoria. Deinde: quinque sunt sensus in corpore nostro: visus, auditus, gustus, tactus, odoratus. Tertio: tres sunt inimici hominis: mundus, caro, et daemon. Quarto denique: quatuor sunt novissima hominis: Mors, Iudicium, Infernus, Gloria caelestis.  
AMEN.

Josaphat Archiepiscopus Polocensis (mp)

### 73.

Polock, an. 1618-1623.

*Regulae et Constitutiones a S. Josaphat suis sacerdotibus praescriptae. Ex lingua ruthena in linguam latinam translatae et Processui Po-*



*locensi an. 1628 adnexae (cfr. fol. 70). σηχαῑῑ ωρη̄ῑ adnexus est etiam Processui an. 1637 (fol. 109-118). Notae sunt Alphonsi Guépin (p. 32).*

ASV, *Arch. S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 109r-118v.

GUEPIN A., *Saint Josaphat...*, vol. I: pièces justificatives, p. 21-32.

CONTIERI N., *Vita di S. Giosafat*, Roma 1867: appendice p. XXIII-XXXVI.

### Regulae S. Josaphat pro suis praesbyteris

1. **Primarium esse munus uniuscuiusque Sacerdotis, ut haec omnia notissima habeat, quae hic sunt descripta, et sciat rationem reddere tam SS.rum 7 Sacramentorum, quam etiam omnium circumstantium, quae hic describuntur.**
2. **Sacerdotes teneantur exemplo vitae suae pietatem homines instruere. Vita etenim sacerdotis bona efficaciter concionatur simplicibus hominibus. Unusquisque confiteri debet Confessario suo ab Archiepiscopo designato quam saepissime, praesertim vero: In Nativitate Christi, Purificatione B. M. V., Dominica prima Quadragesimae, Feria 5 Magna, Ascensione Domini, die SS. Apostolorum Petri et Pauli, in Transfiguratione Domini, aut Assumptione Deiparae, Nativitatis Beatissimae Virginis die, in Festo S. Archangeli Michaelis, die Festo S. Patris Nostris Nicolai; melius autem unusquisque faciet, si saepius hoc fecerit, etiam si praemitteret confessionem singulis SS. Liturgiis. Angelus etenim unusquisque Sacerdos a Scriptura Sacra, Malachiae praesertim, c. 3-tio, appellatur. Angelus autem necesse est habeat conscientiam angelicam, si in futura vita cum Angelis in caelo regnare cupit. Si autem aliter quis fecerit, caveat ne cum malis. Angelis ad inferos detrudatur. Praesbyterum quippe, dicit Gregorius Theologus, prius concernit mundum esse, deinde emundare, prius sanctificatum, deinde sanctificare. Nos debiti nostri memores coram Deo Nostro protestamur, quod culpam non incurremus, si aliquis vestrum impuro corde Missam dicere attentaverit, et Immaculatum suscipere Agnum, edens et bibens sibi eum in iudicium. Praecaveo siquidem Vos in re magni momenti.**
3. **OFFICIUM DIVINUM, licet absque Psalterio, illud solummodo quod in Horologio Divino reperitur unusquisque Praesbyter singulis diebus recitare tenetur: Nocturnum (etiamsi sine Psalterio), Laudes quoque absque Psalterio et Odis, Horas, Vesperas sine Psalterio, Completorium etiam sine Odis. Id autem nullum pariet sacerdoti incommodum. Poterit namque deambulando, iter faciendo recitare, habito diurnali, qui autem memoria tenet, tunc autem memoriter absolvere potest, dummodo cum attentione, quantum fieri potest, peragatur. Multi saeculares Officium Divinum singulis diebus absolvunt, et cur non est a nobis Sacerdotibus absolvendum? Diebus autem Dominicis et festis totum Officium cum lectione Psalterii et Odarum in ecclesia recitandum.**
4. **Ante LITURGIAM totum Officium Horologii Divini ad 6-am usque Horam absolvatur, deinde aliquot orationes ante Communionem recitentur, et tum demum ad praeparationem Sacri ac-**

cedendum, et non sicuti quidam faciunt, qui ommissa puero recitatione Horarum, ipsi Horis non persolutis peragunt Praeparatorium.

5. LITURGIAM SANCTAM singulis Dominicis, et singulis diebus festis omnino absolvant, praecipue vero in solemnitatibus Christi Domini, in Vigilia Nativitatis Christi, et in Nativitate Christi tribus diebus, in octava Nativitatis Christi Domini, in Circumcisione Domini, in Vigilia Epiphaniae, et ipso die Epiphaniae, et in crastinum Epiphaniae, ac octava eiusdem Epiphaniae Sanctae, in Purificatione B. V., in Annuntiatione, Feria 5 Magna, Sabbato Magno, et tribus diebus Paschatis, et si potest etiam fieri tota etiam hebdomada, feria 4-ta post 3-am Dominicam Paschatis, in Vigilia Ascensionis Dominicae, et ipso Ascensionis Domini die, et 8-va festi eiusdem, tribus S. Pentecostes diebus, et octava eiusdem festivitatis, in Transfiguratione Domini, et 8-va festi, in Assumptione B. V. M., et octava festivitatis, die S. Simeonis hoc est in novo anno 1 septembris, in Nativitate B. V., et 8 festi, in Exaltatione S. Crucis, et in octava festi, in Praesentatione B. V. et octava festi, pariterque in commemoratione Apostolorum, Pontificum, Martyrum quorundam, Sancti Praecursoris Joannis, et festo S. Michaelis Archangeli etc. Non debet autem considerari absentia vel praesentia hominum, licet enim illi adsint, vel non adsint, S. Missae sacrificium peragendum; erunt in culpa homines quod non venerint, et Sacerdos quod debebat officio suo persolvit.
6. Petendi Domini Officiales civitatis, ut layci homines poenis aggraventur, qui ecclesiam nollent frequentare.
7. Quia homines layci non sunt ad S. Poenitentiae Sacramentum proclives, commendamus sacerdotibus, ut singulis Quadragesimis, cum benedictione unam quamque in villis domum visitantes, excipiant confessiones. Hoc autem est omnino faciendum, et etiamsi tota Quadragesima hoc in opere consumetur, optime impendetur. Poterit etiam prius uno aut altero ante adventum suum die proclamare in villis, ut ad hoc ieiunio et abstinentia quantum fieri potest unius, duarum, aut trium dierum praeparantur. Post adventum deinde confessiones illorum excipere. Inque eum meliorem finem adferre poterit secum Sanctissimum Corpus Christi et Salvatoris Nostri in sufficientia, et post confessionem eos communicare. Post Communionem autem benedicatur domus. Quodsi autem id fieri non potest, ad minimum sunt omnino confessiones excipiendae, quamquam nullum praemitterent ieiunium. Hoc autem de dissitis villis intelligendum. Pagi autem qui sunt viciniore ecclesiae, videlicet quarta parte leucae aut media leuca, aut etiam integra distantes, de his cura adhibenda, ut aut voluntarie ipsi accedant aut a Magistratu ad ecclesiam, confessiones, et Communionem Sanctam a parvo ad magnum compellantur. Tali ergo modo tempore Quadragesimae Magnae procedendum, tempore vero ieiunii Adventus Domini non oportet illos cogere, verum solummodo illos visitando cum benedictione

omnium excipiendum confessiones, uti superius scriptum, et absque Communione, tam in remotis quam etiam in vicinis ecclesiae pagis; qui vero voluerint sponte ad Sanctum accedere Eucharistiae Sacramentum poterint id facere. Villae autem illae atque oppida, quae ecclesias suas habent, ante ipsam Nativitatem Domini in ecclesia poterunt suas conscientias expiare, et communicare, praemissa decenti praeparatione; idem facient etiam ante Pascha. In id vero Sacerdoti diligenter persuasione sua et poenis Magistratus incumbendum, ut populus universus ad talia omnino assuescat.

8. SINGULIS DIEBUS FESTIS in ecclesia, peracta S. Liturgia, sacerdotes debent instruere plebem: facere signum S. Crucis tali ratione: ad homines facie, propria manu sibi SS. Crucis signum imponent, idem praecipient facere universos, neque una vice, sed iterabunt dicendo: «Domine Jesu Filii DEI, miserere nobis peccatoribus». Praeterea Pater Noster, Ave Maria, Credo in unum Deum doceant ignorantes, neque ullo dierum festorum hoc negligendum. Adiungatur iis explanatio quid nam sit Trinitas SS.ma, modo in catechismis nostris enarrato, quid sit Christus, quid Beatissima Virgo Maria. Doceantur et animam uniuscuiusque nostrum post mortem non mori, sed esse ex numero immortalium, superesse aliam vitam pro nobis, in qua opera hominum Dominus Deus iudicat et malos poenis addicendo aeternis, bonos autem vitae aeternae adscribendo. Docendi etiam ut gratiam Dei vitae procurent sanctitate, frequenti oratione, et confessione, et S.a Communione, ut de hac vita decedentes possint haereditare vitam aeternam illam caelestem, cuius gratia Universi a Deo nostri creati. Instruendi quoque sunt, hoc mundo finito, corpora nostrum omnium quae nunc terrae committimus a mortuis resurectura, et boni cum animabus et corporibus ad gaudia transferentur sempiterna, peccatores cum animabus pariter et corporibus ad poenas inferni demandentur. Quod si autem aliquis sacerdotum negligeret ista, degradationis reum esse Canones Sanctae Ecclesiae statuunt, Canon Apostolicus 58, et Concilii 6-ti Canon 19. Sine notitia etenim horum, quae hic sunt adnotata, nemo salvari poterit, etiam saecularis, ut in Simbolo dicit S. Athanasius.
9. Sacerdotes nihil possunt exigere a saecularibus pro baptismo, confessione, communionem, benedictione, sepulturis, aut pro quibuscumque obsequiis suis; id duntaxat accipiendum est quod illi offerent. Quod si vero alicui nihil esset ad offerendum, nec verbum dicendum est, verum libenter officia Sacerdotem concernentia exequenda.
10. In assidendo convivii hominum et simplicissimorum temperantiae et decentiae attendendum, a verbis scurrilibus abstinendum, sed de rebus spiritualibus, cum sobrietate domum abeundum.
11. Nullas quaestiones fidei aggrediantur, verum in simplicitate cordis permanendo sic sentiant et loquantur singuli Sacerdotum, quod credant ut credidit semper Ecclesia Universalis Apostolica,



nec plura se velle investigare. De mysteriis etiam fidei ignoranter discurrendo aut loquendo, aliquid contra fidem S. deliqui potest. In multiloquio etenim, dicit Sapiens, non deerit peccatum.

12. Caveat quilibet sacerdos ne subsit saeculari potestati et iudiciis eius; quod si id quis, spirituales suam contemnendo iurisdictionem, faceret, degradationis reus efficitur, ut testatur Concilium Gangrense Can. 6, et Concilium Antiochense Canone 5 et 26, Concilium Carthaginense can. 15.<sup>1</sup>
13. Singuli Sacerdotum subesse debent Archiepiscopo suo plenariam eis reddentes obedientiam, sicut Canon Apostolicum 39, qui sic se habeat: « Sacerdotes et Diaconi absque voluntate Episcopi nil faciant; huic etenim commissi sunt populi Domini, et hunc concernit reddere rationem animarum eorum ». Docent SS. Apostoli quod Sacerdotes non possint pascere populos non obedientes Pastori suo in cuius Dioecesi dimorantur. Ideoque sine voluntate eius aut data ab illo potestate confessiones excipere, neque alia ad munus sacerdotale pertinentia ministrare possunt. Quod latius declarat interpret Canonis illius; qui vult legat. Debent etiam in solitis orationibus Pastoris sui facere mentionem; si quis autem id non observaverit incurrit degradationem. De hoc testatur Constantinopolitanum primum et 2-um Concilium Can. 13, dicens: « Si quis Praesbyter aut Diaconus putans quod sciat Episcopum suum in peccatum lapsum, ante iudicium et sententiam synodalem omnium Episcoporum recedet a communione ipsius, et non faciet mentionem illius in Sacro, degradetur, et omni sacerdotali sorte privetur. Illi autem communicantes, si sunt Sacerdotes, degradentur, Monachi vero et layci excommunicentur, donec convertantur ». Canon hic docet, quod si Praesbyter inconsideratus in orationibus Pastoris sui non fecerit mentionem non solummodo ipse degradationes et iram Dei promeretur, verum etiam communicantes sibi in orationibus, offensae divinae et excommunicationis reos constituerit. Idem etiam de Episcopis dicit Canon 14 eiusdem Concilii, si quis obedientiam Metropolitanae proprio detractaret. Ideoque nos sicuti ipsi Canones SS. Apostolorum et SS. Patrum observamus, similiter unicuique Sacerdoti Dioecesis Nostrae mandamus, ut iis in omnibus subsint, maledictionem Canonum Sacrorum declinando, neque alios in eandem secum adducendo. Haec omnia latius a Concilio Antiocheno com-

<sup>1</sup> Canon Gangr. 6 et Antioch. 5 in eo consentiunt cum Regula, quod iubent nihil citra Episcopi voluntatem agendum a presbytero esse; silent vero de potestate saeculari, neque aliud S. Josaphat intellexisse videtur. Apertius autem ad hanc regulam respiciunt can 11 et 12 Antioch. Tum etiam conferendus can. Carthaginensis 117 (non 15), qui alias est 106. Sed ad rem omnino facit can. Afric. 13 apud Aristenum vel Carthag. 64 apud Simeonem Magistrum, qui alias inscribitur Carthag. 104 et 115. Apud Aristenum et Simeonem sic epitome concipitur: « qui cum non sit Episcopus civile iudicium a principe petierit ». Verba ipsius canonis sunt: « placuit ut quicumque a principe sententiam tribunalium civilium petierit, gradu suo privetur; si vero iudicium episcopale a principe expostulaverit, nihil ipsi prosit ».

probantur, quod canone 5 sic ait: « Quodsi sacerdos aut Diaconus odio abhorrens a suo Episcopo, et sua Synodo et altare constituat, et citatus a suo Episcopo non sese humiliarit neque subesse voluerit, nec primo et 2-do citatus obedierit, illico degradetur ». Qua de re latius habetur in expositione dicti Canonis.<sup>2</sup>

14. Promulgare aut denuntiare debent omnibus Dioecesis Nostrae populis, laycis hominibus, Nobilibus, Sacerdotes, ne ullam sine benedictione Nostra Archiepiscopali extruant ecclesiam. Sic etenim praecipit Concilium Chalcedonense 4-um can. 4-o, et Concilium Carthaginense canone 83.<sup>3</sup>
15. Ut Sacerdotes ad instantiam laycorum non apprehendant ullam ecclesiam sine licentia Nostra Archiepiscopali praesertim si nolent illos subiici obedientiae Archiepiscopali. Tales enim, qui haec attentant a Conciliis SS. excommunicantur. Inter alia Concilium Gangrense, canone 6 ita per expressum loquitur: « Quod si quis extra cathedralem ecclesiam seipsum segregat, et contemnens Ecclesiam, ecclesiastica voluerit exercere, non habens Sacerdotem subiectum Episcopo, sit excommunicatus ». Canon hic expresse dicit: Quod si quis contempta cathedrali ecclesia, quae proprio ab Episcopo gubernatur, extruxerit sibi aliam absque licentia Episcopi et secundum humorem suum Sacerdotem acceperit, talem excommunicat illa Synodus.<sup>4</sup>
16. Sacerdotes de Parochia ad Parochiam non transeant, verum in ea solum perseverent, quae a Nobis, Archiepiscopo, eorum curae committetur, neque in aliam Parochiam sese immiscere debent, sed suae tantum attendere, sicut docet Concilium praedictum Universale canone 15 et 16, et Concil. Laodicenum canone 41, et Concilium 4 Chalcedonense canone 20. Quod si autem Sacerdotum aliquis ausus fuerit huic contravenire, secundum Canones SS. poenis afficietur, excepto tantum, si Sacerdos illius Parochiae opera sua aliqua occasione uteretur, vel si Sacerdos Parochiae alicuius debitam Nobis obedientiam detractaret, neque Nostri solitis in orationibus faceret mentionem, eo ipso enim unusquisque Parochiae privatur, et Praesbytero nobis obedienti viciniore ea Parochia debet subiacere.
17. Si Magistratus aliquis saecularis intruderet se quibuscumque iudiciis spiritualibus, divortia videlicet faciendo, de his omnibus Nos, Archiepiscopum, reddant certiores.
18. Nullae personae saeculari a Sacerdotibus licentia datur sermones super ambonam legendi; hoc etenim prohibet Concilium 7 Universale canone 14.
19. Cum Haereticis, Lutheranis nempe, Calvinistis, Anabaptistis nul-

<sup>2</sup> Canon Apost. 30 est Dionysii Exigui 40, apud Simeonem 38, apud Aristenum 35, cuius versionem slavicam S. Josaphat sequitur. Tum Sanctus provocat ad Aristeni fusiorem commentarium.

<sup>3</sup> Canon Chalced. 4 apud Aristenum est 3, alias vero 4; quocum confert canon Carthag. non 83, sed 33 (alias 41).

<sup>4</sup> Recte can. Gangr. 6 non iuxta epitomem Arsenii, sed ex integris et sinceris verbis Patrum Gangrensiensium, addita tantum voce « Cathedrali ».

lum commercium habeant Nostri Sacerdotes, in eorum synagogis non adsint, neque exequias mortuis eorum celebrent, nec campanas in gratiam eorum sonent. Hoc etenim vetant Canones Apostolorum, canon 45 et 65,<sup>5</sup> atque idem ad notitiam aliorum quoque hominum saecularium deducant.

20. Ceremonias inutiles Sacerdotes non introducant in ecclesiam, uti v. g. signando homines cruce ad altare consistendo aut reverentiam hominibus, abeundo ab altari maiori ad minus, offertorii tempore, faciendo; neque etiam manu crucem formando saepius hominibus benedicent in Liturgia, duabus exceptis vicibus: Tempore elevationis, verba ista proferendo: «Salva Deus populum tuum et benedic haereditati Tuae», et in fine dum dicit: «Benedictio Domini super vos omnes». Quando vero Evangelium aut aliquam alta voce recitant orationem aut supplicationem, caveant ne verba sclavonica in ruthena transmutent, sed ita legant ut scriptum est. Postillas autem aut vitas SS. Patrum legendo possunt interpretari. In fine autem dum dicunt: «Christus verus Deus Noster etc.» commemorantes currentis diei Sanctum non dicant: «et cuius memoriam celebramus», verum simpliciter proferre tenentur: «et S. Martyris, aut Pauli etc. et omnium Sanctorum misereatur et salvet nos».
21. Monendus est a Sacerdotibus populus ut Liturgiae Sanctae ad finem usque assistant. Si aliquis verbis istis: «Benedictio Domini super vos omnes» nondum prolatis abiierit, incurrit separationem secundum Canonem Apostolicum 9; diligenterque hominibus commendando, ut diebus festis ac dominicis Sacrum audiant.
22. Si delegasset aliqua persona aut petiisset, ut Sacerdos familiae suae aut subditis Poenitentiae Sanctae administraret Sacramentum et requirent in scripto testimoniales eiusdem Sacerdotis, utrum familia illa aut subditi vere confessi fuerint, non recuset Sacerdos ei syngrapham aut quaecumque in scripto testimonium perhibere, dummodo vere confessiones eorum excipiat. Non desunt etenim tales impii Sacerdotes qui accepto aliquo a rusticis munusculo dicunt, quamquam id non fecerint, confessos fuisse.
23. Sacerdotes neque ipsi confessionibus audiendis expositi ebrii sint neque alios ebrios homines admittant ad confessiones. Verum tempore illo ad agendum negotium sanctum accedentes devotioni animum adiiciant excitandae, conscientiae ab omni macula emundandae, ne tales esse videantur, quales sunt illi qui in coeno ipsi permanentes, eluunt sordes aliorum.
24. Sacerdotes bigami, aut trigami quoniam contra interdictum SS. Apostolorum, canone 17, uxores duxerint et Concilii Novae Caesareae can. 11<sup>6</sup>, et S. Basilii can. 12, et aliorum SS. Conciliorum, ad haec contra veterem consuetudinem Ecclesiae Sanctae vetus-

<sup>5</sup> Sunt revera Can. Apost. 45 et 64.

<sup>6</sup> Debet esse can. Neocaes. 3 et 7 non vero 11.



tissimam orientalis, hi debent a Nobis absolvi pro tam gravi delicto cum solita poenitentia, et prout illis faciendum iudicabimus in omnibus obedire. Etiam si aliquis eorum dispensationem et in scriptis a Praedecessore Nostro, Patre Archiepiscopo Gedeone Brolniczki, haberet pro illa bigamia, hoc tamen nihil illis suffragari poterit; constitutionibus etenim Ecclesiae contradicit. Ideoque unusquisque talis in Liturgia Sancta dicenda, atque confessione hominum audienda ab hoc tempore suspenditur ita, ut si quis contrarium attentaret in posterum, secundum Canones praedictos a Nobis iudicabitur et punietur. Infirmi tamen eorum descendendo concedimus ut habeant vicarios Praesbyteros constantes, et irreprehensibiles propter peragendam S. Liturgiam et excipiendas confessiones. Iis vero ipsis ad ulteriorem dispositionem permittimus baptizare, matrimonio iungere, Vesperas, Matutinum, Horas, et alia Officia Ecclesiae exercere, excepta confessione et Liturgia. Atque ab hoc tempore, ex quo volente Deo in hunc Archiepiscopatum successimus Polocensem, si quis Sacerdos aut Diaconus mortua uxore sua prima cum secunda contrahere matrimonium auderet, talis absque ulla contradictione ab exercendo Sacerdotis officio et Ecclesia separandus, et cum saecularibus computandus. Quod si vero aliquis bigamorum Sacerdotum non posset vicarium procurare, tunc Praesbyter proximus unigamus obedientiam nobis praestans Parochiae et Sacerdotis illius bigami confessiones excipere debet, et communicare. Ad hoc autem Archipraesbyteri et Decani rurales diligenter attendent.

25. In tabernis Sacerdotes demorari vetat Canon Apostolicus sub excommunicatione, excepto itinere, idque non propter ebrietatem, sed commoditatis itinerariae causa. Idem quoque dicit Concilium Laodicense canone 24, et Concilium Carthaginense canone 40. Quisquis ergo Sacerdos in taberna conderet et biberet tanquam excommunicatus secundum Canones supradictos severe est puniendus, neque cartis lusoriis sese occupare debet, ut dicit Canon Apostolicus.
26. Vidui Sacerdotes, et Diaconi nullam foeminarum domi debent habere, excepta matre aut sorore, aut matertera, sicuti praecipit Primi universalis Concilii Nicaeni canon tertius his verbis: «Vetuit omnino magna Synodus Episcopo aut Sacerdoti aut Diacono aut cuicumque clerico foeminas habere domi, praeter matrem vel sororem aut materteram, quae cum sint unum sanguine omnem tollunt suspicionem». Idem dicit etiam Concilium praedictum canone 5. Si quis viduorum, Diaconus aut Sacerdos praeter eas personas domi suae aliquas foeminas praesumeret retinere, degradetur secundum Concilium VI-um.<sup>7</sup>
27. Sacerdotes sine licentia non debent transire ab una ecclesia ad aliam. Hoc etenim prohibet Concilium Laodicenum can. 45, et

<sup>7</sup> Sunt can. Nic. 3, Trull. 5, et fortasse 13, et Carthag. 34, 16.

- conc. 6-um Universale canone 17; qui vero hoc fecerit sacerdotio privatur, secundum Concilia praedicta.<sup>8</sup>
28. Praesbyteratum non debent ab alio Episcopo recipere, nisi ab eo solo in cuius Dioecesi ecclesias sint habituri. Vetat hoc Apostolicus Canon 35 et Antiochenum Concilium canone 30, Concilium Universale Chalcedonense canone 5, et Concilium Sardicense canone 17.<sup>9</sup> Quae omnia Concilia Episcopum talem, qui aliquem ex alia Dioecesi consacraret, iubent suspendi et consecratum ab eo ab exercitio Ordinis remove. Quicumque itaque haec in nostra Eparchia a temporibus istis in posterum fecerit, secundum supra scriptos Canones punietur. Si vero dolo aut alia quacumque ratione talem multam evitaverit in futura vita eam experietur, si in hac pertinacia morietur. Haec ideo adnotantur, quia quidam indiscreti confugiunt ad Episcopos illos, qui nescitur unde venientes, neque testimonia monstrantes sint necne Episcopi veri, praesumunt Ordines conferre contra severa Conciliorum Decreta delinquentes in Episcopatibus alienis. Consequenter singuli eorum incerti sunt Sacerdotes, qui ab iis ordinantur; et omnes autem homines saeculares sese talium Sacerdotum subicientes curae gravem Dei iram promerentur, cum Liturgiae eorum sint incertae, et dubio omni procul confessiones nequaquam possunt esse validae. Idem etiam de caeteris Sacramentis aut mysteriis intelligendum, quae Pseudo Sacerdotes isti dispensant.
29. Sacerdotes non debent esse percussores. De hoc enim Canon Apostolicus 27 dicit: « Pontifex (videlicet Episcopus aut Sacerdos) fidelem aut infidelem percutiens degradetur ». Ideoque praemonemus Sacerdotes neminem hoc peccato delinquentem Divina Officia, non accepta prius a nobis Archiepiscopo epitemia et absolutione, posse exercere. Alias si quis auderet post illud peccatum ea quae sunt ordinis exercere, non accepta absolutione et poenitentia, secundum Canonem hunc degradetur.
30. Per Deum immortalem obsecramus omnes Sacerdotes nostros ut sobrie vivant et caste. Conscii autem mortalium quorumcumque peccatorum, nempe si contingeret inebriari aut in aliquo alio delinquere, ut ad confessionem sanctam quantocius recurrant, etiam cum aggravatione conscientiae sine confessione non audeant Liturgiam celebrare aut aliud Divinum persolvere Officium. Peccata namque Sacerdotum non modo impedimento sint ipsis ad gratiam divinam obtinendam, verum etiam caeteris hominibus saecularibus. Quod si quis Sacerdotum deprehendatur lethifero contaminatus delicto Sacrum celebrare, tanquam maximus transgressor severe punietur.
31. Omnibus istis hic adnotatis Decani invigilent, ut unusquisque Sacerdos haec observet, et diligenter inquirendum de istis, Nobis

<sup>8</sup>. Cum Concil. Trullano c. 17, conferunt fortasse canones conc. Laodic. 41 et 42.

<sup>9</sup> Antiochen. can. 13 et 22 (30 non extat), Sardic. 15 potius quam 17.

autem, Archiepiscopo, frequenter de singulis Sacerdotum excessibus nunciandum, et an illa observentur, quae hic sunt scripta vel non. Si vero quis ex Decanis non fecerit, tanquam inobediens debet castigari.

32. Quod si quispiam Sacerdotum solitae Synodo uniuscuiusque anni nollet adesse, talis a nobis citari debet; et si citatione accepta nollet comparere tanquam contra praeceptum Pastoris sui delinquens condemnabitur ad puniendum Nostrae spirituali potestati, aut saeculari tradetur. Qui vero ab hac disciplina protectione Ordinum saecularium subtrahere se conaretur, illi secundum Canones SS. PP. suspendendi erunt ab Ordinibus, et excommunicandi. Si vero citati comparerent et sese morbo aut aliquo alio impedimento, cuius causa Synodo non permittitur interesse, excusarentur, iuramentum debent praestare hoc ita et non aliter evenisse.
33. Iis omnibus Praesbyteris, Protopraesbyteris, et Diaconis Episcopatus Nostri, qui ab hoc Concilio solito absuerunt, praecipimus ut post Pascha, tribus et media elapsis septimanis, feria illa quarta veniant. Quod nisi fecerint, eo qui proximo Canone praescribitur modo est cum iis procedendum. Si vero neque pro illo potuerint tempore comparere, tunc praecipimus, veniant omnino Vitepscum aut Mscislaviam pro temporibus secundum Nostrum Canonem 47 designatis.
34. Singulis Praesbyteris necesse est discant Catechismum Nostrum compendiose scriptum, quod a nobis iis dabitur. In eodem etiam liberos instruant suos. et Parochianos, in quo singulis Synodis an sciant bene examinabuntur etc.
35. Procurent Sacerdotes ut haec omnia, quaecumque hic sunt conscripta, ab unoquoque pro seipsis describatur, et singuli relegant semel intra duas septimanas, ut sciant regulas suas a nobis sibi traditas, et earum recordentur.
36. Tempore Synodorum ad nos Archiepiscopum convenire debent Sacerdotes et omnes suas exponere difficultates, et quaerere quid eos in rebus spiritualibus scire oporteat.
37. Sacerdotes omnes differentiam cum aliquo habentes, absque citatione ulla ad uniuscunquem instantiam debent respondere in Synodo, pariterque coram Nobis Archiepiscopo, si ecclesias Dioeceseos Nostrae in persona visitaverimus, nec minus etiam coram Visitoribus Nostris quos mandaverimus. A saecularibus tamen habentibus aliquid contra Sacerdotes ad concilium sunt citandi. Sacerdos autem Sacerdoti in concilio absque ulla citatione respondebit.
38. Citationes dandae remotis Sacerdotibus pro termino ad comparendum coram Nobis intra quatuor hebdomadas, vicinioribus, id est qui 20 et aliquot distarent leucis, intra duas assignato. Legimus siquidem in Canonibus Ecclesiasticis quod Episcopis remotissimis etiam non amplius ad comparendum coram Metropolitana nisi 8 concedi septimanas. Sacerdotes vero cum sint minoris conditionis ad comparendum terminum breviorum habere debent.



39. Sacerdotes et Diaconi a nullo usuras accipere possunt. Hoc enim prohibet primum Concilium Generale canone 17; et Concilium 6-um canone 10. Idem quoque et saecularibus vetent necesse est.
40. Nullus Sacerdos arbitrio proprio licentiose duabus ecclesiis praeesse potest absque consensu Nostro Archiepiscopali. Hoc namque vetat Concilium 4-um Universale Chacedonense canone 10.
41. Sacerdotes et Diaconi nullos tumultus contra Nos, Pastorem suum, concitare debent; tales enim a Concilio Universali 4 Chalcedonensi canone 18, et Concilio 6-to Generali canone 4 definitur esse degradandos.<sup>10</sup>
42. Nullus Sacerdotum nostri Episcopatus cauponandi exercere se audeat artem; hoc enim prohibet Concilium 6-um Universale canone 9, sub poena degradationis.
43. Libros haereticos ut Postillas, Cathechismos polonicos et rutenos et alias scripturas quascumque ab Haereticis editas nullus Sacerdotum attentet aut legere aut in domibus suis eas conservare; hoc enim vetant sub degradatione canon Apostolicus 60, et concilii 2-i Nicaeni canon 9; idem quoque hominibus saecularibus debent prohibere.
44. Nulla res ecclesiastica a Sacerdotibus in proprios usus converti potest. De hoc Canon Apostolicus 72 sic loquitur: « Si Ecclesiasticus aut Saecularis sustulerit ab ecclesia S. candelam, oleum, separetur et quintuplum restituat, secundum valorem rei ablatae »; et Can. 73 idem plane dicit.
45. Nullus sacerdos aut Diaconus aleis, aut chartis lusoriis uti debet etc. Hoc namque prohibet sub degradatione Can. Apostolicus 41.<sup>11</sup>
46. Cum tempus hoc Synodi primae Dominicae Quadragesimae magnam Sacerdotibus distantibus veniendi pariat difficultatem, propter magnas inundationes, ideo Nos maiori commoditati eorum ad instantiam Sacerdotum huc pro Synodo congregatorum descendendo, ita coordinavimus: Tempore hoc, Dominica nempe Quadragesimae prima, tenebuntur Sacerdotes singulis annis Polociae comparere ii solummodo, qui sunt vicini Polociae, praecipue vero Decanus Ruralis Lucomensis cum aliis ad se spectantibus Praesbyteris, similiter Decanus Besenchoviensis, Decanus Dissensis, Decanus Borisoviensis, Decanus Lepelczensis, Decanus Bobinicensis, Decanus Jasensis, Decanus Braslaviensis, et Decanus Lubosanensis, pariter cum omnibus sibi subditis Sacerdotibus. Vitepsci autem constituimus tempus Synodi singulis annis peragenda in octava festi Assumptionis Beatae Dei Genitricis, mensis Augusti 23 die, cui singuli circum vicini Decani cum sacerdotibus sibi subiacentibus interesse debent, praesertim vero Decanus Smolanensis, Orsanensis, Copiscensis, Scloviensis, Belinicensis, et omnes alii non longe a Vitepsco distantes Sacerdotes intervenient. Mscislaviae decernimus tempus Synodi unoquoque

<sup>10</sup> Agitur de Conc. Trullano can. 34, non 4.

<sup>11</sup> Est prohibitum Can. Apost. 42, non 41.

anno celebrandae die Nativitatis SS.mae Genitricis, id est mensis Septembris octava, cui tenebuntur intervenire Decani cum sacerdotibus ab antiquo ad Decanatus eorum pertinentibus, nominatim autem Decanus Radomensis, Bychoviensis, Mohiloviensis, Hołovčinensis. Pro his vero omnibus temporibus, tribus supradictis, Decani et Sacerdotes absque ullis literis Nostris tenebuntur convenire.

47. Decani omnes has regulas Nostras apud se habeant, et curare debent, ut omnes Sacerdotes subiecti sibi descriptas illas saepe relegant, sicut superius scriptum. Ab iisdem Decanis Sacerdotes et ecclesiae eorum singulis annis sunt visitandae. Idque faciant ante Synodos, ut in Synodo possint Nobis de quolibet Sacerdote, quomodo se gerat, reddere rationem, et quis sit ordo in ecclesiis eorum, quis nam sit biganus etc. Iidem Decani et Sacerdotes tempore Synodorum Chrisma a Nobis accipere tenebuntur.
48. Decani curent singulis hebdomadis confiteri spiritualis profectus gratia et exempli aliorum Sacerdotum sibi subiectorum.

#### CONSTITUTIONES PRO OMNIBUS SACERDOTIBUS.

1. Si quis Sacerdos in caupona biberit, etiam si non inebriabitur, in poenam solvet pro ecclesia scutum aureum, specialiter autem etiam a Nobis debet ei iniungi poenitentia dum venerimus aut citius.
2. Quodsi aliquis eorum Liturgiam S. die Dominico et aliis festis non celebraret, similiter ecclesiae dabit scutum aureum; eidem subiaceat poenae si Sabatho, Dominica et aliis festis diebus Vesperas neglexerint, excepto tamen si morbo aliquo laborarent.
3. Si quis nimium ebrius existens in conspectu hominum versaretur, pariter pro ecclesia in poenam scutum aureum persolvat.
4. Si quis Sacerdos manu aliquem aggrederetur, in poenam solvat Nobis, Archiepiscopo, quinque scuta aurea, et 10 hebdomadis in carcere detineatur.
5. Si quis eorum inordinato matrimonio copularet aliquem simili subiaceat poenae, et matrimonium illud est dirimendum. Hoc autem de illo matrimonio dico: Vir habens unam uxorem cum alia contraheret, aut foemina habens virum maritum alteri nuberet.
6. Si quis alterum ad rixas sua culpa provocaret, medium scutum solvat aureum in poenam, et diem carcere unam detineatur.
7. Si quis Sacerdos sua ipsius culpa alicuius domum in sua Parochia semel in anno, hoc est in Quadragesima, in oppido aut in pago, confessionem non exciperet, scutum aureum ecclesiae, et alterum scutum aureum Nobis, Archiepiscopo, solvere tenebitur.
8. Si quis in villa nollet cum tota familia ex pertinacia Sacerdoti in cuius Parochia dimoratur confiteri, Sacerdos debet subito Magistratui nunciare saeculari; Magistratus autem punito eo secundum beneplacitum suum praecipiat, ut statim confiteatur.
9. Quod si quis Sacerdos nollet temporibus in Regulis assignatis con-

fiteri, in poenam Nobis, Archiepiscopo, medium scutum aureum solvere tenebitur.

JOSAPHATUS Archiepiscopus (mp).

74.

Varsavia, 17. III. 1622.

*Epistula Cancellarii Magni Ducatus Lithuaniae, Leonis Sapieha, qua responsum dat ad epistulam nobis ignotam Servi Dei Josaphat Kuncewycz. Epistula adnexa erat Processui Beatificationis tum anni 1628 tum an. 1637.*

ASV, *Archivum S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 67-73 (copia).

GUÉPIN A., *Saint Josaphat...*, v. I, addit. p. 1-10 (trad. gallica).

TUMANSKIJ D., *Pismo kanclera grafa Sapëgi k episkopu Polockomu Josafatu Kuncevyču* (in «*Rossijskij Magazin*» II (1793), pp. 473-497 (textus plenus in translatione rossica).

BANTYŠ-KAMENSKIJ N., *Istoričeskoje izvēstije o voznykšej v Polše Uniji*, Petrogradii 1805, 2 cd. Vilna 1864 (textus rossicus abbreviatus).

LINDE S., *O stauicie litewskim*, Warszawa 1816 (trad. polonica abbreviata).

WIŚNIEWSKI M., *Historia literatury polskiej*, vol. VIII, Kraków 1851, pp. 497-503 (trad. polonica abbr.)

BIBL. «TOW. PRZYJACIÓŁ NAUK» POZNANIAE, *O B. Jozafacie*, vol. I, pp. 166-196 (duabus columnis textus polonicus et ucrainicus); pp. 325-433: *Uwagi nad listem Lwa Sapiehy do B. Jozafata*; pp. 433-436: *Uwagi nad przekładem Rossyjskim*; pp. 436-448: *Uwagi nad przekładem Lindego* (manuscriptum).

**Litterae cuiusdam Senatoris scriptae ad Josaphatum valde acerbae**

Rev.me in Christo Pater Archiepiscopo Polocensis.

— Non libenter tam literis quam verbis quibuscunque contenderim cum D. V., maxime autem cum videam D. V. ita esse tenacem opinionis suae, ut ne maximis quidem ab illis patiaris divelli rationibus. Verum ne Sua D. triumphet et dicat, «qui tacet consentire videtur», nolens volens ad inconsideratas literas S. D. respondere habeo.<sup>1</sup> Certum est id quod ipsemet autor huius Unionis fuerim, nam sicut illos qui ad Ecclesiam Sanctam Universalem Apostolicam confugiunt reii-cere et deserere nefas, sic vice versa vi ad Unionem compellere nefandum, nec unquam mihi hoc in mentem venit, quod S. D. tam violentis mediis homines ad Unionem perducere deberent. Nam et ipse Dominus Deus vocat ad se omnes: «Venite ad me omnes» etc.<sup>2</sup> sed vi adactis servis non eget, neque eos acceptat. Ecce enim iam S. D. nationem Moschoviticam ad pertinaciam et recessum a iuramento Serenissimi Regis Filio facto deduxerunt<sup>3</sup> difficileque id negare, nam

<sup>1</sup> Agitur de aliqua epistula S. Josaphat, cuius textus ignoratur; res autem de qua agebatur apparet ex citationibus Sapiehae in hac sua epistula insertis.

<sup>2</sup> Matt. 11, 28.

<sup>3</sup> Scribit in plurali, nam rem hanc toti hierarchiae Eccl. Ruthenae culpa vertit. Agitur de electione Vladislai, filii Sigismundi III, ad thronum Moscoviae.



literae ab illis ad DD. Senatores Regni Poloniae Magnique Duc. Lithuaniae scriptae hoc testantur. Sub tempus expeditionis Turcicae<sup>4</sup> quod praemonuerim literis ad S. D. datis, de pace publica, suadebat illa sententia: « Frustra sunt arma foris, nisi sit concordia domi, quam res prosperae poscunt, adversae exigunt, qua praesente parvae res crescunt, absente maximae dilabuntur ». Ex altercatione autem S. D. cum Schismaticis quid aliud sperandum (praesertim vero sub hoc tempus, quo patria maiorem partem potentiae (67v) et virium suarum extra limites suos contra inimicum DEI et nostrum eduxit), nisi intestina discordia domesticae turbae, confusio cohortum Serenissimi Regis Filii in castris existentium et quod reliquum est (Deus liberet) accessus ad nos Pagano, qui tot calamitatibus ac discordiis Graecorum et Christianorum formidabilis Imperii sui firmavit et dilatavit solium. Nunquid non fuerunt et non sunt hae voces plebis incosideratae quod malint se Turcae subdere, quam talem oppressionem in religione et ritu suo sustinere? Nunc quoque non ficticiae minae Cosacorum adduxerunt me ad petitionem et ad admonitionem S. D., ut Sua Dominatio conformans se tempori recordaretur illius: « Festina lente ». Nam literae a Cosacis sunt plenae minarum, plenae ob superfluam auctoritatem S. D. Maiestatis Divinae et Regiae contemptus, quibus ego credo magis, et omnes quibus interest cura Reipublicae, quam his tribus consanguineis S. D., quia « una hirundo non facit ver ». Apud S. D. hoc loqui possunt, quod S. D. ad palatum; in societate autem « ulula cum lupis, si sanus esse cupis ». Borecium et Smotricium quod aliquot Religiosi, et aliquot Chiovienses Nobiles non suscipiant, nondum est haec conclusio contra Manicheos, neque est argumentum, quod sint convicti Schismatici. Ecce et nunc petitio illorum erat ad Sacram Regiam Maiestatem non ab aliquot Religiosis Chioviensibus, sicut S. D. scribit, sed a toto exercitu Zaporoviensi etc., ut Borecius et Smotricius in his Episcopatibus conservarentur, et S. D. cum caeteris diiceretur. De declaratione Sahaydacensis<sup>5</sup> dicere possum: « verba sunt Pamphilae », et de illis, qui S. D. affirmant, « ero in ore ipsorum Spiritus mendax », et de S. D. « levis et qui facile credit », quia re ipsa contrarium ex literis supra dictis patet, quorum (68) copiam S. D. transmittit. Nunquid hac in re et in Comitibus non experimur difficultatem ab omnibus in confinibus degentibus totaque Russia, non ab aliquot solummodo Religiosis? Non satis id quod Cosaci Commissionem a Sacra Regia Maiestate designatam Chioviae expectent; sed hoc opus, hic labor est, si quid boni in illa efficient; et adhuc eventus illius Commissionis in spe, quam vocant: « incerti boni nomen ». Frustra antequam victoriam canere triumphum, ac per consequens acerba in illos invectione ab exoptata concordia et debita Sacrae Regiae Maiestatis obedientia detertere.

Audet etiam hoc S. D. scribere: « nisi copia literarum mearum

<sup>4</sup> Expeditiones ann. 1620-1621 (Cecora, Chocim).

<sup>5</sup> Petrus Sahajdačnyj, nomen ducis Cosacorum tunc temporis.

ad S. D. nolentes quoque ad id excitare deberent ».<sup>6</sup> O, Pater! non est officii S. D. censorem literarum mearum agere, quibus cum Deo adiuvante hucusque sic disponebam, ut et inimicus non exiguum haberet argumentum retractionis et emendationis. Et licet quidem copiae literarum mearum ad manus Schismaticorum devenerint sum certus, quod illae ipsae praeberent testimonium neque Sacram Regiam Maiestatem neque Senatores, neque Rempublicam dedisse occasionem talium, quae a Schismaticis contra praedictos status aguntur quaerelarum, sed S. D. abusus autoritatis, S. D. progressus magis ambitione, et privato odio, quam fraterna charitate ducti, invita Sacra Regia Maiestate, invita, imo prohibente, Republica, sunt ductu et incitamento discordiarum scintillantium quae minantur nobis omnibus, vel summum vel extremum incendium.

Id etiam S. D. scribit: « videns Politicam, respectum illorum habere ». Ego autem addam et Rempublicam, nam ex illorum obedientia plus Reipublicae utilitatis, quam ex Unione S. D.; quare interest, ut etiam S. D. regimen et munus suum pastorale cum voluntate Sacrae Regiae Maiestatis et Reipublicae (68v) conformet, quod regimen S. D. sic est limitata, ita ut eius resolutio in eo quod cum quiete et fructu Reipublicae non convenit, crimine laesae maiestatis audacter posset notari. Bene quidam: « ne quis nimis », et alter: « cum conceduntur ima, appetuntur summa ». Si S. D. sic Romae, aut Venetiis procederet, videtur mihi, quod id S. D. facile demonstraretur, qualis debet esse respectus Reipublicae politicus.

« Ego Schismaticos ad fidem S. etc. ». — Oportet convertere et omnem adhibere curam, « ut sit unus Pastor et unum Ovile », <sup>7</sup> servatis tamen et prudentiae et terminis temporis, sicut in negotio quod a libero dependet arbitrio, praesertim in nostra Reipublica, ubi non servit illud, quod in Evangelio: « Compelle intrare ». <sup>8</sup> Necesse praeterea, ut hic zelus S. D. et desiderium communis congregationis fundetur super praeceptis charitatis, quae, sicut S. Paulus dicit, « est patiens, benigna, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritat, non cogitat malum, omnia sustinet » etc.; <sup>9</sup> sed fortasse deviatum est ab hac doctrina S. Pauli, ideoque non mirum quod et illi qui erant sub obedientia T. D. a gubernio eiusdem recedant; sic etenim agunt: « non minor est virtus quam quaerere parta tueri; illis casus inest hic erit artis opus », quae in tali negotio certissima est, ut ait Seneca, « qui vult regnare, languida regnet manu », et nostrum dictum: « uni convivendum, alteri perdonandum, nam violenta imperia nemo retinuit diu ». Et de hoc periculo vitae T. D. dici potest: « nemo laeditur

<sup>6</sup> S. Josaphat Senatorem accusavit de tali modo scribendi, quod si scripta eius in manus Cosaccorum pervenirent, eorum audaciam augeri possint. Fortasse etiam epistula praesens hunc scopum habuit, ut sua acerbitate animos Cosaccorum conciliaret.

<sup>7</sup> Joan. 10, 16.

<sup>8</sup> Luc. 14, 23.

<sup>9</sup> 1 Cor. 13, 4-5

nisi a seipso ». Vitandae sunt occasiones et temere non committere se periculo; « qui amat periculum peribit in eo », praecipue ubi de Religione agitur. « Praepositi mille expositi sunt fulminibus », ut merito de illorum securitate Horatii versus recitari possint: « saepius ventis agitur (69) ingens pinus, et celsae graviore casu decidunt turres, feriuntque summos fulmina montes »; nocivum autem non evitare casum est studio sibi met ipsi procurare ruinam ».

« Licet tenerer Episcopos imitari ». — Episcopos Sanctos imitari in patientia, persecutione ob gloriam DEI, sicut Chrisostomum, et alios — res digna laude. Sed et hoc non minoris est imitari eos in sanctitate, doctrina, patientia, exemplo bono. Relegat S. D. omnium Episcoporum Sanctorum vitas percurrat etiam omnes S. Chrisostomi libros, nullam inveniet V. D. de persecutione, exilio eius, de trucidatione multorum Sacerdotum piorum protestationem, obductionem, intromissionem, expulsionem, petitionem in comitiolis, comitiis, neque in Antiochia, neque Constantinopoli, solum id quod ad propagationem gloriae DEI, ad lucrum animarum, ad mitigationem adversus Servos DEI initae Eudoxiae spectat, secus de V. D. plena iudicia terrestria, castrensia, plena tribunalitia universalia, plenae Curiae, Cancellariae curiales citationum, querelarum, lamentationum quo magis possibile non Unionem confirmare, sed discordiam seminare, et maximum vinculum charitatis dirumpere, plena omnia fastidorum, rixarum in Comitiiis, et in omnibus locis.

« Et cum S. Stanislao etc. ». — Cum quis potest morte sua gloriam Dei Omnipotentis adaugere optimum est vitam et salutem suam prostituere, sed sine fructu melius est esse Confessorem quam Martyrem. Sic Apostoli sancti Petrus, et Paulus cum aliis Sanctis faciebant; noluerunt ad doctrinam Christi sine fructu in animabus hominum mortem addere. Immo Christus Dominus furorem turbae quae illum lapidare decreverat, antequam tempus Redemptionis nostrae venisset, declinavit. Tu quoque simile fac, et recordare « ne sit discipulus supra Magistrum »; simplex quidem proverbium, sed verum: « Vir fugiens iterum pugnabit » (69v).

« Non habebant respectum Imperatorum, Regum etc. ». — Et illorum Deus Omnipotens rationem habere iubet. Nam « qui potestati resistit Dei ordinationi resistit »; « omnis enim potestas a Deo est », <sup>10</sup> et ideo ipse Christus loquitur: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo ». <sup>11</sup> Necessarium itaque et V. D. unum quemque recordari: « salvo iure Dei, et Regis ad arbitrium totus componatur orbis ».

« Fides donum Dei, sed Catholicorum, non Schismaticorum etc. ». Non absque ratione S. Paulus ad haec verba (fides donum Dei) non addit catholica, nam « quis scit an amore vel odio dignus est? » <sup>12</sup> Cur, sicut Sacra Scriptura loquitur, « multi sunt vocati ad hanc fidem pauci

<sup>10</sup> Rom. 13, 1-2.

<sup>11</sup> Matt. 22, 21.

<sup>12</sup> Eccle. 9, 1.



vero electi? ». <sup>13</sup> Non sine fundamento et id, quod non excluserit Schismaticos. Nam Spiritus Domini, qui est donum DEI altissimi, ubi vult spirat. Ut quid contra voluntatem eius sanctam cogere ad fidem Congregationem aliquam? Est simile illi, qui dixit: « Ponam sedem meam in Aquilone, et ero similis Altissimo ». <sup>14</sup> Praeterea fides donum DEI appellatur, quia ad eam nemo accedit, ut ipse Christus loquitur: « Nemo accedit ad me, nisi Pater meus traxerit eum ». <sup>15</sup> Haec tractio est fides, nam « accedentem ad Deum oportet credere ». <sup>16</sup> Appellavi itaque hanc fidem donum DEI esse, ad quam ipse Deus Spiritu Sancto attrahet aliquem, non vero haeticam, neque schismaticam, quia extra Ecclesiam sicut non acceditur ad Deum, sic nulla datur fides. Ideoque quod humana in hac cura vana, ipse Deus Salvator dixit: « Oportet fieri haereses », <sup>17</sup> et in alio loco: « Sinite crescere usque ad messem ». <sup>18</sup> Atque ita fortasse Pater Archiepiscopus Polocensis illam (70) non eradicabit. Haec causa, hoc negotium, ut Psaltes loquitur: « Haec mutatio dexterarum Excelsi »; <sup>19</sup> venit ille ipse, licet hora nona, et dicit: « Ite et vos in vineam meam ». <sup>20</sup>

Doctrinam S. Pauli qualis debeat esse Episcopus non satis est habere in mente, oportet et ipsius Christi doctrinam, qui nobis commendat pacem, cum ait: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis », <sup>21</sup> qui dicit: « Diligite vos adinvicem », <sup>22</sup> qui ait: « Discite a me », non miracula facere, non sanare infirmos, non excitare mortuos, sed quid Domine? « quia mitis sum et humilis corde ». <sup>23</sup> Nam Praepositus, qui ad haec tria munera non attendit, etiamsi « hominum linguis et angelorum loquatur, etiamsi noverit mysteria et scientias omnes, etiamsi habuerit fidem ita, ut montes transferat, etiamsi in cibos pauperum distribuatur omnes suas facultates, insuper etiamsi corpus suum tradiderit ad varia tormentorum genera, nihilominus factus est sicut aes sonans, aut cimbalum tinniens ». <sup>24</sup>

« Quamquam cum me Schisma violenter invadit defendere me volens nolens debeo etc. ». — Profecto non sic nos Christus instruit, qui dum esset ductus tanquam agnus innocens ad victimam habens exercitus angelorum ad defensionem salutis suae paratos, orabat pro persecutoribus: « Domine, ignosce illis, quia non sciunt quid faciunt », <sup>25</sup> sic et DD. VV. facere debent, nam « omnia prius experiri consilio, quam armis Sapientem decet ». Consilium autem in tribu-

<sup>13</sup> Matt. 20, 16; 22, 14.

<sup>14</sup> Cfr. Is. 14, 14.

<sup>15</sup> Joan. 6, 44.

<sup>16</sup> Hebr. 11, 6.

<sup>17</sup> Cfr. 1 Cor. 11, 19.

<sup>18</sup> Matt. 13, 30.

<sup>19</sup> Ps. 76, 11.

<sup>20</sup> Matt. 20, 4. 7.

<sup>21</sup> Joan. 14, 27.

<sup>22</sup> Joan. 13, 34; 15, 12. 17, etc.

<sup>23</sup> Matt. 11, 29.

<sup>24</sup> 1 Cor. 13, 1-3.

<sup>25</sup> Luc. 23, 34.

latione et persecutionibus est humiliatio coram Deo sicut Psalmista canit: « Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio et humiliabam in (70v) ieiunio animam meam ».<sup>26</sup> Non tam acerbos literas scribendo ad civitates Sacrae Regiae Maiestatis minitendo, provocando, sicut V. D. facit; non fecerunt hoc Apostoli, et alii Sancti.

« Ergo licitum est illis submergere, decollare Unitos etc. ». — Neque illis hoc facere licet, quia praeceptum Domini severam sententiam contra illum excessum edidit, sed S. D. etiam dictum est: « Vos autem non sic »; « mihi vindictam et ego retribuam ».<sup>27</sup> Quam multi Apostoli, quam multi discipuli Domini, quam multi Christiani vario mortis genere doctrinam et confessionem Dei crucifixi vita obsignarunt ac firmarunt, et tamen neque contra Neronem neque Tiberios, neque Dioclecianos ulla querela aut protestatio in scriptis invenitur, quin imo « ibant gaudentes a conspectu Consilii, quia digni facti sunt contumeliam pro nomine Christi pati ».<sup>28</sup>

« In Comitibus non solum rumores faciunt contra Unionem, verum etiam contra omnes Ritus Romani spirituales etc. ». — Et quis huius rei causa si non Unio? Vobis haec debetur scena, quando conscientias hominum violenter aggredimini, quando ecclesias ocluditis, et homines absque devotione, sine baptismo, sine confessione, sine sacramento tanquam pagani aliqui degant, quando licentiosius extenditis gratiam et privilegia Suae Maiestatis, tum sine nostro agitis consensu; quando autem per supra dictos progressus tumultus inter homines mitigare vultis, tunc nos actibus exponitis. Atque ita contraria pars opinatur nos quoque vobiscum conspirare in oppressionem conscientiarum humanarum et perturbationem pacis publicae, quod aliter se habet. Satis est quod D. V. nobiscum in Unione sis. (71). Deberent quoque D. V. ipsae per se spartam quam nacti estis ornare, et nos publicae invidiae et semet ipsos periculo et magno contemptui hominum non exponere.

« Itaque fides Catholica Romana et relinquenda et ex Regno propulsanda etc. ». — Absit tantum scelus a Patria nostra, dudum enim iam in his Dominiis pedem fixit Sancta Fides Romana Catholica, et quamdiu aemulam religionis et obedientiae suae Sanctissimo Domino Nostro habuit gloriosa fuit domestica, et apud exterarum nationum concordia et potentia. Nunc ubi litigiosam et contumeliosam consortem in suam societatem suscepit, propter quam in quibuslibet Comitibus, in quolibet publico conventu, in omni privato consensu multas calumnias et detractiones patitur, satius igitur existimarem esse ex re Reipublicae cum hac litigiosa socia divortium facere, cum nunquam talia litigia habuerimus in Republica, qualia nobis haec attulit dilecta Unio.<sup>29</sup>

<sup>26</sup> Ps. 34, 13.

<sup>27</sup> Rom. 12, 19; Hebr. 10, 30.

<sup>28</sup> Act. 5, 41.

<sup>29</sup> Sapientia loquitur hic ut homo politicus Regni Poloniae, qui regnum in difficili externa conditione videns omnem discussionem internam evitare vult, etiamsi ageretur de ipsa religione.

«Nec mirum quod Servi eius invadantur, nam et Christus ipse persecutionem passus est etc.». — Verum non esse mirum, imo hoc est Servorum DEI munus ut ad imitationem capitis sui, sicuti loquitur S. Augustinus, sustineant flagella, opprobria, irrisiones; nullum vident periculum, nullum abhorreant supplicium, sed ille qui aliquid patitur, debet esse sicut Ambrosius Sanctus asserit, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, qui nihil legibus debeat, ut tute dicere posset: «Cum loquebar illis impugnant me gratis».<sup>30</sup> Nam quando aliquis, licet Christi vocetur Servus et in praedicta doctrina inveniatur reus, licet aliquid sustineat, non potest dicere (71v) se tanquam Servum DEI pati, cui iustitia praemium secundum merita ipsius retribuit.

«Mohilovienses habent ecclesias apertas, orent in illis etc.». Et per Deum, quae est ista praerogativa? Plus quam Christi. Christus dicit: «Nemo veniet ad me, nisi Pater traxerit eum»,<sup>31</sup> et Sua D. vult, ut ad verbum S. D. lapides ipsi Schismaticorum panes fiant? Poterit hoc esse gratia DEI, quod et in his ecclesiis inimici eius terram lingent, et reddent debitum honorem nomini eius, quando Domino Deo placuerit. Sed Christus Dominus non obsignabat, non clauderat ecclesias, sicut S. D. fecit.

«Habent Sacerdotes bonos etc.». — Faxit Deus, ut sint sufficientes, sed non sufficit, si S. D. ipsemet de illis dicat. Nam propria laus caret loco apud homines; potest aliquando homo affectu duci, quia amor et odium nesciunt discernere verum. Necesse igitur est ut aliqui ab extra «videntes bona opera ipsorum glorificent Patrem, qui in caelis est»,<sup>32</sup> et sequantur vestigia illorum. Verum ego audio quales V. D. Sacerdotes consecrat, ex quibus plus scandali quam aedificationis crescit; quin imo iste est maximus defectus quod S. D. Sacerdotes bonos paucos habeant, plures caecos, ut Scriptura loquitur: «Caecus caecum ducit, et ambo in foveam cadent»,<sup>33</sup> sic vestri Sacerdotes rudes in foveam homines ducunt.

«Ecclesias exponere blaphemiis etc.». — Ecclesias obsignare, et claudere et contumelia blasphemiae aliquem afficere est deterrere a charitate fraterna et unanimi conversatione. Ideoque S. Paulus ad Ephesios sic scribit: «Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine supportantes invicem in charitate (72), solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis».<sup>34</sup> Et ad Galatas: «Nam si invicem vos mordetis et comeditis, videte ne invicem consummami».<sup>35</sup> Id ipsum ad Coloss. scribit: «Condonantes vobis met ipsis si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis;

<sup>30</sup> Ps. 119, 7.

<sup>31</sup> Joan. 6, 44.

<sup>32</sup> Matt. 5, 16.

<sup>33</sup> Matt. 15, 14.

<sup>34</sup> Ephes. 4, 1-3.

<sup>35</sup> Gal. 5, 15.



super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis». <sup>36</sup> Talis ne est charitas? Fratribus vestris obicere blasphemiae contumeliam similis illi, si dixeris fratri tuo: « Racha, Fatue », <sup>37</sup> et alia iudicio, alia iuxta verba Christi igne puniuntur. Iudicet itaque V. D. utrum tali vocatione Christus dixerit Petro et in persona illius aliis Praelatis: « Faciam vos piscatores hominum ». <sup>38</sup> Ostendat S. D. quem lucratus, quem piscatus hac sua insolenti severitate, obsigillatione, obseratione ecclesiarum; quin imo illos ipsos, qui erant iam sub obedientia S. D. Polociae abalienasti, ex ovibus fecisti haedos, Rempublicam autem in discrimen adducis; utinam non in interitum nobis Catholicis; loco consolationis dolorem, fastidia, difficultates; iam satis experti sumus hanc amicam vestram Unionem, plane usque ad nauseam, ita ut malleum esse sine illa, quia assidua fastidia, sollicitudines, et difficultates patimur propter hanc caram Unionem. Egregia profecta Unio, quae assidua dissidia in hominibus et Rempublicam facit.

« Autoritas mea id mihi non permittit etc. ». — Maior fuit auctoritas S. Pauli, attamen, sicuti scribit ad Corinthios, in captivitatem ipsemet redigebatur propter obsequium Christi, et amorem fraternum, quibus in hunc sensum loquitur: « Licet gloriatus fuero de potestate quam dedit mihi Dominus, hac tamen utor non in destructionem, sed in aedificationem, ne videar vobis gravis, ut non existimar tanquam terere vos ». <sup>39</sup> Non obest ergo aliquando auctoritatem dissimulare, « temporibus mores sapiens sine crimine mutat », et Seneca: « hoc facere laus est, quod expedit, non (72v) quod licet », et S. Paulus: « omnia licent, sed non omnia expediunt ». <sup>40</sup> Id itaque faciendum est quod tempus, quod occasio, quod res exposcit Ecclesiae, et Reipublicae. Avertat enim Deus Rempublicam amittere; ad quod DD. VV. hac vestra severitate viam tantopere sternitis. Quid de vestra agetur quoque Unione?

« Nisi mihi ipse Supremus Pastor vel ipsius legatus imperaret etc. ». Contradicere Supremo Pastori est anathema; audeo tamen id dicere quod et ipse Sanctissimus Pater, si de tali propter Unionem S. D. in Patria nostra turbatione constaret, certio certius id ipsum, quod S. D. recusant, facere vos permetteret. Habemus exempla clementiae Beatissimi Patris concordantia cum Ecclesia, quae est Mater non autem Noverca, ubi propter bonum publicum provinciarum aliquarum multas res, quae apud nos sub peccato mortali prohibentur, dispensare dignatus est.

« Quod Moscus, Palatinus Caluszensis etc. ». — Quod scribat non mirum, trahit enim quemque sua sicuti voluptas, sic Religio. Ratio autem ipsa non suadet contrariari et contrastare huic quod potest in maiorem contumeliam, etiamsi S. D. contradicerent neque vellent ad illos transire, quando pertinaciter in eo persistent, converti. Ergo

<sup>36</sup> Col. 3, 13-14.

<sup>37</sup> Matt. 5, 22.

<sup>38</sup> Matt. 4, 19.

<sup>39</sup> 2 Cor. 10, 8-9.

<sup>40</sup> 1 Cor. 6, 12.

et has ecclesias Mohiloviae Sacra Regia Maiestas mandat aperire, sigilla deponere, et cedere. Id ego quoque ex mandato S. R. Maiestatis ad V. D. scribo. Quodsi V. D. admonitus facere noluerit, ego ex mandato eiusdem S. R. Maiestatis iubebo reserare et cedere, ut illi suam religionem, licet schismaticam, in ecclesiis peragant. Haebreis et Tartaris in Dominio S. R. Maiestatis sinagogae permittuntur, Sua autem Dominatio Christianis obsigillas ecclesias. Unde iam talia infernalicia verba prorumpunt, quod malint potius Othomanico subdi paganismis, quam talem oppressionem in conscientiis suis sustinere etc. (73)

« Verum iustum ne propter incertam pacem etc. ». — Iustum imo et necessarium, nam certior motus erit cum in illorum religione impedimenta faciemus, sicuti iam rumores esse incipiunt, quod velint hac occasione pacta pacemque dirumpere. Scribit egregium exemplum Plutarchus in Apophtegmate de Antiocho in haec verba: « Cum urbem obsideret Antiochus Hierosolymam Iudaeis ad maximum illud festum celebrandum septem dies appetentibus non solum eos concessit, verum et tauros auratis cornibus adornatos, magnamque timiamatum et aromatum vim usque ad portas Urbis cum pompa solenni deduci iussit, traditaque illorum Sacerdotibus Hostia ipse in castra rediit. Iudaei vero Regis benignitate admirati protinus festo peracto in fidem illius sese dederunt ». Ego quoque existimo sub hoc tempus pariter cum Moscovitis et Schismaticis procedendum esse. Bene quidam: « cum, non culpes, quod mutare nequis ».

Rigensibus non cedebant templa, qui imprimis, antequam Sere-  
nissimo Regi Augusto se subdidit Riga, templa ad suos ritus haereticos converterat; alias non se subderent Suae Maiestati, si vellet illas ecclesias obsigillare, claudere, e potestate dispositioneque eorum eripere.

« Ex conniventia Catolica vel Politica etc. ». — Bona verba quaeso; quicquid in hac causa agitur in S. D. admonitionem et cautelam; tam a me quam ab aliquo alio ex nullo parti adversae procedit conniventia, sed ex praecepto ipsius Dei: « Si erraverit frater tuus, corripe eum inter te et ipsum ».<sup>41</sup> « Finis autem (ut S. Paulus ad Timotheum ait) praecepti caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta proveniens contra eos, qui sunt conversi in vaniloquium volentes esse Scripturae Doctores, non intelligentes autem neque de quibus loquantur, neque de quibus affirmant ».<sup>42</sup> Quod attinet ad Polocenses et alios contra Suam Dominationem turbatores, potest esse quod sint turbatores, verum ipsamet S. D. dedit occasionem (73v) turbatoresque illos fecit; nunquid et hi V. D. non erant obedientes, ecclesiam S. D. frequentabant; cur itaque eosdem S. D. a se avertit? Novogrodecum Magnum, Pschoviam, Starodubum, Cernihoviam, Cosielscum et plurimas alias arces talis quoque Unio a nobis avulsit; et nunc eadem Unio maxima causa est abalienationis Moschoviticae

<sup>41</sup> Matt. 18, 15.

<sup>42</sup> 1 Tim. 1, 5.

a Serenissimo Regis Filio, sicut id ex literis Moschoviticis ad Ordines Regni Poloniae Magnique Duc. Lithuaniae constat. Nolumus itaque ut haec Unio inutilis damna Reipublicae inferat. Et haec ad literas S. D. rescribens non libenter controversias cum V. D. ingrederer, sed optans potius V. D. Rev.mae a Domino DEO sanitatem bonam, spiritum concordiae et charitatis fraternae me ipsum gratiae V. D. commendo.

Varsavia 17 Martii A-o D. 1622.

D. V. Rev.mae servus et amicus devotus

Leo Sapieha Cancellarius Mag. Duc. Lithuaniae, Brestensis, Mohiloviensis etc. etc. Capitaneus (mp).

## 75.

Polock, 22. IV. 1622.

*Responsum S. Josaphat ad epistulam Magni Cancellarii Lithuaniae, Leonis Sapieha, de data 17. III. 1622.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, v. 336, fol. 274-278 (trad. latina)

ŻOCHOWSKYJ C., metrop., *Colloquium Lubelskie...*, p. 91-95 (in lingua polonica).

KOJAŁOVIČ M., *Lytovskaja cerkovnaja Unija*, S. Peterburg 1861; vol. II, p. 335-344.

BIBL. «TOW. PRZYJACIÓŁ NAUK» POZNAŃIAE, O. B. Jozafacie, vol. I, pp. 197-206 (ex «*Colloquio Lublinensi*»); pp. 206-325: *Uwagi nad odpowiedzią B. Jozafata Kurcewicza* (manuscriptum).

CONTIERI N., *Vita di S. Giosafat*, Roma 1867; Appendice XXXVII-XLIV.

GUÉPIN A., *Saint Josaphat*, vol. I; Pièces justificatives p. 11-18 (traductio gallica).

**Copia litterarum Servi Dei et Martyris Josaphat Archiepiscopi Polocensis Rutheni pro S. Unione in Russia interfecti, anno 1623 Novembris 12 (f. 274).**

*(Cuidam<sup>1</sup> Senatori Magni Ducatus Lithuaniae scriptae, sed antequam mitterentur, occiso Servo Dei, originaliter repertae in scrinio S. Servi Dei. Ex authentico S. Inquisitionis, registrato in Sacra Rota)*

Illustrissime Domine. Domine Colendissime.

Epistolam<sup>2</sup> aut potius exhortationem accepi ab Ill.ma Dominatione Vestra quae, ut intellexi, maiori ex parte ex translatione variorum hominum ita fuse est concinnata de me ac meis Sacerdotibus atque de negotio laudabilis Unionis Ecclesiae Sanctae (una cum fide

<sup>1</sup> Haec subdivisio textus facta est alia manu in Curia Romana ea ratione, ut res ipsa facilius studio subici possit. Quia nostra editio est editio documentorum romanorum, eam hic praetermittere nolumus.

<sup>2</sup> Agitur de epistula de data 17. III. 1622 (Nr. 74).



Sancta Catholica Romana has in partes ante sexcentos et amplius annos illatae, et ante aliquot annos renovatae); qua cum debita reverentia suscepta iustificationem ad sinistram traductionem sufferendam Ill.mae Dominationi Tuae iure censui adferendam.

*(Protestatur coram Deo se bonum exemplum dare Schismaticis)*

Inprimis quod attinet ad personam meam, Deum in testem assumo, qui cor et actiones meas intuat, a me nullo malo exemplo vitae meae, neque ullo processu rigido Polocenses atque alios dioecesanos meos esse repulsos; multo minus minimum signum rigoris mei poterit demonstrari, quo exemplum ad exacerbandos animos turbulentorum hominum et Reipublicae pestilentissimorum praeberetur. Imo potestatem et officium meum pastorale voluntati Dei et menti S. R. Maiestatis ac bono Reipublicae semper conformare conabar et nunc conor. Testabuntur id multae personae de me, non tantum Catholicorum, verum etiam Haereticorum praecipuorum Palatinatum incolarum dioeceseos meae sic et non aliter rem se habere. Schismaticos in testes assumere non possum; hi enim ductu maledicti Smotricii, exosa sibi sancta veritate, nos qui eius propagationi inservimus plus quam pessimos arbitrantur esse. Idem intelligendum est de Sacerdotibus sub obedientia mea existentibus, qui ideo mali et rudes, quia suam obedientiam praestant mihi; qui si essent morigeri Schismaticis, iidem essent boni et docti. Si qui vero sunt inertes (124v) hos Schisma procreavit, non vero Unio. Culpent igitur Schisma, non autem me. Ut aliquis ad complectendam fidem adigatur a me, hoc nunquam probari potest. Iura mea et immunitatem Ecclesiae consuetum iuramentum meum episcopale iure defendere (dum violenter illa opprimitur) aligit me. Idque modeste et considerate facio, non recedens ab exemplis Divi Ambrosii Divique Chrysostomi, qui (parum autem de hoc utrum protesta atque querelas deposuerunt nec ne) veritatem divinam defendebant.

*(Arguit ab exemplis SS. Patrum non esse concedendas ecclesias pro Haereticis)*

Divus Ambrosius cum Imperatore Theodosio qui ecclesias aut synagogas Haereticis concedebat Mediolani; Divus Chrysostomus cum Imperatrice Eudoxia de ereptione villae apud viduam et cum Imperatore Constantinopolitano Arcadio, ut Schismaticos ad Unionem Ecclesiae adduceret et civitate pelleret, quod sine mora Imperator ipso facto praestitit. Si iidem Sancti Superstitibus adhuc iniuriam Dei talem tantamque cernerent, quemadmodum ego nunc Polociae intueor (quod vulgus barbarum tam multos infantes absque baptismo, tam multos adultos absque confessione atque perceptione Venerabilis Eucharistiae ad baratra detruserit et detrudat, permulti fuerunt qui in agone mortis constituti sacerdotibus agebant, quos turbatores arguebant, et omni modo curabant ut exspirarent absque confessionibus) potentius me ipso ins-

tarent. Constituti ante iudicia tempore Neronis et Diocletiani, idem factitarem quod antea fideles Dei; verum quia degimus sub protectione Domini sancti, Catholici ferventis (cui Deus Nestoreos accumulet annos) cautae sunt incolumitas, atque libertates nostrae iure communi, prout caeterorum incolarum Patriae nostrae; quare igitur non utendum est nobis beneficiis iuris (praesertim cum aliter fieri nequit) ad defendendam vitam atque libertates nostras, prout alii utuntur?

*(Schisma causa turbationum in Republica)*

Plena sunt protestationibus Schismaticorum in Actis Terrestribus, Castrensibus, Tribunalitiis, et Civilibus de nobis nihil ulli debentibus; de quo tamen non confunduntur, imo sic ipsis Fortuna blanditur, ut illis falsa protestantibus fides ubique adhibeatur. Nos vero cum Unione Sancta antiquissima absque citationibus, iudicio et iure propter instantias ac nudas allegationes, (275) inscientibus et absentibus Nobis, opprimere et deponere conantur, asserentes omnes intestinas discordias, conquestiones in Comitibus ex Nobis et Unione pullulare, quod utique probare nequiunt. Modestia nostra nota est omnibus. Schisma id facit non munitum antiquitus legibus, prout Nos sumus, per nefas id assequi volentes, et eo magis quod ipsis indulgeatur. De certa scientia mihi constat Kozakos, finita expeditione contra Turcam<sup>3</sup>, non habuisse animum promovendi Schismatis. Verum Pseudoepiscopi eorum, praecipue Smotricius, animadvertentes nonnullos Senatores rationem illorum habere, ad id concitat (cum sit Notarius eorum), ut petitiones suas inserant ratione schismaticas S. R. Maiestati, ut quantocius ambitio eorum finem suum consequatur.

*(Causa odii in unitos est, quia sunt subiecti Romano Pontifici)*

Non inveniatur igitur ulla causa in Nobis ad exacerbandos animos eorum praeter hanc: Quod simus in navicula Christi sub regimine Summi Naucleri, Vicarii Christi. Absque fluctuum impetu nunquam haec navicula fuit neque esse potest, praesentibus et absentibus Nobis. Si cuiquam videtur quod propter nostros excessus hi fluctus insurgant, citent igitur nos, iure convincant, postea cum Jona de hac navicula eiiciant. Nam et illi nautae Tarsum petentes non prius Prophetam de navicula eiecerunt, antequam cognovissent sortibus tempestates causa ipsius exortas fuisse. Schismatici caedunt et lachrimantur, et plenis bucinis nos causam esse iactitant. Catholici etiam nonnulli propter solos clamores eorum nostrae oppressioni suffragantur. Nonne vero est istud contra amorem a Christo commendatum? Bona est pax communis, attamen talis de qua Christus dixit: « Pacem meam relinquo

---

<sup>3</sup> Agitur de expeditione bellica contra Turcas sub Chocim (an. 1621) simul cum exercitu polonico (mense Augusto-Octobri).

vobis », <sup>4</sup> et non talis de qua ipse conqueritur: « Non veni mittere pacem (politicam) in terram verum gladium ». <sup>5</sup> Quae est conventio lucis cum tenebris, Christi cum Belial, Catholicorum cum Schismaticis aut Haereticis, Ecclesiarum Catholicarum cum blasphemia Schismaticorum? Quae pax futura cum per offensam Dei procuratur?

*(Propter pacem politicam non sunt ab Unitis accipiendae ecclesiae; quia subiectae Petro et eius Successoribus)*

Cum privilegia divina Divo Petro et Successoribus eius supra Episcopatus, Ecclesias universis Orbis collata abrogare, iurisdictione (275v) Summi Pastoris (a Christo constituti) eximere, et Schismaticis concedere conabuntur, clamabit Sanctus Petrus et omnes Successores eius, Episcopi Romani, vindictam exposcentes ob violationem Iurium Suorum.

*(Fundatores Ecclesiarum Ruthenarum fuerunt Catholici. Ergo Ecclesiae non possunt ab unitis auferri et dari Schismaticis)*

Non silebunt illi Vlodimirii, <sup>6</sup> Javoslavii, <sup>7</sup> Jagellones, <sup>8</sup> Skirhaili, <sup>9</sup> caeterique fundatores Metropoliarum et Episcopatum, quod intentio ipsorum violetur; qui, cum essent optimi Catholici, non Schismaticorum gratia, verum Catholicorum Episcoporum has sedes in Ritu Rutheno erexerunt et fundarunt. Sunt nobis ad manus aliquorum eorum originalia fundamentum.

*(Exemplum Pseudo Metropolitae Ruteni a Magno Duce Lituaniae propter schisma rogo addicti)*

Est et illud quod unus e numero fundatorum, scilicet Suidrigaylo, <sup>10</sup> talem etiam Pseudo Metropolitam Schismaticum (qualis nunc existit Boretius), nomine Gerasimum, <sup>11</sup> Vitepsci captum comburi mandavit, declarando iram suam contra Schisma.

<sup>4</sup> Joan. 14, 27.

<sup>5</sup> Matt. 10, 34.

<sup>6</sup> Volodimirus Magnus, Sanctus, magnus princeps Kioviensis (978-1115); primus princeps christianus, qui fidem Christi in terris Ucrainae introduxit.

<sup>7</sup> Jaroslaus-Georgius, filius Volodimiri, dictus « Sapiens » (1016-1054), opus patris complevit.

<sup>8</sup> Jagellones - dynastia Magnorum Ducum Lithuaniae et Regum Poloniae. Originem duxit a Vladislao-Jagello (1386-1434); dynastia haec perduravit in Polonia usque ad mortem Sigismundi II Augusti (1572).

<sup>9</sup> Skirhajlo, Magnus Dux Lithuaniae 1386-1392.

<sup>10</sup> Magnus Dux Lithuaniae post mortem Vitoldi (1392-1429) ab anno 1430 ad ann. 1433.

<sup>11</sup> Gerasimus (1432-1435), metropolita totius Russiae. Combustus die 28. VII. 1435 in civitate Vitebsk, iussu principis Svidrihaylo, accusatus ut pacis perturbator temporibus turbulentis, quae depositioni Svidrihayli subsecuta sunt. Svidrihaylo



*(Pacificatio inter unitis et Schismaticos irritat Deum)*

Instigabunt et hi, qui in eodem Ritu existentes, praeterito et praesenti tempore, in fide Catholica et poenitentia decedentes de hac vita corpora sua deponi ad ecclesias catholicas sive unitas mandarunt, manifestando quod et ipsi in hac fide sancta usque ad finem vitae perseveraverint. Nonne igitur sufficiens causa ad provocandam iram Dei? Benedicturusne est Deus tali concordiae, quae cum irritatione ipsius statuitur?

*(Patriarcha Constantinopolitanus est Opilio non Pastor)*

Ipsa etiam Patria quo pacto sibi polliceri poterit securitatem cum praeter omnem iustitiam Kosacis et Pseudo Episcopis eorum ad petita concedant, videlicet ut sedes nostras sine iure possideant, ut Opilioni Constantinopolitano<sup>12</sup> subiaceant et consequenter ut Regno Turcici Tyranni vinculo iurato connectantur, quod quam periculosum futurum sit Patriae ipsa etiam Politica iudicabit facile.

*(Schisma periculo exponit Poloniam et Turcis perviam facit)*

Patebit aditus omnibus exploratoribus et proditoribus Domini Turcici in Ditionem S. R. Maiestatis D. N. Clementissimi. Licebit Patriarchae, Metropolitanae, Episcopo Graeco etiam ipsi Bassae, monastico habitu supervestito et Exarchae nomine assumpto, cum mille aut aliquot Triaviis venire et sub praetextu visitationis Spiritualium investigari Dominium et proditionem moliri; quod negare ipsis difficile, siquidem Kozaci ira propria commoventur etc. Pacta securos nos non possunt reddere, siquidem novissime mutationem illorum facilem videbamus.

*(Jus praesentandi Metropolitam Ruthenum ad Romanum Pontificem spectat ad minus ab annis 200)*

Considerabant id bene piissimi illi Poloniae Reges, Casimirus<sup>13</sup> et Alexander,<sup>14</sup> quod ubi primum Constantinopolim possideret Turca noluerunt amplius habere Metropolitam alium praeter eum qui obedientiam praestaret Summo Pontifici Romano, prout etiam talis fuit

---

favebat Unioni Ecclesiarum contra reges Poloniae et Lithuaniae principes, qui ei adversabantur, sequendo Concilium Basileaense; speciali modo Magnus Dux Lithuaniae Sigismundus (1433-1440).

<sup>12</sup> Nominat sic Patriarchas Constantinopolitanos, qui ultimis temporibus valde indigni erant.

<sup>13</sup> Casimirus rex (1447-1492); tempore eius regiminis Metropolitae Kiovienses erant catholici: Gregorius II (1458-1472), Misail (1475-1480) etc.

<sup>14</sup> Sub rege Alexandro (1501-1506) explicitam obedientiam reddidit Romano Pontifici Metropolita Kioviensis Josephus Bolharynovyč (1498-1501) et quidem anno 1501, epistula scripta anno 1500 (cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 159-161).

Metropolita Gregorius,<sup>15</sup> quem Pius secundus in Metropolitam ordinavit. Similis illi fuit Mizael Czereiensis,<sup>16</sup> postea Macarius<sup>17</sup> et Josephus Soltan.<sup>18</sup> Quoadusque Helena, Regina Moschovitica, cum rata esset vidua extorsisset a felicis memoriae Rege Sigismundo primo, quod ei concesserit Sacras, ut dicunt, literas petere Constantinopoli Metropolitanae ab ipsa praesentato Jonae;<sup>19</sup> ab illo tempore usque ad renovatam unionem per Antecessores nostros hic usus perseverabat.

*(Strictum Iudicium antiquitus in Polonia contra Schismaticos)*

Verum tamen idem pius Rex<sup>20</sup> atque filius eius Augustus seriam curam habuerunt Schismaticorum Spiritualium et Saecularium, ipsi Praelatos spirituales iudicabant, nemini viro Graeco advenae iudicare aut visitare concedebant. Etiam ecclesias novas erigere, collapsas restaurare Schismaticis nefas erat, nisi specialibus privilegiis Regiis ad id obtentis, quae nunc etiam habemus.

*(Moschis ipsis Constantinopolis non placet)*

Noverat bene id ipse etiam Magnus Dux Moschoviae vinculum Spiritualium suorum cum Constantinopoli incommodum fuisse Ditioni Suae; idcirco ante triginta et aliquot annos<sup>21</sup> minis et precibus extorsit apud Hieremiam Patriarcham, ut crearet ipsi Patriarcham Moschoviae, qui iam perpetuis temporibus, absque legatione Constantinopolim, possit creari in Moschovia, quod hucusque perseverat.

*(Schismaticorum cum Haereticis Unio)  
(Legati Graeci turbarunt Regnum Poloniae)*

Post infelicem Schismaticorum Confoederationem cum Haereticis<sup>22</sup> confraternitatis iura inter se inierunt, et, sensim habenas laxando insolentiae, seditiones in hac Patria excitare coeperunt, et nunc fovent, quarum etiam Graeci advenae promotores fuerunt, et nunc promovent, atque potentius successu temporis poterunt promovere, nisi Respublica providerit. Revocet in memoriam Illma Dominatio Tua, quae ille Nicephorus,<sup>23</sup> monachus Graecus, adhuc ante

<sup>15</sup> Gregorius II ab an. 1458 ad an. 1472.

<sup>16</sup> Misael (dictus etiam Prucki, Drucki): 1475-1480. Scripsit epistolam Pontifici Romano Sixto IV, anno 1476.

<sup>17</sup> Macarius: 1495-1497.

<sup>18</sup> Disputant auctores an agitur de Josepho I Bolharynovyč (1498-1501), an vero de Josepho II Soltan (1507-1521). Verosimiliter agitur de primo Metropolita. Nam in nominatione Josephi Soltan partem iam habuit regina Helena.

<sup>19</sup> Jonas II: 1502-1507.

<sup>20</sup> Sigismundus I Senior (Stary): 1506-1548.

<sup>21</sup> Anno nempe 1589.

<sup>22</sup> Anno 1599.

<sup>23</sup> Nicephorus missus fuit a Patriarcha Constantinopolitano, ut Unionem Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Romana impediret; idem annis 1595-6 multa in

renovationem Unionis Sanctae in Valachia et hic in Regno S. R. M. post adventum suum patravit, ad quales confoederationes Haereticos et Schismaticos perduxit, qualia Conventicula solebant fieri Ostroghiae, Luceoriae, (276v) Brestae, (ipso) duce et aliis Dominis, apud quos ipse in Prophetam habebatur. Idem sedulo curabant et alii Graeci, qui a tempore Confoederationis liberum introitum et exitum habuerunt, quoadusque praecautus Serenissimus Rex patentibus prohibuit, ne amplius admittantur ad Regnum, quas patentes in hodiernum diem habemus.

*(Exempla malorum quae per Schisma gesta sunt in Polonia)*

Eiusdem farinae maledictus ille Nalevayco<sup>24</sup> cum caterva sua quanta damna Reipub. intulit, quod adhuc memoria Ill.mam Dominationem Tuam tenere arbitrator. Eo deventum est, quod Schismatici et Haeretici conscripti in unum iuramento se obstrinxerint ad mutuam opem sibi ferendam. Mittebant Haeretici (iam certis conditionibus) ad eundem Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum submitiendo se obedientiae eius, volendo ea ratione Ruthenos ad arctius vinculum atrahere, quae omnia procul dubio non in bonum Reipublicae vertebant, etiamsi tunc Unio neque renovata, neque publicata fuit.

*(Effectus Unionis renovatae in Russia)*

Sancta igitur Unio postmodum, ann. Domini 1596, publicata his omnibus occurrit. Unio sedavit maledictas has Confoederationes et tyrannidem Nalevayci. Benedixit Deus principiis eius, nam postquam Nostri Roma reversi sunt cum Unione, omnia ista quieverunt. Kozaci, ut opere divino, Unione perterriti una cum Nalevayco Scytharum iam regiones petebant, qui antequam fluvius transierent sub Lubnis<sup>25</sup> miraculose a nostris profligati sunt. Ipse Nalevayco vivus, prout Nicephorus Graecus seditionis author, capti, uterque digna praemia factis suis receperunt. Benedixit et successibus huius Sanctae Unionis; post aliquot enim annos renovationis eius, authore (prout tunc passim spargebatur) Stephano Zizania,<sup>26</sup> ministro Schismaticorum, Michael in Valachia insurrexerat contra Patriam; verum cito miser interiit. Consurrexerant etiam perplures ex potentioribus Schismaticis et Haereticis (noti bene Ill.mae Dominationi Tuae) contra

---

damnum Unionis fecit, praesertim vero tempore Synodi Provincialis Ruthenorum Berestensis (October an. 1596).

<sup>24</sup> Nalevayko Severianus dux Cosaccorum. Simul cum alio duce - Gregorio Loboda - insurrectionem fecit in Ucraina contra Polonos (1594-96). Motivum insurrectionis quaerendum est potius in rationibus oeconomicis (socialibus) quam politicis. His admixta fuit agitatio popularis anticatholica, excitata tempore pertractationum de Unione, instigante praesertim duce ab Ostrog, Constantino.

<sup>25</sup> Lubni, oppidum in parte Ucrainae orientali, non procul Poltava. In viciniis huius oppidi, Solonycia, Cosaci a Stan. Zólkiewski victi sunt, et Nalevayko in manus eius traditus (Maii 1596).

<sup>26</sup> Stephanus Zyzanij, polemista anticatholicus temporibus Unionis Berestensis.



hoc opus Dei, quod operatus (277) est in diebus eorum, sed infecta re rapti sunt ad horrendum Iudicium Dei. Tentaverant aliqui cum tumultu belli intestini, vulgo Rokosz dicti,<sup>27</sup> hoc opus pium suffocare, verum conatus cum ignominia eorum irriti facti sunt.

(*Actus spei firmissimae*)

Certi sumus eundem fortem Deum operi suo benedicturum, et omnium obicem non tantum Kozakorum, verum etiam Principum infernorum submoturum absque ullo detrimento, imo cum augmento consolationum eius spiritualium.

(*Kosacis non potendum*)

Si vero, his omnibus posthabitis, Kozakorum merita (quorum dexteritatem nuper praesidam non ipsis, verum fidei sanctae et Religioni Catholicae, praecipue vero pietati et fortunae S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi attribuamus necesse) praeposuerint Unioni Sanctae, et eorum intentis (praeter voluntatem divinam) satisfecerint, verendum est ne idem Deus iusto Iudicio suo hanc Patriam per eosdem Kozakos puniat, prout aliquando populus Dei per Philistaeos, quibus indulserat, punitus fuit.<sup>28</sup> Et modernos impetus Turcarum nonne dissolutio Kozakorum nos sustinere fecit? Praeterea resuscitari poterunt illae priores ante Unionem coeptae Confoederationes Schismaticorum cum variis suis Sectis, unde verendum est ne id eveniat Patriae nostrae quod Silesia et aliis partibus.

(*Cosacorum malitia*)

Kozakorum quoque insolentia eo non ligabitur, imo laxabitur, qui post non habentes rationem Dei et Christi eius, ac conscientiae, maiora audebunt quam Nalevayco fuerat ausus. Consideret solummodo Ill.ma Dominatio Tua, nondum habent tales libertates et ecce iam quatuor monasteria principalia Chioviae eripuerunt, condictamine facto cum monachis adhuc ante renovatam Unionem, e collatione Regia. Praecipue monasterium S. Michaelis aurei verticis, S. Nicolai Eremitorii, S. Cyrilli, et Messorion monasterium et appropriarunt iure iniquo collationem Archimandritae Chioviensi. Nunc recenter Pseudo Patriarcham Graecia evocant, praeter notitiam et consensum Serenissimi Regis et totius Reipublicae, Metropolitanam (277v) et Episcopos praeter omnem iustitiam, posthabitis superstitibus a Serenissimo Rege praesentatis ac privilegiatis, novos sibi creati mandant, eripientes evidenter S. R. M. ius Patronatus;<sup>29</sup> et quid postea

<sup>27</sup> Fortasse agitur de «rokosz Zebrzydowski» anno 1606-7.

<sup>28</sup> Verba quasi prophetica, si consideretur ulterior historia regni Poloniae, praesertim vero motiva divisionis huius regni (1772, 1793, 1795) ab imperatoribus et imperatricibus imperiorum vicinorum (Rossia, Austria, Prussia).

<sup>29</sup> Agitur de Patriarcha Hierosolymitano Theophane, qui anno 1620 (mense Augusto) novam hierarchiam schismaticam Kioviae ordinavit.

non facturi sunt, ubi cognoverint affectationibus eorum in omnibus satisfieri?

*(Schisma semper maius tentat et peius, semper unitur cum Haereticis contra Catholicos. Occidit Catholicos)*

Voces vero quas illa barbaries emittit, se velle potius gemere sub iugo Turcarum, non tantum non opprimeretis sublacione Unionis, verum etiam augebitis. Natura hoc innatum Schisma habet, quod malit cum Turcis et Haereticis confraternitatem habere, quam cum Catholicis. Imperator Bizantinus, Emanuel Comnenus,<sup>30</sup> a principio Schismatis, induciis factis cum Turca exercitus Catholicos Gallorum, qui subsidium ipsi ferre cupiebant ad eliberandam Terram Sanctam, farina calce permista enicavit cum quibus condictamen fecerat, Latinos delendos, invidia laborans ne confortati Palestinam eliberarent e manibus Turcarum, de quo Graecus Nicetas Choniata scribens conqueritur de Emanuele. Quid mirum quod et haec colluvies Schismaticorum libentius adhaereat Turcae quam pio Catholico Serenissimo Regi? Animadversione igitur non vero libertate compescantur rustici.

*(Calumnia Moschorum)*

Moschi si haec Nobis imponunt literis suis ad Ill-mos Senatores Regni et Mag. Duc. Lithuaniae nos esse in causa recessionis eorum a iuramento praestito Serenissimo Regis Filio,<sup>31</sup> magnam profecto et intolerabilem iniuriam patimur, quae nunquam vel minimo signo probari poterit. Schismaticis potius, non vero nobis eam obiciant.

*(Ecclesias a Schismaticis repetit)*

Mohiloviensibus post latam sententiam a Serenissimo Rege ad exemplum Plutarchi fere dimidia parte anni indulseram ut in ecclesiis eorum impietatem absolverent parte manitate cupiens illos adducere. Verum ubi intellexi conniventia mea eorum pertinaciam magis indurari repetii ecclesias, et Sacerdotibus catholicis exemplaribus tradidi. Orent igitur in ipsis cum his Sacerdotibus; non sunt sigillatae, aperiuntur (278) dum Cultus Divinus peragitur, modo ipsi esse velint pii ac devoti.

*(Contra violentiam in ecclesiarum alienatione protestatur)*

Concedere autem has ecclesias ad blasphemandum in illis Deum conscientia vetat mihi; si autem ausi fuerint vi exigere, defendere non potero, ad Iudicium Dei appellare cogor. His omnibus, ut servus Dei indignus et filius Patriae fidelis, Ill.mae Dominationi Tuae propositis diligenti considerationi commendo humiliter obsecrando ut Ill.ma Dominatio Tua veteri modo mihi Maecenas atque Patronus

<sup>30</sup> Emanuel Comnenus: 1143-1180.

<sup>31</sup> Vladislaus (postea rex Poloniae: 1632-1648).

esse non desistat, cuius ego me favori consueto quam diligentissime committo.

Polociae 22 Aprilis, Anno 1622.

Ill.mae Tuae Dominationis

Servus et apud Deum exorator

Josaphat Cuncevicius Archiepiscopus Polocensis (m. p.)

## 76.

Witebsk, 22. I. 1624.

*Decretum Commissionis Senatorialis, quo poena civitati Vitebscensi infligitur pro interfectione Archiepiscopi Polocensis Josaphat Kuncewycz.*

ASV, *Archivum S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 78-90 (copia)

BIBL. «TOWARZYSTWA PRZYJACIÓŁ NAUK», Poznań, vol. A-23-I, O. B. *Josafacie*, t. I, pag. 109-154, (textus manu scriptus Pauli Szymanski, duabus columnis duplicem dat huius Decreti lectionem polonicam).

STEBELSKI Ig., OSBM, *Dwa wielkie światła ... czyli żywoty śś. Panien i matek Ewfozyny i Parascewii... z Chronogią i przydatkiem...*, Vilna 1781, ed. 2, p. 187-212 (Przydatek).

### DECRETUM COMISSORIALE VITEPSCENSE (fol. 78)

Nos Commissarii Leo Sapia<sup>1</sup> Palatinus Vilmensis, Mohiloviensis etc. Gubernator, Tenutarius oeconomiae Brestensis, Christophorus Drucki Sokolinski<sup>2</sup> Castellanus Mstislaviensis, Surrogator Palatinatus Polocensis, Jezierensis etc. Gubernator, Alexander Corvinus Gosiewski<sup>3</sup> Referendarius et Notarius Magni Duc. Lithuaniae, Vielizensis, Pinscensis, Cupiscensis etc. Gubernator, Alexander Deusdedit Sapia<sup>4</sup> Orsensis, Czeczereensis, Prepoliensis etc. Gubernator, peculiaribus autem Sacrae Regiae Maiestatis Literis adfuerant nobis Ill.mus Dominus Nicolaus Zawisza,<sup>5</sup> Palatinides, Surrogator et Praetor Vitepscensis, de mandato et literis S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi Commissarialibus ad administrandam iustitiam (78v) et poenam iniungendam civibus Vitepscensibus, ob crudelem et innocentem occisionem Venerabilis Patris Josaphat Cuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Episcopi Vitepscensis et Mstislaviensis deputati. Assignato termino utrique parti pro die 15 Mensis Januarii convenimus postea Vitepscum.

Tertia die, hoc est 17 die eiusdem mensis, vocavimus ad se Ill.mos

<sup>1</sup> Sapia Leo, cfr. p. 64, nota 119.

<sup>2</sup> Drucki-Sokolinski Christophorus, Castellanus Mstislaviensis ab an. 1622, dein ab an. 1625 (27. V) Castellanus Polocensis. Obiit anno 1640.

<sup>3</sup> Gosiewski Alexander, Palatinus Smolenscensis ab anno 1625 (15. VI). Obiit anno 1639.

<sup>4</sup> Sapia Alexander Deusdedit (Bohdan), Gubernator (starosta) Oršanensis. Anno 1619 Castellanus Vitepscensis, nominationem tamen non acceptavit. Anno 1631-2 « cześnik ». Vita functus anno 1633.

<sup>5</sup> Zawisza Nicolaus, filius Joannis, Palatini Vitepscensis, Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae, Castellanus Vitepscensis ab an. 1626 (25. XI). Obiit anno 1647.



DD. Officiales Terrestres Vitepscenses, Dominum Michaellem Unichowschi, Vexilliferum, Dominum Samuelem Starosielschi, Judicem Terrestrem, Dominum Joannem Dirmunt Sieniecchi, Vice Judicem, et Magistratum Castrensem Vitepscensem, Dominum Joannem Uszeniecchi, Vice Palatinum, Dominum Philippum Osipowschi, Judicem, Dominum Vasilium Szapcha Chotolensem, Notarium, et Cursores Generales: Polocensem Joannem Schirmunt, Vitepscensem Christophorum Budziewicz<sup>6</sup> cum Iurisdictione nostra Commisoriali fundata, Magistratui civili omnibusque Civibus Vitepscensibus voluntatem et mandata S. R. Maiestatis aperiremus; non valentes autem ultra hoc negotium propter brevitatem temporis hac die diiudicare et finire, in diem crastinum distulimus iniungentes, ut utraque pars Activa, et Defensiva ad causam praeparata coram nobis compareret.

In crastinum igitur, 18 Ianuarii, ex parte Activa ab Ill.mo D. Josepho Vielamin Rutschi, Metropolita Chioviensi, omnium Spirituum Religionis antiquissimae Graecae sub obedientia Ill.mi existentium totiusque Capituli Archiepiscopatus Polocensis et Vitepscensis, Patres Alexander Scholdicchi et Gregorius Bitynski una cum famulis sanctae memoriae Patris Josaphat Cuncevicij, Archiepiscopi Polocensis, Pater Dorotheus Archidiaconus et Generosi Nicolaus Ocolou, Emanuel Cantacusenus, Graecus, Joannes Łosowski, Gregorius Uszacchi, Tomas Sielawa, Stephanus Strachozchi, Paulus Craiewski, Petrus Krucowski, Timoteus Czeczerski, Theodorus Sitkiewicz,<sup>7</sup> Consules autem Proconsules, Scabinii aliique cives Vitepscenses ipsimet personaliter Basilius Bonicz, Simeon Niesza, Theodorus Suchoruch, Theodorus Spica (79), Petrus Ivanovius, Consules;<sup>8</sup> Carp Choroszo, Theodorus Ostafovius, Theodorus Sitkiewicz, Zacharia Czamovicus, Gregorius Osnieievius, Michael Horbun, Basilius Coroban, Joannes Hutor, Proconsules;<sup>9</sup> Agapius Vasilevius, Simeon Cosiel, Theodorus Szczepanovius, Optatus Szczur,<sup>10</sup> Athanasius Wołch, Nicolaus Hutor,<sup>11</sup> Philon Niciporovius, Scabini; Gregorius Bonicz, Notarius,<sup>12</sup> ex plebe autem Stephanus Spica, Philippus Wołch, Ozarcho Vasilevius.<sup>13</sup>

Cum prodiissent, imprimis Literas Commisoriales S. R. Maiestatis

<sup>6</sup> Nomina personarum supra enumeratarum in editione polonica Ignatii Stebelski sic scribuntur: Michael Kunicki, Samuel Starosielski, Jan Domont Siwicki, Jan Uzeniecki, Filip Osipowski, Bazyli Szapka Chotolski, Jan Skirmont, Krzysztof Bujewicz (cfr. STEBELSKI Ig., *Dwa wielkie światła... Przydatek do Chronologii*, p. 188).

<sup>7</sup> Hi postea in Processu Polocensi an. 1628 testimonia sua deposuerunt; cfr. testes 9, 133, 15, 38.

<sup>8</sup> In Processu Polocensi an. 1628 vide testes nr. 82, 91, 104, 92.

<sup>9</sup> Cfr. testes nr. 90, 96, 127 in Processu Polocensi an. 1628.

<sup>10</sup> Cfr. testis 97 in Proc. Polocensi an. 1628.

<sup>11</sup> Cfr. testis 93 (*ibid.*).

<sup>12</sup> Cfr. testis 81 (*ibid.*).

<sup>13</sup> Cfr. testes nr. 105, 99 (*ibid.*). Omnia supra enumerata nomina sic se habent apud Ig. Stebelski: Alexander Szkoldycki, Hrehory Bujnicki, Dorofiej Lecykowicz, Mikołaj Osolowski, Emanuel Kantakuzen, Jan Łosowski, Grzegorz Uszacki, Tomasz Sielawa, Stefan Strachocki, Paweł Grajewski, Piotr Krukowski, Tymoteusz Czeczerski, Teodor Sidzkiewicz, Bazyli Bonicz, Siemion Niesza, Teodor Suchorucki, Teodor Szpica, Piotr Iwanowicz, Siemion Wołch, Karp Chorosza,

coram illis legimus, quae post titulum S. R. Maiestatis sic se habent: «Magnificis et Illustribus Leoni Sapicha, Palatino Vihnensi, Samueli Sanguszcho Kowelschi Vitepscen., Christophoro Sokolinschi Mstista-viensi Castellano, Alexandro Corvino Gosiewski Referendario et No-tario Magni Duc. Lithuaniae, Alexandro Sapicha Orsensi Gubernatori, Commissariis ad Actum inferius descriptum designatis, intime ac sin-cere Nobis dilectis gratiam Nostram Regiam.

Magnifici, Illustres intime et sincere Nobis dilecti.

Certum accepimus nuntium quod Magistratus, Cives, ac Pleps civitatis Nostrae Vitepscensis paucis ante temporibus facto notabili tumultu et seditione contra Rev.dum quondam Patrem Josaphatum Cuncevicium, Archiepiscopum Polocensem, tum temporis in civitate Vitepscensi dioeceseos suae et iurisdictioni illius spirituali subdita resi-dentem, deliberato conventionequae longe ante facta in malum opus et campanae signo ad tumultum dato, supradictum Archiepiscopum in Curia propria, manu violenta aggressi, crudelissime trucidarunt. Oc-currendo itaque ne talis insolentia et intolerabile factum plus ultra serpat, sed potius meritis solvat poenas, fidelitati et sinceritati vestrae, quorum nobis fides et in rebus sibi commissis peritia optime nota est, committere id deliberavimus, sicut et committimus omnimodam dando potestatem, ut fidelitas et sinceritas vestra, termino et tem-pore iudicandae istius causae, mutuatis solide consiliis, constituto ad civi-tatem supradictam Vitepscensem conveniant, et de tam crudeli, tumultuario et publico facto iudicio criminali et processu inquirent, reos se-verissime puniant, causam hanc ne negotium aliis Reipublicae negotiis facessat, sine ulla appellatione, informatione ulteriori (79v) nostra vigore executionis quam totius sua definitiva sententia pacificent. Quod autem abusi sunt gratia nostra Regia et iuxta debitum suum pacem publicam custodire nescierunt, sed in tumultus et seditiones, profusionem san-guinis innocentis sacerdotalis laxarunt habenas ulteriorem severitatem legum quam totius in sempiternum memoriae exemplum sinceritas et fidelitas vestra protrahere debent tali ratione, ne amplius iam libertate et iure Maideburgensi per antecessores Nostros, et nos ipsos clementer collato gaudeant, supradictos cives Vitepscenses tanquam legum publi-carum, Authoritatis Nostrae contemptores ab illis abalienabit, et quid-quid Decreto suo constituent pro rato acceptabimus, quod faciet sine-ritas et fidelitas vestra ex officio suo et propter gratiam nostram, absentia alicuius in commissis non obstante, neque etiam praesentis Commissionis legitimitatem inpediente.

Datum Varsaviae die 9 Mensis Decembris A. D. MDCXXXIII, Regnum Nostrorum Poloniae XXXVI, Suetiae XXX Anno ».

His lectis, ab Ill.mo D. Metropolita et universo Clero et famulis pie defuncti Rev.mi Archiepiscopi supranominatis famulus sanctae me-moriae Archiepiscopi Polocensis Dominus Gregorius Uszacki, cum illo

---

Bogdan Ostapowicz, Bogdan Sitkiewicz, Zacharyj Czarkowski, Hrehory Owsianko, Michajło Horbuń, Jan Hektor, Hapiej Wasilewicz, Siemion Kozieł, Bogdan Ste-fanowicz, Zdan Szczur, Apanas Wołk, Mikołaj Hutor, Filon Nikiforowicz, Hrehory Bonicz, Stefan Szpica, Filip Wołk, Azarko Wasilewicz (*op. cit.*, p. 189).

autem simul in locum Instigatoris Magni Duc. Lithuaniae a nobis substitutus Generosus Dominus Andreas Dunin Cominschi, quaerelam contra tam enorme crimen, et facinus ac proinde etiam offensam S. R. Maiestatis D. N. Clementissimi deposuerunt contra Consules, Proconsules, Scabinos, universamque plebem civitatis Vitepscensis: Quod illi ab initio Rev.mo quondam Patre Josaphato Cuncevicio, Archiepiscopo Polocensi, a S. R. Maiestate Domino Nostro Clementissimo nominato, et iuxta Ritum Ecclesiae DEI ab Ill.mo Domino Josepho Vielamin Rucchi, Metropolita Chioviensi, aliisque Coëpiscopis consecrato, recepto prout decuit obedientiam eidem debitam tanquam Pastori proprio integro triennio<sup>14</sup> exhibuerint, verum postea anno 1621, quidam Maximus Harasimovius, nunc vero noviter (80) cognominatus Meletius Smotrizchi, post adventum in Dominia S. R. Maiestatis cuiusdam Theophanis Graeci, qui Patriarcham se promulgabat Hierosolimitanum, missus vero fuit ab Imperatore Turcico ad Moscovitas, ut illis persuaderet et incitaret ad ruptionem foederis, et belli susceptionem adversus S. R. Maiestatem Dominum Nostrum Clementissimum, atque adeo contra Regnum Poloniae, Magnumque Ducatum Lithuaniae absolutique nationem Moscoviticam a foedere, iuramento confirmato cum Dominiis S. R. Maiestatis, ut eo temporis quo Imperator Turcarum cum suo exercitu Dominia Sacrae R. Maiestatis invadet, Moscovitae ex altera parte totis viribus impetum facerent. Perfecto autem hoc negotio in Moscovia ex professo huc in Dominia S. R. Maiestatis venit; relicto itaque regressu Hierosolimam ut solummodo in Dominiis S. R. Maiestatis sub tempus belli illius inter homines tumultus et turbationes excitaret, prout etiam subditis S. R. Maiestatis Cosacis Nisoviis in vicio vertebat, et repraehendebat, quod cum Serenissimo Regis Filio in Moscovia fuerint inhibuitque ne id in posterum facerent.

Apud hunc tam nefarium hominem, subditum Imperatori Turcico et proditorem S. R. Maiestatis et Reipublicae, qui hic in Dominiis S. R. Maiestatis nullam autoritatem et iurisdictionem habens hic Maximus Harasimovius, homo plebeiae conditionis, qui se cognominaverat Meletium Smotricki, ausus est ordinari ab illo in Archiepiscopatum Polocensem, cum maxima detractioe Autoritatis S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi, ad quem proprie pertinet nominare et praesentare Archiepiscopos, Episcopos, Metropolitans in Regno Poloniae, Magnoque Ducatu Lithuaniae, sicut id iura et constitutiones comitiales expresse praescribunt anno 1588, quod nulla persona Episcopatum ad derogandum ius Regium obtinere debet, alias id totum debet esse irritum et inane; peculiariter autem statutum antiquum cautum vult, ne ullus cuiuscunque nationis et conditionis spiritualia beneficia collationis nostrae qualicumque modo impetret, neque collata ab aliquo recipiat sine nostra licentia sub poena proscriptionis et confiscationis bonorum suorum parentum, et propinquorum eius, multaue alia Decreta (80v) Comititalia his similia.

Consules autem Proconsules, Scabini, et cives civitatis Vitepscensis non curantes id quod Smotrizchi iniuste contra ius commune, et

<sup>14</sup> Scil. anno 1618-1620.



contra auctoritatem S. R. Maiestatis Archiepiscopatum Polocensem sibi appropriaret, et intitularret, relicto proprio Pastore Rev.mo Josaphato Cuncevicio, cui tanquam a S. R. Maiestate praesentato per triennium debitam reddebant obedientiam, conspirantes et tumultus contra illum vitamque ipsius machinati sunt, nihili facientes mandata S. R. Maiestatis literasque vadii de securitate salutis eius editas, cuius rei imprimis deponebant protestationem pie Defuncti, extracto ex libris Castrensibus Polocensibus, de data anno 1621, mensis Aprilis 28 die, attestations duas multorum Dominorum Nobilium incolarum Palatinatus Vitepscensis, qui de talibus conspirationibus et seditioibus illorum sciverant, unam de data anni 1621, Augusti 16 die, alteram in Comitoliis Februarii anno 1622, die 2 Februarii.

Nihil id profuit insolentibus tumultuariis, nec mandatum S. R. Maiestatis, nec monita Ill.mi D. Palatini nec minae poenarum illos detinuerunt. Item anno 1622, per totum annum, similes conspirationes, seditiones, conventicula furtiva, conciliabula et conspirationes in vitam et effusionem innocentis sanguinis Rev.mi Episcopi Pastoris sui, illorumque qui secundum ordinem antiquissimae Religionis Graecae, et Canones SS. Patrum et tanquam proprio Pastori suo obedientes erant insidiabantur. Ecclesiam ubi Rev.mus piaae memoriae Archiepiscopus cum Praesbyteris suis Liturgiam celebrabat invadebant, sacerdotes, et famulos verberabant, apparatus ecclesiasticos vi eripiebant, ob quod nefas cum in Iudicium Ill.mi Domini Nicolai Zawisza, Surrogatoris et Praetoris Vitepscensis, citati essent in Praetorium, non permittentes se iudicari, coniuratione facta, ad lapides prosilierunt, pileis in cumulum coniectis (81), more coniuratorum rebellium, Maiestatem S. R. Maiestatis in persona Ill.mi Domini Praetoris spreverunt, Rev.mum Archiepiscopum invaserunt: « Cede, occide » vociferantes, ita ut vix ex Praetorio Ill.mus D. Praefectus et pie Defunctus pro tunc salvi evassissent. Et licet deinde ecclesias aliquot Rev.mo Archiepiscopo cessionissent, omnes tamen apparatus, thesaurum ecclesiasticum, aurum, argentum, setani, caeteraque varia ornamenta sustulerunt, nudis solummodo parietibus relictis, cuius rei extractum ex libris Castrensibus Vitepscensibus deponere, anno 1622, Februarii 21 die. Alteram protestationem de data eiusdem anni, Februarii 23 die, delationis Sanctae Memoriae ob tales tumultus, seditiones et minas in Officio Castrensi Vitepscensi factam, relationem Cursoris Generalis Polocensis, Joannis Skirmunt, extractam ex libris Castrensibus Vitepscensibus, de data anni 1622, Martii 5, cessionis ecclesiarum Rev.mo desolataram, et spoliatarum, relationem alteram eiusdem Cursoris Generalis Polocensis, eodem anno, mense et die: conspectionis invasionis violentae in ecclesiam Annuntiatae, in Arce inferiori sitam, cum tumultu seditioso et de Praesbyteris ac famulis lapidibus impensis deponere, et alias quam plurimas protestationes et relationes Generalium Cursorum contra supradictos cives Vitepscenses et nonnullos Polocenses.

Quibus tam insolentibus seditioibus et tumultibus volens Ill.mus Dominus Palatinus Vitepscensis<sup>15</sup> pro officio suo occurrere, misit

<sup>15</sup> Palatinus Vitepscensis tunc temporis erat Joannes Zawisza, pater Nico-

ad illos in Praetorium Dominum Uzenezchi, Vicepalatinum suum Vitepscensem, cum literis vadii ne tales tumultus, seditiones, conventicula secreta et conspirationes contra auctoritatem S. R. Maiestatis Rev.mo Archiepiscopo facerent, et in omnibus cum illo Praesbiterisque eius pacifice viverent, imposita contra unumquemque illorum excessivum poena vadii marcarum fere 6000, S. R. Maiestati persolvenda, et aliis in constitutionibus contra turbatores Reipublicae descriptis. Quod probando deponebant extractum ex libris Praetorii Vitepscensis de data 14 Junii anno 1623 (81v).

Non curabant vadium sibi impositum, sed eo magis in malitia sua et pertinacia persistentes et suum malum intentum, Deo et hominibus exosum, ad effectum deducentes, communicatis consiliis cum suis complicibus et adiutoribus, Domino Leone Hurco, Notario Terrestri Vitepscensi, Domino Nicolao Wasilewshi, aedituo Vitepscensi, Domino Joanne Kisiel Dorohonicensi, Domino Nicolao et Joanne Nascoviis, et Domino Joanne Cotovio,<sup>16</sup> illorum propria voluntate et scitu et boni eventus promissione, habentes quoque in hoc iidem cives Vitepscenses condictamen et conventionem cum civibus Mohiloviensibus, Orsensibus et quibusdam civibus Polocensibus et Vilnensibus, factaque coniuratione cum universa plebe civitatis Vitepscensis et subditis Nobilium aliisque diversarum iurisdictionum, anno proxime praeterito 1623, Novembris 12, die Dominica, mane hora octava, statim post Matutinum dato ad tumultum signo campanae praetorialis, omniumque aliarum campanarum ecclesiasticarum sono, nullam habentes causam et accessum contra Reverendissimum Archiepiscopum Polocensem, immemores imprimis timoris DEI, pudoris humani, et gravis poenae contra turbatores constitutae, turbando pacem publicam, cum maximo tumultu hominum, quorum numerus aliquot milia attingebat, invadentes forti ac violenta manu illae supra nominatae ac latae personae personaliter et cum suis adhaerentibus Curiam Rev.mi Archiepiscopi Polocensis in civitate Vitepscensi, ad ecclesiam S. V. Mariae sitam, ubi Reverendissimus ipse in persona sua, cum omnibus famulis suis erat, factaque acclamatione non aliter ac hostes ingressi per vim Curiam, portis saepibusque perfractis, cives, ubi ipsemet Reverendissimus erat, stramine circumdato accendere ceperant, irrumpentesque per vim in ipsam domum, explendo suum malum tyrannicum affectum quod non solum Christiani, sed neque Pagani ipsi in suum Praepositum, praecipue spirituales facerent, elata manu in Pastorem proprium crudeliter (82), tyrannice immisericorditer trucidarunt, et exercendo iam post mortem supra corpus defuncti maxima opprobria, pedibus trahendo per terram, illudentes, detractis vestitibus in solo tantummodo cilicio relin-

---

lai (cfr. supra nota 5, p. 264), ab anno 1599 usque ad annum 1626, Successit ei in hoc officio Samuel Simeon Sanguszko (1626, 21. V), qui erat Palatinus tempore Processus Polocensis et Vitepscensis an. 1628.

<sup>16</sup> In editione Ig. Stebelski: Lew Hurko, Jan Kisiel Drohinicki, Mikołaj i Jan Januszkowski, Kotowicz (*op. cit.*, p. 195).

querunt, quod tanquam Pater et Pastor piissimus mortificando corpus suum gestabat, percutiendo et calcando pedibus faciem Rev.mo, infligendo etiam post mortem corpori vulnera, tamque crudeliter trucidatum corpus Rev.mi apprehensum per pedes non secus ac tyranni ex monte B. Virginis, qui est supereminens et arduus fluvio Dunae impendet, ad quem etiam Curia Rev.mi sita est, praecipitarunt. Postea autem sicarii imposito in naviculam alligatisque collo et pedibus in eodem cilicio multis lapidibus ultra civitatem in alto fluminis Dunae submerserunt.

Eodem etiam tempore famulos Rev.mi, nominatim autem Patrem Dorotheum Lecicovicium, Archidiaconum, Dominum Nicolaum Okołów, Dominum Emmanuelem Kantacusenum, Dominum Gregorium Uszazchi, Dominum Joannem Łosowski, Dominum Thomam Sielawa, Dominum Stephanum Strachozchi, Dominum Paulum Kraiewski, Dominum Petrum Crucowski, Dominum Timotheum Czezerski, Dominum Theodorum Turowicz<sup>17</sup> multosque alios famulos Rev.mi immaniter fustibus ceciderunt, alios etiam variis armis vulnerarunt. Domum quoque totam intus ut hostes in maximum despectum devastarunt, et bona mobilia omnia a minimo ad maximum, aurum, argentum, pecuniam in paratis, tapetia, vestes, suppellectilem culinae, stannum, aes, aliaque quam plurima Jura et foundationes pro variis bonis ecclesiasticis, Decreta diversa, Chirographa, omnia quoque bona illorum supranominatorum aliorumque famulorum Rev.mi, hoc est argentum, pecunias, vestimenta, frameas, aliaque a minimis usque ad maxima vi diripuerunt. Ex cellario quoque Piae Memoriae depromptis potibus, gaudentes de tam malo et inaudito facinore suo exhauerunt, et ebrii pergebant in damnis inferendis (82v); perfractis penum seris frumentum evexerunt, a curribus, fenestris, foribus feramentis obruptis, fenestras, fornaces concusserunt, omnia destruxerunt, in nihilumque redegerunt, quorum omnium damnorum Rev.mi Servorumque eius in Registro ad libros publicos deposito summa fuit florenorum polonicorum 3079. Quod corpus Pie Defuncti tyrannice martyrisatum et submersum ex aquis exemptum in Magistratu Castrensi Vitepscensi praesentatum fuit.

Finite depositione querelarum deponebant coram nobis aliud extractum ex libris Castrensibus Vitepscensibus, de data eiusdem anni, Novembris 18 die: conspectionis corporis martyrisati Patris Josaphat Cuncevicii Archiepiscopi Polocensis.

Post deductionem vero horum iuridicorum processuum pars Rea, Consules, Proconsules, et Scabini nonnullique ex plebe cives Vitepscenses personaliter comparentes coram nobis in iudicio omnes unanimiter dixerunt: « Verum est, Ill.mi Domini et Clementissimi DD. Commissarii, quod temporibus antecessorum nostrorum et nostris semper ex collatione et privilegiis Regiis DD. Nostrorum Clementissi-

<sup>17</sup> Nomina supradicta in editione polonica Ig. Stebelski: Doroftej Lecykowicz, Mikołaj Okołowicz, Emanuel Kantakuzen, Hrehory Uszacki, Paweł Grajewski, Piotr Krukowski, Jan Łosowski, Tomasz Czezerski, Teodor Tukowicz (*op. cit.*, p. 197).



morum Episcopi hic Vitepsci suscipiebantur, sicut etiam et dignus aeternae memoriae Pater Josaphat Cuncevicius, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitepscensis, et Mstislaviensis cum anno 1618 Episcopatum hunc Vitepscensem ingrederetur literas S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi monstravit, suscepimus illum tamquam Pastorem nostrum, expertique illius sanctam piamque vitam, et bonam veramque pastorem doctrinam, videntes etiam id quod (83) ne minimam quidem mutationem in caeremoniis Ecclesiae DEI faceret, sed totum secundum Concilia et Canones Sanctorum Patrum absolveret, in omnibusque antiquissimae Graecae Religionis fidem teneret, multum ex eo consolati sumus, illum quoque tamquam Pastorem nostrum venerabamus, eius amorem et gratiam versus nos omnes paternum experiebamus.

Duravitque id per integrum triennium, donec postmodum, ob peccata forse maiorum nostrorum et nostra, ex permissione Dei quidam Meletius Smotricchi misisset quendam Silvestrum cum socio, vestitum habitu monachali, cum literis suis ad civitatem hanc Vitepscensem, qui hospicio excepti sunt in Arce, in Domo Domini Leonis Hurco, Notarii Terrestris Vitepscensis. Qui putati monachi et cum illis Joannes Kamieniec Praesbyter, subditus autem S. R. Maiestati, incola Vitepscensis, qui huc usque est penes Dominum Hurco, Notarium, adhaerens concitata occulte plebe, et postea cum Domino Hurco, Notario, et Domino Adamo Cosow, Notario sub illud tempus Castrensi Vitepscensi, et cum aliis personis, cum Domino Nicolao Wasilewshi, Aedituo Vitepscensi, in protestatione Rev.mi Archiepiscopi expressis cum venisset in Praetorium anno 1621, Mensis Martii die 3, deposuerunt literas, in quo<sup>18</sup> se hic Meletius subscripserat Archiepiscopum Polocensem, Episcopum Vitepscensem et Mstislaviensem, quasi cum scitu et voluntate S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi in hanc dignitatem spiritualem a Patriarcha consecratus esset, Rev.mum autem Archiepiscopum Cuncevicium Apostatam cognominabat; quas literas tanquam ad decipiendos homines plenas verbis coram suis Ill.mis Dominationibus deposuimus.

Eodem etiam tempore Magnifici Domini incolae, qui cum his monachis in Praetorium venerant, plebs et nonnulli ex principalioribus, uti Naum Wołch, Simeon Niesza, et alii iis adiuncti legere has (83v) literas mandarunt. Quibus lectis subito more violento et tumultuario non informati fundamentaliter cum nobis omnibus nec sinentes se coërceri obedientiae Rev.mo Archiepiscopo Josaphat, tanquam proprii verique Pastoris sui, praeter voluntatem et literas S. R. Maiestatis valedixerunt, adiunctique huic Smotricio scriptum quoddam huius impertinentis et iniustae obedientiae, quod paratum manuque sua subscriptum hi Domini incolae, Nobiles praedicti, et in Praetorium tulerunt, nonnulli ex Principalioribus et plebe se subscripserunt, ecclesias et Praesbiteros per vim in partem Smotricii pertraxerunt.

Postea vero, cum literae S. R. Maiestatis ad nos pervenissent, M.

<sup>18</sup> Debet esse « quibus ».

D. Palatinides et Praetor noster<sup>19</sup> venit, volens nos hac in re iudicare et punire. Eadem plebs et nonnulli Principales per tumultus et seditiones suas iudicare se non permiserunt, pileos detrahendo capitibus in cumulum coniciebant, et parum abfuit quin Rev.mum Archiepiscopum occidissent, ita ut ipse met Dominus Palatinides, Praetor noster, cum Rev.mo Archiepiscopo maximis angustiis constringi deberent et licet ecclesias Rev.mo Archiepiscopo iterum ob literas S. R. Maiestatis ad pristinam ipsius possessionem et iurisdictionem restituerint, obedientiam tamen ab eo tempore nullam Patri Josaphat praestare voluerunt. Anno autem 1623 propter conventicula privata duas synagogas,<sup>20</sup> alteram ultra Dunam, alteram in Zadunaio, in civitate, extruxerunt, quod cum aliqui nostrum ex Maioribus prohiberunt, tum nostri ipsi quidam collegae, prout id inferius exprimetur, dum singuli nostrum sese rationem reddent,<sup>21</sup> adiuncti, plebi inhibere hanc petulantiam punireque insolentes non permiserunt. Interea autem Rev.mus Archiepiscopus huc ad nos venit, et licet praecautus fuisset ab aliquibus nostrum de his conspirationibus, et periculis, verum tamen Bonae Memoriae humilitate, humanitate, exemplo, pietate, demum pane et sale existimans illos devinci posse, et ad (84) sanam mentem perduci potius discordias nostras domesticas pacabat, multociquesque in eo laborabat confidens innocentiae suae, cum et illas synagogas ab illis noviter extractas nunquam ingrederetur, neque famulos suos introire permitteret, sed e fenestra sua audiens cantum et fremitus quos in contemptum, et irrisionem illius in synagoga ultra fluvium e regione Curiae Rev.mi extracta exercebant, dicere solebat, quod nesciant ipsi quid faciant, Deumque pro illis orabat.

Interea autem die 12 Novembris cum Piae Memoriae in ecclesia cathedrali Matutino interesset et Praesbyter huius loci, nomine Helias, in colonia Zaruczaiensi ad ecclesiam Resurrectionis existens, qui ante hac longo tempore sub obedientia Ill.mi manserat, postea vero ad plebem confoederatam se transtulerat, avulsusque ab obedientia Rev.mi Archiepiscopi saepissimeque paenes Curiam Rev.mi sine ulla necessitate, et quasi in despectum et opprobrium Rev.mi obambulabat, qui a famulis Rev.mi detentus fuit. Verum cum hac de re Rev.mo innotuisset, coram nobis aliquot praesentibus, qui ibidem in Matutino eramus, dimittere iussit, qui ex nunc dimissus est. Verum tamen hoc impium vulgus quod conspiraverat contra Rev.mum libenter arripuit hunc praetextum; occasionem nacti campanas sonare coeperunt, et, maximo impetu in Curiam Rev.mi facto, tam crudelem necem, et effusionem sanguinis innocentis, totumque id quod in propositione expositum est commiserunt; nos quoque, qui tum temporis in templo Matutino interfuimus, debuimus ob tantam tyrannidem

<sup>19</sup> Hoc tempore Praetor Vitebscensis erat Nicolaus Zawisza, filius Joannis Zawisza, Palatini Vitebscensis (1599-1626); inde nomen: Nicolaus Palatinides.

<sup>20</sup> In textu polonico: «szopy dwie» (STEBELSKI, *op. cit.*, p. 200).

<sup>21</sup> In textu Ig. Stebelski hic omissus est passus sat conspicuus, ut videtur ex inadvertentia typographiae, vel editoris (*op. cit.*, p. 200, linea 5 ab infra).

et tumultum fuga salutis nostrae consulere; nam id ipsum nos met ipsi, si id inhibere voluissemus, ab iisdem experiremur.

Plurimi dein horum sciariorum et homicidarum effugerunt, quorum catalogum Ill. mis DD. deponimus; quos autem capere potuimus, eos in carceribus detentos iudicio Ill. morum DD. praesentamus, et tradimus. Cuius rei protestationem coram Magistratu Orsensi Castrensi contra hos impios homines facere non tardavimus. Quod autem factum tam (84v) infandum, tyrannicum et inauditum contigerit, non putamus ut talis Procurator reperiri possit, qui civitatem hanc nosque omnes in ea degentes defendere, et liberare possit. Quocirca ipsi met sincere et vere sub conscientia prout gestum est exponentes et peculiare defensiones nostras in particulari, prout unusquisque nostrum ipse met sui facti rationem dare,<sup>22</sup> et referimus. Fidem autem et obsequium quod maiores nostri et nos ipsi ad hanc Arcem S. R. Maiestatis et Reipublicae alacri animo exponendo Maioribus S. R. Maiestatis et ipsi S. R. Maiestati et Reipublicae reddebamus rememorando humiliter exposcimus Suas Ill. mas DD., ut per inquisitionem reos hac in re convictos puniatis, illos autem qui innocentes invenientur protegere dignemini.

Unusque autem semet ipsum iustificans. Imprimis Basilius Bonicz,<sup>23</sup> Consul, deposuit coram nobis in scriptis excusationem suam, in quibus haec sunt munimenta, quod nunquam praebuerit occasionem mortis piae memoriae Rev. mi Archiepiscopi, non solum consilio, vel adiumento, sed ne cogitatione quidem fuerit conscius, quin imo cum tumultuarentur Stephanum Pasioram, tanquam Antesignanum sceleris, iudicare voluit, verum Naum Wołch, Consul et Vice Praetor tum temporis existens, cum collega suo Theodato Eustachii,<sup>24</sup> Proconsule, punire Pasioram non permiserunt. De extrusione autem synagogae quod aliqui illorum contra turbatores protestati fuerint extracto ex libris Praetoriis Vitepscensibus, sub data anno 1623, Augusti 28 die, demonstravit, et ad literas piae memoriae Rev. mi Archiepiscopi in vigilia mortis ad Ill. mum Dominum Palatinum Vitepscensem scriptas (in quibus Naum Wołch, Simeonem Niesza, Consules, et alios nonnullos culpavit, illum autem fautorem sui et quietum hominem esse dicit) provocabat. Praeterea met septimano iuramento (85) hanc veritatem se comprobaturum spondebat.

Hunc secutus Simeon Niesza, Consul, Theodatus Eustachii, Proconsul, Gregorius Bonicz,<sup>25</sup> Notarius Civitatis, tales praetexebant excusationes. Quod cum inter se iure decernerent discesserant tum temporis e civitate ad Ill. mum Dominum Palatinidem, Praetorem suum Vitepscensem, in vigilia plane obitus Rev. mi Archiepiscopi, id est Sabato, eadem autem die 12 Novembris, qua hoc homicidium confectum est. Biesiencoviis in bonis Ill. mi Domini Joannis Sokolinschi Druzchi, Notarii Magni Duc. Lithuaniae, erant. Dilationem huius causae quam

<sup>22</sup> Hucusque textus ab Ig. Stebelski omissus (*op. cit.*, p. 200).

<sup>23</sup> Cfr. testis 82 (Proc. Polocensis an. 1628, p. 109 nostrae collectionis).

<sup>24</sup> Bohdan Ostapowicz (STEBELSKI, *op. cit.*, p. 201).

<sup>25</sup> Cfr. testis 81 (Proc. an. 1628, vide p. 109).



habere debebant die 24 Novembris coram Illustrissimo Domine Praetore suo in Bochis; praeterea attestationem Ill.mi Ducis Sokolinski, Notarii Magni Ducatus Lithuaniae, deponentes, in qua scribit quod illa die, 12 Novembris, iam vesperi venissent Biesienkovios, leucis 12 distantes Vitepsco, ibi pernoctarunt; abiurationem appellabant.

Proconsul Carp Owsiewicz comparens talem de se rationem dedit, quod plus quam duabus hebdomadis ante tumultum Vitepsci non fuerit praesens, hac de re nihil sciverit nec consilio nec adiumento fuerit; talem in scriptis praebens excusationem.

Volebant iuramento evadere: Theodatus Sitchewicz, Proconsul, allata in scriptis excusatione, quod huic tumultui non interfuerit, nec autor mortis Rev.mi Archiepiscopi extiterit iureiurando comprobare voluit. Michael Horbun, Proconsul, verbo tenus se excusabat iuramentumque sibi deferre petebat. Carpus Choroszcho,<sup>26</sup> Filon Hrom, Zacharias Mateievius,<sup>27</sup> Basilius Coroban,<sup>28</sup> Proconsules: horum unusquisque comparens scripto testimonium innocentiae suae deponebat, iuramentoque confirmare voluit.

Agapius Basilides,<sup>29</sup> Scabinus, attulit attestationem aliquorum DD. incolarum Vitepscensium se sub tempus tumultus illius fuisse cum illis penes ecclesiam Annunciatae, in Arce inferiori, et ne minimum ab illis recedebat (85v), quod autem huius tumultus particeps non fuerit iuramento testari voluit.

Philon Niciporovius,<sup>30</sup> Scabinus, oretenus rationem sui reddens famulos ipsius Rev.mi Archiepiscopi appellabat, qui dixerunt, quod post interneccionem iam Rev.mi Archiepiscopi intraverit Curiam sine armis, nihilque fecerit. Retulitque idem Philon Scabinus in hoc tumultu fuisse etiam subditos Domini Iudicis Terrestris Vitepscensis, nominatim autem Rabiec et Łapca.<sup>31</sup>

Theodatus Stephanowicz Bosia, Scabinus, comparens dixit quod adhuc ante hunc tumultum a duabus septimanis aegrotaret, et sub tempus necis Rev.mi Archiepiscopi extreme laboraret, nec e domo egrederetur, praeter quam hoc tempore id ipsum iuramento corroborare paratus fuit.

Timotheus Mateides,<sup>32</sup> Scabinus, scripto innocentiam suam defendebat, iureque iurando ratum facere voluit.

Simeon Kosioł, Scabinus, comparuit et obtulit attestationem quorundam hominum ignotorum, qui ei testimonium innocentiae praebant, illum nimirum ea die quo Rev.mus Archiepiscopus occisus est domi suae in suburbio nuptias filiae celebrasse, neque huic tumultui se intermiscuisse, quod iuramento firmare voluit.

<sup>26</sup> Cfr. testis 90 (*ibid.* p. 110).

<sup>27</sup> Ig. Stebelski scribit hoc loco: Zachary Czarkowski (*op. cit.*, p. 202).

<sup>28</sup> Wasyli Karaban (*STEBELSKI, op. cit.*, p. 202); cfr. testis 96 (*Proc. an.* 1628 p. 111).

<sup>29</sup> Hapiej Wasilewicz (*STEBELSKI, op. cit.*, p. 202).

<sup>30</sup> Filon Nikiforowicz (*ibid.*, p. 202).

<sup>31</sup> Lytka Bohdan (*ibid.*, p. 203).

<sup>32</sup> Tymofiej Matwiejewicz (*ibid.*, p. 203).

Ex plebe autem, quibus in protestatione crimen est intentatum, solummodo Stephanus Spica, Philon Wołch et Ozarcho Vasilevius<sup>33</sup> comparuerunt rationemque innocentiae suae reddiderunt, se eo tempore ne in civitate quidem fuisse, quando hic excessus peragebatur, quod etiam abiurare parati erant.

Propter tales autem excusationes suas veniam ab huiusmodi delatione postulabant. Ad quae dicta Consulium, Proconsulium, Scabinorum et plebis civitatis Vitepscensis Instigator S. R. Maiestatis et famuli Rev.mi Archiepiscopi sic dixerunt: Illud quod quidam afferunt excusationes coram suis Ill.mis DD., quasi sub id (86) tempus non interfuerint, alii attestations hominum vix alicui notorum et suorum forsitan adhaerentium allegantes nudis verbis, et tam terribilis tyrannici excessus, tumultus, et rebellionis autores se fuisse negent, id illos iuvare non potest. Imprimis quod tota civitas Vitepscensis, exceptis aliquot, a longo tempore et turbationis et seditionis, et rebellionis a piae memoriae Rev.mo Archiepiscopo Polocensi delata sit, ut patet ex protestationibus, relationibus Cursorum, et attestations Ill.morum DD. incolarum huius loci, publice exhibitis, et ipsa illorum confessione, quod monachos suspectos ab illis apostatis, turbatoribus et traditoribus Reipublicae missos receperint. In Praetorio contra mandatum S. R. Maiestatis et Domini Palatini huius loci eos expedierint. In Praetorio conscriptiones et conventiones in tumultus fecerint. In Praetorio publice hoc etiam non privatus sed publicus excessus in crimen laesae S. R. Maiestatis factum est, quas turbationes, seditiones, rebelliones quod Consules, Proconsules et plebs inhiherent non videtur clarum, nisi nuda hominum verba.

Quod vero privatas protestationes ostendant, id illos in tam manifesto negotio et turpi crimine per evasionem iuramenti iuvare non potest, nam ipsimet huius rei autores plebi persuadebant, et eam turbabant, consilium et spem illis hac in re praebendo, hisque in hoc scelus persuasis et permotis unius leucae solum spatio a Biesencoviis<sup>34</sup> pernoctarunt, quod attestatio Ill.mi Domini Notarii comprobatur. Die Dominica sub noctem venerunt, alii domo non egrediebantur, malo consulto occurrere nolentes et quod magis urget principales incentores, traditores ex Urbe emiserunt, expedierunt, eosque protexerunt. Nam si ex tunc omnes detenuissent facile reos invenirent, quia omnia consilia et consensus DD. Consulium, Proconsulium, Scabinorum aperuissent, demonstrassent (86v).

Quapropter quia iuxta tenorem Juris Magdeburgensis non se gesserunt, et iuramentum illorum iubet dissensionibus et tumultibus obviare, illi autem et campanam Praetorii civitatis in tumultum, seditionem, et homicidium in abrogationem autoritatis S. R. Maiestatis sibi concessae converterunt, allegantes locum ex Jure Magdeburgensi Ordinis Civilis parte I, fol. 8 et 9, ex Jure Civili et Compendio

<sup>33</sup> Stefan Szpica (*op. cit.*, p. 203); cfr. testis 105 (Proc. an. 1628, p. 111). Azarko Wasilewicz (STEBELSKI, *op. cit.*, p. 203).

<sup>34</sup> Bieszenkowice (*op. cit.*, p. 204).

Resolutionum Juris fol. 1607,<sup>35</sup> ubi sic habetur, quod ille qui posset, et cui imcumberet adveniēti malo occurrere, et non occurreret eo ipso traditor et autor mali esse censetur. Et a fortiori, si quis profusionem sanguinis et tumultum suaserit, ipse met facit. Quam ob rem imprimis ob tam gravem offensam Maiestatis Divinae et S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi et contemptum autoritatis, profusionem crudelissimam, tyrannicam innocentis sanguinis pastoralis Episcopalis, more rebellium patratam, capitis mulctam secundum articulum 3 et 4 eiusdem capitis primi promeruerunt, libertatis amissionem, bonorum, et dignitatum privationem, secundum eandem Constitutionem Iurium Magdeburgensium articulo 6, fol. 8.

Instabat Instigator, ut torturis traderentur, siquidem illi ob militiam suam non providebant futuro malo. Suis Ill.mis DD. tanquam custodibus patriae integritatis, dignitatum S. R. Maiestatis incumbit providere, ut per torturas de maioritate seditionum certificati occurrere possent, et secundum eandem illorum iura, et constitutiones civiles, ut tanquam illi qui derogantes autoritati et potestati S. R. Maiestatis, occiso Rev.mo Archiepiscopo, honore, bonis, et salute privarunt, tandem crudeli morte prout Ius Magdeburgicum praescribit mulctentur.

Privatarum vero personarum (sicuti sunt famuli piae memoriae Rev.mi (87) Archiepiscopi honorati Nobiles) violentiae, vulnera, deformatio membrorum, fustium caesio, insatiabilis crudelitas in illos, spoliatio more praedonum tam Piae Memoriae quam etiam supra nominatorum famulorum, secundum Ius Statuti Terrestris, Cap. 2-o, art. 1-o et 2-o, restituantur, et in duplo compensentur. Vadium autem 6000 fere Marcarum, quod Ill.mus Dominus Palatinus Vitepscensis per Magistratum suum Castrensem pro S. R. Maiestate imposuerat, ut de personis et bonis illorum requirantur humillime supplicabant.

Illos autem qui Rev.mo Archiepiscopo affecti et obedientes erant, nec huius necis sunt complices: Petrum Iwanovicium, Consulem, Philonem Hromum, Joannem et Nicolaum Hutoros et Zenonem Szczur liberos ab hac accusatione, pristinaeque libertati eos relinqui exposcebant.

Nos Commissarii his dissertationibus, controversiis, scripturarum attestationibus et exceptionibus auditis, volentes plenius in hoc negotio informari quinam principalissima causa tam turpis et crudelis excessus eiusque autor esset, faciebamus inquisitionem et sufficientia scrutinia. Praeterea Naum Wołch, Simeonem Niesza, Consules, et alios aliquot nobis ad curandum traditos torturis subiici curavimus. Ex quibus omnibus et ex confessione propria horum duorum Consulium et aliorum plurimorum hominum, Civium Vitepscensium, videntes quod illi piae memoriae Rev.mum Patrem Josaphatum Concevicium Archiepiscopum ex ordinata S. R. Maiestatis collatione acceptarint ut Episcopum, et tribus annis pro Pastore suo habuerint in charitate et quiete decenti vixerunt; deinde vero, ubi excitati essent tam no-

<sup>35</sup> In textu Ig. Stebelski est 167.



civi tumultus et seditiones per litteras et missionem Meletii Smotrizki, coniurationes et conspirationes (87v) a longo tempore in occisionem et martyrium dicti Rev.mi Archiepiscopi, Pastoris sui, faciebant, et aliquoties id attentabant. Ad extremum tandem die 12 Novembris, anni proxime praeteriti 1623, hunc inceptum pessimum suum conatum ad exitum perduxerunt, parvi ducentes timorem Dei, potestatem S. R. Maiestatis, Domini Nostri Clemenstissimi, securitatem legum communium, diem sanctum Dominicum, quo ab omni opera Ecclesia Sancta supersedere iubet, maxime autem tam turpe facinus et crudele facere non licuit, nihilominus Magistratus civilis, Consules, Proconsules, Scabini, quorum munus erat et poterant huic rei occurrere plebem non cohibebant, quin imo, licet nonnulli ex ipsis praecipue autem Wołch et Simeon Niesza, Consules, cum caeteris e civitate die Sabbato discesserint, non procul tamen ab eadem distabant. fratres autem, filii, et famuli illorum una cum alia plebe tantum scelus perpetrarunt. Unde patet Magistratum etiam civilem totum, exceptis aliquot Piae Memoriae affectis, tanti sceleris fuisse conscium, et de facto esse. Quare omnes cives, non solum plebem sed etiam Magistratum civilem, reos in toto hoc tam turpi scelere deprehendimus, et agnoscimus.

Potestate autem et autoritate a S. R. Maiestate Domino Nostro Clementissimo nobis commissa, Jura Maideburgensia, immunitatem quoque a solvendo telonio per Antecessores S. R. M. concessam et a S. R. Maiestate Domino Nostro Clementissimo confirmatam tollimus, et abiudicamus, neque amplius iam penitus Iure Maideburgico et omni libertate a solutione teloniorum, qua hac usque gaudebant, quocumque alio iure, et liberate gaudere, sed (88) subiacebunt iuri et iurisdictioni Domini Palatini Vitepscensis nunc et in posterum existentis; obedientiam et subiectionem omnem Ill.mis Dominis Palatinis Vitepscensibus, moderno et successoribus, et Castello S. R. M. Vitepscensi exhibere debebunt non aliter ac Maiores illorum, ante concessionem huic civitati Juris Maideburgensis, fecerunt. Ideo quoque Praetorium ex nunc demoliri decernimus et campanam habere civitatem prohibemus; in locum autem Praetorii austeriam, ut ante hac erat, extrui concedimus. In forensibus autem causis liberam appellationem habebunt ad Judicia Curiae S. R. Maiestatis. Telonia etiam a mercantiis et mercibus suis singulis secundum constitutionem aerarii persolvere debebunt, et tenebuntur ad aerarium S. R. Maiestatis.

Quod autem exceptis aliquot supra nominatis personis omnes tanti sceleris fontes reperiantur, iustum esset ut omnes quoque huius sceleris sui poenam capitis luant. Verum tamen moderantes nos securitatem legum publicarum, licet hoc immane facinus cadat super omnes, poenam et supplicium ad minorem numerum restringimus. Scilicet hos captivos quos ipsimet cives comprehensos, vinctos custodiae nostrae tradiderunt, quorum quosdam ex confessione illorum in torturis, quosdam autem ex inquisitione ac complicitatis testimonio magis reos agnoscentes, nominatim autem: Naum Wołch, Simeonem Niesza, Consules, Joannem Hutnisczovium, qui campanam Praetorii

in signum tumultus sonabat, Gregorium Scorubam, Gabrielem Romanovicium, Germanum Haidonem, Fursum, Szapowali Filium, Theodatum Fabrum, Gregorium Bibcum, Gabrielem Fusorem, aeramentarium, Joannem Lubczynum, Joannem Olesinium, Romanum Danilovicium, Theodorum Cosacum, figulum, Theodorum Ciecieram, Jacobum Cauponem, Stephanum Truchonovium (88v), Basilium Thyrsium, Petrum Basilidem, Polocensem, qui in hoc negotio Vitepscum veniens his maleficis consilium et auxilium suppeditabat, volens iudicia Commissariorum implicare, et impedire, qua de re citatus coram nobis et inquisitus fassus est cives Polocenses cum Confratribus Vilmensibus, aliisque conspirationem et conscriptionem fecisse, multoties pecuniam contribuisse tumultus gratia, quas conscriptiones et regesta ille apud se asservabat, et huc usque in domo sua servat Polocia. Filius quoque eius Basilium sub tempus occisionis Rev.mi Archiepiscopi Polocensis aderat hic Vitepsci; hunc igitur tanquam autorem et principem seditionum, ex quibus haec crudelis secuta est, una cum aliis superius nominatis malefactoribus ex inquisitione et complicitatis testimonio convictos tanquam criminosos, seditiosos, et rebelles capitali poena mulctari decrevimus.

Eodem modo quoque illos quorum nobis Magistratus civilis cathalogum dedit, qui cum essent rei incentores et auctores horum tumultuum, seditionum, tam turpis maleficii confectoque tam gravi scelere, ante adventum nostrum Commissariorum, aufugerunt, praesertim autem Theodosium Niewchod et filium eius Basilium et Mathiam Gernieczewicz, Joannem Lesunum, qui ex occiso corpore Bonae Memoriae pallium detraxit, et cum eo aufugit, Nicetam Sutorem cum filio eius Davide, Davidem Senem, ecclesiae Annuntiatae Praesbyterum et filium eius Heliam Davidovium, ecclesiae Resurrectionis Sacerdotem Zaruczaiensem, Achilam Baldiscum, Sancti Spiritus, Petrum (89) Alexieievium Resurrectionis, Joannem Camieniec Sacerdotes, qui plebem ad hoc maleficium et pastoricidium exhortatione sua incitabant et inducebant, Daniele Haidonem, Joannem Kosackum, Isacovium Sizcum Larum, qui tempore praedae ablato cratere argenteo Martyris aufugit, Tiszcam Cordonem, Stephanum Pasioram, principalem incentorem et suasorem necis occisi Josaphat, Satcum Geulevicium, Theodorem Tanko, Michaelem Vilmonem, Moysen Longum, Joannem Naszkovium, Nicolaum Naszkovium, Gregorium Claudicum, Nicolaum Olearium, qui ambo iam e carcere profugerunt, Theodorum Litka, Andream Plaustrarium, Joannem Szczesinum, Marcum Lanionem, Joannem Asonavium, Dionysium Fabrum, Cyrillum Niszynum, Joannem Dionysii generum, Petrum Halczynium, Basilium Porodcum, Theodorum Manuszovium, Simeonem Starinschi cum filiis, Daniele Vysocchi, Optatum Koniuszkum, Procopium Moscovitam, Simonem Moscovitam, Maximum Moscovitam, Tarasium Lanificem, Dionysii Matheum, Ignatii Joannem ex terra subaquea, Gabrielem Pilearium ex Colonia ultra Dunaiensi, Joannem Zlotcum, Contradum Lucam, Gabrielem Wuclum, Andream Zlutam, Andream Clevcicum, Gabrielem Bycum, Moysen Drahila, Niesza Drahila, Philippum Attanasium Cota ex Colonia Horodensi, Joannem Coslum, Alexium Moscovitam, Joannem Olszanicum,

Gregorium Pasioram, Onisimum Thomam Soczyncam, Theodorum Cierzbieszowicium, Jacobum Dubonosum, Alexium Artemovicium, Josephum Helium, Nicetam Zablocensem, Zachariam Joannem Moscovitam, Basilium Biekuszam, Paulum Szeripam, Athanasium Paulovicium, ex colonia Rutena Nicolaum Kosielnik, Demetrium Slizikum, ex colonia Zaruczaiensi Aristum Ciemiencovium, Szaripovii Simeonem Chlusta,<sup>36</sup> qui<sup>37</sup> fuga facit reos, capitali poena punire decidimus; ubicumque aliquis illorum comprehensus esset, sine ullo iudicio et misericordia morte puniri debent. Bona autem illorum tam stabilia quam mobilia Vitepsci et ubicumque locorum existentia tanquam traditorum, perduellium et turbatorum publicae pacis fisco S. R. Maiestatis adiudicamus.

Famulis autem piaie defuncti Revmi Archiepiscopi praedictis tam supra vulnera, quam damna illata iuramento indicto ad eius expletionem diem tertium designamus. Quo expleto compensationem iuxta conditionem uniuscuiusque illorum et quam in Registro summam posuerunt florenorum trium millium septuaginta novem duplum supra cives Vitepscenses adiudicamus, et huius executionem quae a data huius decreti nostri post sex hebdomadas assequi debet, contravenientibus imposito rei adiudicatae triplici vadio ad Ill.mum Palatinum Vitepscensem remittimus.

Quod autem principium huius maleficii per pulsum campanae Praetorii et aliarum ecclesiarum exortum sit, ideo omnes campanas tam Praetorii quam ecclesiarum Ill.mo Domino Palatinidi, Praetori pro tunc Vitepscensi, recipi armamentarioque includendas comittimus. Ex quibus fundi debet campana magna in memoriam cum scitu

<sup>36</sup> Utile fore duximus dare hic elenchum condemnatorum supra enumeratorum (a fol. 88) secundum editionem polonicam Ig. Stebelski, quia nomina haec in traductione latina valde imperfecte transcripta sunt, ut videtur propter ignorantiam linguae polonicae scribae romani. Elenchus vero hic ita se habet: Naum Wołk, Siemion Niesza, Jan Huźnischczów, Hryszko Skoruba, Hawryło Romanowicz, Jermak Hajduk, Furs Szapowałów syn, Bohdan Kowal, Hryszko Bibko wnuk Puszkarza, Izak Lubszczyn, Jan Akwin, Roman Daniłowicz, Fiedor Kozak garnearz, Fiodor Ciecierka, Jakub Szynek, Stefan Truchowicz, Bazyli Firs, Piotr Wasilewicz, Połoczanin, syn jego Wasyli; Niewhol Carya, syn jego Wasyl Irmowicz, Iwan Lizun, Mykita Szewc, i syn jego Dawid, błahowiszczeniński pop i syn jego Dawid, woskreseński pop zaruczajski, Okołów Bałbyszko, Stefan Świętoduski i Piotr Alexiewicz i Iwan Kamieniec, popi; Dańczuk Hajduk, Furs Szapowałów syn, Izak Kozak, Sieka Cary, Hryszko Skoruba, Hryszko Słórsarz, Bohdan Łytka, Andrzej Koleśnik, Iwan Szczesin, Marek Rzeźnik, Iwan Jemok, Dziemieszka Kowal, Kuryło Maszona, Jaśko Dzienisowicz, zięc Piotra Halczyzna, Daśko Kordeczuk, Fiedor Mon, Siemion Starzyński z zięciami, Daniłko Wysocki, Zdan Koniuszko, Prokop Moskal, Siemaszko Moskal, Maxym Moskal, Taras Pirożnik, Dzienisów Maćwiej, Ihnatów Iwanka z podwodnej ziemi, Hawryłko Szapował z posadu słobodzkiego, Iwan Kozieł, Alexiej Moskal, Iwan Alszanik, Hryszko Pasiora, Anosiewko Choma Szaczywka, Jakub Dubonos, Fiedor Cierbiszowicz, Aleszko Arcimow, Jozef Wołk, Mykita Zabłocki, Iwan Zacharczyn, Iwan Moskal, Waśka Pekucz, Paweł Szerypa, Apanas Pawłowicz z posadu ruskiego, Mikołaj Kocielnik, Demenciej Slizyk z posadu zaruczajskiego, Areszko Ciemników Szapował, Siemion Chłusta (*op. cit.*, p. 208-210).

<sup>37</sup> Fortasse debet esse « quos ».



futuri Archiepiscopi Polocensis cum inscriptione huius maleficii et ecclesiae cathedrali S. Mariae, ubi Bonae Memoriae trucidatus est, reddi debet, et ab hoc tempore ad omnes alias ecclesias, excepta S. Maria, campanas habere non licebit, absque consensu et **singulari** dispensatione (90) Ill.mi Metropolitae Chioviensis moderni, et in posterum existentium, ex brachio S. R. Maiestatis collatorum. Ecclesiam quoque hanc S. Mariae splendide suis sumptibus cives extruere debent et tenebuntur.<sup>38</sup>

Alias autem arbitrarias poenas iudicio ac decisioni S. R. Maiestatis D. N. Clementissimi relinquimus.

Quoniam autem reperiuntur cives variarum iurisdictionum qui hoc immane scelus simul perpetrarunt, et coram nobis Commissariis nunc non comparuerunt, ideo ad instantiam civium S. R. Maiestatis Vitepscensium superstitum liberam actionem imposterum adhibito Instigatore S. R. Maiestatis cum iis relinquimus.

Et quia Petrus Ivanovius Consul, Optatus Szczur, Basilius Cieca, Gregorius Bonicz, Notarius, Oseas Basilides<sup>39</sup> piaae memoriae Archiepiscopo Polocensi obedientes erant nullisque tumultibus et seditionibus adhaeserant, et ea die Dominica penes Rev.mum Archiepiscopum nonnulli illorum devotioni interfuerunt, has sopranominatas personas cum domibus et bonis illorum ab his omnibus poenis liberos facimus. Usus autem libertatis a persolutione teloniorum, utrum ob excessum totius civitatis illi quoque amittere vel etiam cum sint innocentes eadem libertate gaudere debent, voluntati et decisioni S. R. Maiestatis Domini Nostri Clementissimi relinquimus.<sup>40</sup>

Quod negotium, prout coram nobis actum est, in hoc Decretum Nostrum inseruimus, sigillis obsigillavimus, et manibus propriis nos met ipsos subscripsimus, Actis quoque Castrensibus Vitepscensibus inseri curavimus.<sup>41</sup>

Datum Vitepsci anno 1624, Mense Febuario 22 die.

<sup>38</sup> De facto ecclesia aedificata est et anno 1670 (28. I) a Metropolita Kioviensi Gabriele Kolenda consecrata est. Cura Adami Francisci Kisiel de Brusilov, anno 1682 ecclesia tradita est monachis Basilianis. Anno 1708 (28. IX) ecclesia simul cum civitate Vitepscensi combusta est a zaro Moscovitico Petro I. Ecclesia reaedificata fuit anno 1717 expensis civis Vitepscensis Mironis Hałasza, quae tamen denuo flammis consumpta est simul cum monasterio anno 1722. Tertia iam ecclesiae reaedificatio absoluta est tandem secunda medietate saec. XVIII. (cfr. STEBELSKI, *op. cit.*, p. 217-218).

<sup>39</sup> Secundum editionem polonicam Ig. Stebelski: Piotr Iwanowicz, Zdan Szczur, Bazyli Bonicz, Hrehory Bonicz, Azarko Wasilewicz (*op. cit.*, p. 211).

<sup>40</sup> Tota civitas iura et privilegia Magdeburgensia iterum recuperavit anno 1641, propter merita civium in bello contra Moscovitas (cfr. STEBELSKI, *op. cit.*, p. 215-6).

<sup>41</sup> Hac de re in editione Ig. Stebelski sic habetur: «Leta od rozdestwa syna bozoho 1624 misiaca nojambra 22 dnia. - Pered mnoju Janom Uzenieckim podwojewodom witebskom postawiwszy sia jasne welmożny jeho milost' pan Łew Sapieha wojewoda wileński, starosta mohylewskij jako komisar J. K. M. Pana nashoho myłostywoho na pokaranije okrutnoho zabytija światobływoj pamiaty otca Josafata Kuncewycza archiepiškopa počockoho z druhymy ich miłostiju pany kolegamy smoimy do Witebska zesłanymy, dekret suda swojeho komisaraskoho w Witebscie czynenyj k aktykowaniju do knih horodskich dał. Kotoryj wpisujuczuj w knihi słowo od słowa tak sia w sobie majet» (*op. cit.*, p. 187).

Ad hoc decretum Ill. morum Dominorum Commissariorum quatuor sigilla appensa et subscriptio (90v) manuum eorum hisce verbis:

LEO SAPIEHA Palatinus Vilnensis  
 Christophorus Sokoliński Castellanus Mstisłaviensis  
 Alexander Corvinus Gasiewski Referendarius et Notarius Magni Ducatus Lithuaniae  
 Alexander Deusdedit Sapieha Gubernator Orsanensis  
 Nicolaus Zawisza Surrogator et Praetor Vitepsensis.

## 77.

(Cholm,) 1. IV — 5. VIII. 1628.

*Attestatio Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis, de vitae sanctitate Servi Dei Josaphat, Processui Polocensi an. 1628 adiuncta.*

ARCH. ABRATIAE GROTTAFERRATENSIS, S. Giosafat. scr. XXIV, (copia).  
 BIBL. «TOW. PRZYJACIÓŁ NAUK» POZNANIAE, O. B. Jozafacie, vol. I, p. 87-109 (manuscript).  
 Rocznik Towarzystwa Historyczno - Literackiego, Rok 1868, Parisiis 1869, p. 46-59: Relacya J. W. Rutkiego (textus in trad. polonica).

A. M. D. G.

**De vita, morte et miraculis Servi Dei Josaphat Concevitii Archiepiscopi Polocensis mea Josephi Velamin Rutski Archiepiscopi Metropolitanis totius Russiae attestatio. <sup>1</sup>**

De Servo Dei Archiepiscopo Polocensi Josaphat ea tantum dicturus sum quod non dixerunt alii coram Commissariis Apostolicis, sed nec illa repetam quae in prima relatione mea statim post necem ipsius a me scripta est, ad S. Cong. de Prop. Fide transmissa, postea typis excussa et S. D. N. nunc Ecclesiam Dei feliciter regenti ab Episcopo nostro Vlodimiriensi dedicata, quam hic inseri et examini subici cupio.<sup>2</sup>

Praecessit hic Vir Dei me ad Religionem S. P. N. Basilii biennio ad quam me sollicite cum magna tunc humilitate et dexteritate inducebat. Cum enim iunior aetate esset non audebat aperte per se, sed per alias personas, et perficiebat quod procedebat ex humilitate ipsius. Ab initio statim nullum Magistrum vitae spiritualis habebat; ipso Spiritu Sancto usus magistro in vita monastica brevi tempore ita profecit, ut magister aliorum esse posset. Ista peculiariter notabam in eo, quod in cella sua sepultus esse videbatur, ut extra illam

<sup>1</sup> Haec attestatio adiuncta fuit Processui Polocensi an. 1628 et 1637, prout patet ex fol. 18v Processus an. 1628 (cfr. p. 113), et ex ep. Rutskyj an. 1628 (5. VIII), nec non ex copia romana Proc. Polocensis an. 1637.

<sup>2</sup> Agitur de «relatione», quae invenitur sub nr. 3 (p. 8) nostrae collectionis. Exemplar typis excussum ab Episcopo Morochofskyj et Romam transmissum non inveni.

nec pedem efferret in aream monasterii, etiamsi magni viri, Senatores Regni, visitarent monasterium; et quando primarii cives ex Magistratu Vilmensi exeuntes ex ecclesia iuenculum in cella conveniebant, ut alloquio eius fruerentur, vel data opera ex domibus suis ad monasterium ad cellam eius eadem de causa conveniebant, ut declinaret eas visitationes in sacello quodam vestibuli ecclesiae SS. Trinitatis, dicato S. Lucae, aptavit sibi mensulam et ibi totos dies lectioni, scriptioni et orationi (1v) tribuebat. Si conveniebam illum ego met secularis tunc adhuc (mansi enim in domo contigua monasterio per tempus satis longum, propterea ut me disponerem pro Religione)<sup>3</sup> colloquiis spiritualibus me semper occupabat, vel quaerendo explanationem articulorum fidei vel alicuius loci Scripturae. Verbum autem otiosum non puto me vel unum audisse toto illo tempore. Ita totus Dei et Divinis immersus fuerat. Singulis autem fere diebus visitabam ipsum. Amore in Deum ita erat accensus, ut quandoquidem diferebam ingressum in Religionem cum quo sperabat se vivere posse religiose, volebat abire in desertum ut sine distractione soli Deo vacaret, quod inde manabat quod non tantum ducem, sed nec locum vitae spirituali haberet.

Sub id tempus venerat Vilnam monachus quidam in rebus ecclesiasticis exercitatus quoad ritualia, non item in dogmaticis, Varsenophius nomine, phrenesi per intervalla laborabat. Adhaesit Viro Dei et cum loquebatur de rebus divinis videbatur esse sui compos; propterea magnam de illo sanctitatis concepit opinionem Vir Dei, dicitans ipsum sua sponte induisse formam stulti propter Christum, in quo volebat eum imitari discurrendo per vicos et oppida, exemplo quorundam Sanctorum quos ille allegabat. Sed haec voluntas quominus ad effectum deveniret impedita fuit per viros spirituales alterius Religionis.<sup>4</sup> Talis animi simplicitas, puritas, et amor in Deum eminebat in ipso. Cum enim nesciebat in quo animam sitientem perfectionis explorare posset, hoc quod ipsi se offerebat arripiebat.

Cum Archipresbyter cum omnibus presbyteris ecclesiarum Vilmensium ritus Graeci et cum illis Archimandrita<sup>5</sup> Monasterii SS. Trinitatis (2) moliebantur defectionem a Metropolita Hypatio ad Schismaticos, mihi iam existenti Religioso, dolose persuaserunt ut discederem Vilna ad viginti milliaria in eum finem, ut ipsum abstraherent a me. Licet enim tunc adhuc Diaconi officium exercebat, tamen quia ab omnibus pro magno Servo Dei reputabatur, propterea singulare in hoc studium posuerunt, ut eum ad suas pertraherent partes. Et cum ipse obiceret me iturum contra, et impediturum conatus ipsorum responderunt: « modo tu sis nobiscum, habemus ipsum Vilna expediendi modos »; et cum contradiceret Archimandritae, pugno in faciem horrende percussus erat, nulli tamen hoc

<sup>3</sup> Cfr. articulum « Joannes Velamin Rutskyj in exitu viarum » (*Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 9-38).

<sup>4</sup> Fortasse a Patribus Vilmensibus Societatis Jesu.

<sup>5</sup> Samuel Siencyłko (depositus postea ob apostasiam).



aperuit tunc. Interim discedit Archimandrita ad praedium monasterii, illi autem demandat ut fratres iuniores, qui tunc non ita pridem habitu religioso induti erant, et quorum ego manu ductor fui, expediret ad illum locum, in quo ego tunc versabar. Hic Vir Dei in angustiis se esse animadvertit: ab una parte verus filius obedientiae iussa Superioris sui exequi obligatum se esse putabat, ab alia Schismaticos occupatos monasterium et se in multas difficultates conicendum iri suspicabatur.

Inops ergo consilii accedit ad P. Valentinum Fabricium, Societatis Jesu, in Vilmensi Accademia Theologum Professore, zelosissimum Unionis tunc nascentis fundatorem et propagatorem, Virum plane apostolicum, cuius memoria apud nos et posteros nostros in benedictionem esse debet. Exponit illi statum rerum nostrarum. Decernit pro me eadem die expediendum tabellionem, ad me suas litteras scribit, et ipsum scribere iubet, non nominando in particulari quid sit, sed generaliter esse in tanto discrimine res nostras, ut nisi quam primum occurrerem actum esset de illis. Talibus litteris acceptis discessi statim. Et licet eadem die me iam existentem in via febris invaserat, et amicus ad quem diverteram suadebat reditum, perrexi tamen ipso Deo istigante (2v). Quando in conspectum Vilnae veni, habens iam paroxysmum illius febris, «Te Deum laudamus» recitavi et febris deseruit me et sic, licet debilis, sanus tamen monasterium ingressus sum; referuntur mihi omnia, eadem die venit Archimandrita nihil sciens de adventu meo, invehitur in Virum Dei, quod fratres, prout ordinaverat, non expediret. Dixit ille: «etiam Patrem Josephum (meum hoc erat nomen) rediisse». Ex hinc reliquit eum sollicitare Archimandrita et ipse similiter Archimandritam reliquit, et mihi cum aliis monachis iuvenibus strictissime adhaesit.

De communi consilio citationem dedi Archimandritae ad Metropolitam leucis septuaginta inde distantem. Iure victus est, non tamen honore privatus; nihil enim unde manifeste convinci posset hucusque in expertum prodiit infidelitatis. Quia tamen erant sufficientes suspitiones futurae proditoris, Metropolita creat me Vicarium suum generalem, et ut attendam tam ad Archimandritam quam Archipresbyterum praecipit. Post tale decretum in furorem actus uterque coniurationem faciunt cum Confraternitate Schismaticorum contra nos. Et quia cum Viro Dei neuter illorum proficere potuit hucusque, demandarunt hoc opus tribus primariis Schismaticis civibus Vilnensibus.

Invitat ergo unus illorum Virum Dei ad domum suam, ubi in interiori cubiculo latebant alii duo, conveniunt eo, fratrem socium ut discedat fratrem rogant, Viro Dei eo quo possunt suaviori et ad compatiendum ipsis magis apposito modo proponunt: scire se eum impense amare Deum et gloriam eius, diligere gentem et ritum suum, nunc esse tempus ut Ecclesia Ruthena hucusque oppressa erigat caput, hoc autem totum esse positum in manibus ipsius, et quidem solius; iam totum Clerum esse a parte ipsorum, hoc unicum deesse, ut ipse se adiungat. Vita nostra est in manibus tuis, miserere nostri ut dones nobis vitam, inquit. His dictis procidunt in terram et

pedes osculari conantur; prohibet ipse et obstupuit nec quid tam repente respondeat habet. Inquit (3) tamen se non esse solum et nominavit me. Et dum in hoc sermone diutius commorantur nec Virum Dei verbis suavioribus flectere possunt, ad asperiora se convertunt, sanguinis effusionem minantur, et ferme videbantur statim se velle involare in ipsum. Unus enim stetit in foribus non volendo dimittere ipsum. Vir Dei repondit: in re tanti momenti consulam Deum et cras respondebo; acquieverunt, subiunxerunt tamen: « si non statim adiungis te nobis, discedas aliquo, ut non sis Vilnae per hanc hebdomadam ». Egressus inde Vir Dei redit ad monasterium, invenit nos consulentes, iam enim notuerat nobis conspiratio. Statim dicere coepit se fuisse in inferno, et audivisse diabolica verba induentia se ad proditionem; postridie non rediit ad ipsos; scribunt ergo schedulam expectando ipsum et invitando. Respondit similiter per schedulam: « Consului Deum, sicut promisi; sic dicit Deus de vobis: Cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire; me autem ita monuit: Oleum peccatoris non inpinguabit caput tuum ». Miserunt iterum schedulam, sed cum comminationibus invitando tamen ad domum suam.

Innotuerat quibusdam ex Magistratu Vilnensi per pictoris cuiusdam famulum, ritu Ruthenum, quod die Dominica proxima in templum Sanctissimae Trinitatis Unitorum debebant convenire Schismatici ad Matutinum, ibidemque quando prodibunt Sacerdotes monachi, sacris vestibus induti, in medium templi iuxta consuetudinem Ecclesiae Ritus Graeci cantaturi Doxologiam, debebat plebs violentas manus inferre quibusdam ab ipsis designatis sacerdotibus e medio tollere; detulerunt hoc ipsi ad collegas suos Consules, isti ad Officium Castrense, ad Vicepalatinum scilicet Demetrium Karp, hic Palatino Vilnensi Nicolao Christophoro Radzivil,<sup>6</sup> in via post dissesum Vilna tunc existenti; scribit Palatinus, ut moneat nos de his machinationibus, adeat Archimandritam et Archipresbyterum (3v) praecipiatque ne quidquam tentent contra monasterium SS. Trinitatis sub poena capitis. Archimandrita autem ne amplius ibi celebret, denique ut idem Vicepalatinus moneat Magistratum Civitatis, ut videant ne a plebe ipsis subiecta quidquam mali Unitis subveniant. Mittuntur ergo ad nos ex Praetorio duae personae sciscitaturae quid nos sciamus de tumultibus contra nos, dicturi etiam quid ipsi sciant. Diximus in particulari ea quae cum Servo Dei Josaphat locuti sunt illi tres cives, ipsi vicissim dixerunt quae sciverunt. Citantur in Praetorium cives illi, armatur civitas, in plateis circa monasterium ponuntur excubiae. Reliqui armati in Arce Praetorii inclusi tenebantur; in Praetorio autem solus Magistratus civitatis per integram illam Sabati noctem vigi-

<sup>6</sup> Nicolaus Christophorus Radziwiłł (Sierotka), fil. Nicolai Czarny. Castellanus Trocensis an. 1584, Palatinus Trocensis an. 1589, ab anno 1604 Palatinus Vilnensis. Vita functus anno 1616 in Nieswierz. Descriptio eius peregrinationis in Terram Sanctam: « Hierosolymitana peregrinatio Ill. D. Nicolai Christophori Radzivilii epistolis comprehensa » varias habuit editiones in lingua latina, polonica, germanica et russica.

labat. Arx etiam suos satellites adarmavit, et postquam insonuit maior campana apud SS. Trinitatem, convocans ad Matutinum, primi satellites arcenses veniunt. Sic pacifice Dei gratia illa die peracta sunt omnia.

Sed postea per multos dies Schismatici noctu diuque consilia agitabant, tandem in apertum prodierunt. Primum iuramentum in ecclesia quadam sacerdotes induti sacerdotalibus conceptis verbis prae-stiterunt, postea protestationes apud diversa Acta effecerunt: Se sub obedientia Metropolitae eo quod se subiecit Romano Pontifici non esse, tandem omnes ecclesias Vilnenses et ipsam cathedralem, Curiam etiam Metropolitae occuparunt, ad omnes civitates et oppida in Magno Ducatu Lithuaniae miserunt suos, magna usi celeritate, et ad defectionem a Metropolita perduxerunt. Denique in Comitii Regni Generalibus, quae brevi tempore post celebrata sunt, obtinuerunt Constitutionem Catholicis non advertentibus,<sup>7</sup> nobis etiam tunc absentibus, ut inter Ruthenos pax servetur, ut scilicet quilibet possideat in posterum quod nunc possidet. Et si una pars alteram in hoc infestaverit, citata ad Tribunal Supremum Regni decem millia solvere debebat. (4). Sic Regem et totum Regnum insigniter deceperunt, nostras autem res subverterunt. Advertit dolum Ill. mus Episcopus Vilnensis illius temporis, qui sciebat quod Unitis Vilnae et fere in tota Lithuania per magnam iniuriam adempta fuerint omnia, supra quae per Constitutionem Comitiorum Generalium bonae fidei possessionem et prohibitionem obtinuerunt sub poena decem millium ne inquietarentur ab Unitis in hac possessione. Addita ergo sunt aliqua, iubente Serenissimo Rege, ad Constitutionem pro explicatione ipsius, quae insolentiam Schismaticorum aliquomodo refrenare poterant. Redeuntes ex Comitii citamus Schismaticos ad Tribunal Spirituale, citant et ipsi Metropolitam et me, qui iam Archimandrita dicti monasterii fui, depulso proditore, ad Tribunal Saeculare. Lucrantur ipsi, potentia sua nos opprimentes.

Accersiverunt istae res Metropolitam nostrum ut veniret Vilnam; paulo post venit Serenissimus Rex, cuius adventu res Unitorum meliori loco esse ceperunt. Iudicavit Rex ipse causam hanc Iudicibus Tribunalicis Saecularibus nec quidquam reclamantibus, Decretum ipsorum retractat,<sup>8</sup> ecclesias Vilnenses omnes tanquam legitimo Pastori, monasterium autem mihi tanquam Archimandritae adiudicat.

Schismatici instruunt unum e militia pedestri, ritu Ruthenum, cuiusdam Senatoris<sup>9</sup> tunc absentis, ut Metropolitam occidat. Mense ergo Julio<sup>10</sup> anno 1609 sicarius ille in medio foro Vilnensi Metropolitam, virum septuagenarium, stipatum tam ecclesiasticis quam saecularibus Familiaribus suis multis a fronte adoritur, gladium quem in hunc finem

<sup>7</sup> Omnia haec locum habuerunt sub finem an. 1608 et initiis an. 1609. Constitutio vero de pace servanda facta est in Comitii an. 1609 (cfr. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 42-44).

<sup>8</sup> Decreto die 8. VII. 1609 (cfr. PELESZ, II, p. 45).

<sup>9</sup> Secundum fontes nomen militis fuit Joannes Tupeka (cfr. PELESZ, II, 45).

<sup>10</sup> Die 11 Julii (cfr. PELESZ, II, p. 46).



nudum sub veste occultabat vibret tanto impetu, ut uno ictu digitos ferme tres manus sinistrae, quam huic impetui senex cum baculo cui innitebatur obiecerat, amputarit. Anulum et saphirum lapidem anuli et catenam auream duplicatam satis crassam, ex qua Crux archiepiscopalis e collo pendebat, secuit, vestem etiam internulam signo tantum rubro in corpore relicto, sine ulla (4v) laesione colli. Quo ictu accepto in terram lapidibus stratam corruit Metropolita, elevatus in domum propinquiorem a quodam e principalioribus Senatoribus in Ducatu Lithuaniae acceptus, et ab omnibus qui tunc Vilnae aderant Senatoribus eadem hora visitatus est. Sicarius ille a familia Metropolitae et ab aliis huius funesti spectaculi spectatoribus multis Vilnensibus concisus, comprehensus et ad carceres Praetorii datus est.

Josaphat, Vir Dei, non costernatus tam enormi facinore in Metropolitam nostrum patrato non veritus multitudinem peditum, quorum 700 collocati fuerunt in foro circa Praetorium Vilnense ad carceres publicos, sed sollicitus animae parricidae istius (audierat enim eum vulneribus supermodum confectum vix illam noctem supervicturum) accurrit, licentiam adeundi ipsum petit, et obtinet, nec dimisit eum donec agnosceret gravitatem delicti sui, contereretur de eo, confiteretur, absolvereturque. Postridie adiit eum nec deseruit donec ultimo supplicio afficeretur. Cum eo etiam tabulatum illum<sup>11</sup> ascendere non duxit sibi pudori quod animadvertentes nonnulli dicebant: Unitus amputavit manus Metropolitae. Similiter aliorum ad mortem condemnatorum ipse curam gerebat ac si nullus alius esset quod id praestare posset, eosque post confessionem peractam ad locum supplicii comitabatur, nec unquam visus est si vel importunissimo tempore, nocte scilicet vel hyeme, pro confessione vocabatur recusare vel frontem continuere; libenter ibat ac si ad convivium vocaretur.

De studio paupertatis in ipso dixerunt alii. Hoc ego adiciam. Rapiebatur hinc inde ope ipsius spirituali opus habentibus; inter alios invitatus fuit a primario Nobili apud quem et in monasterio ipsius (quod erat Sanctimonialium) postquam multa bona fecit, redibat Vilnam, comparat ipsi vestem superiorem pellibus vulpium subductam, sed dum timetur refutandum iri insuitur panno et velandum datur Vilnam cum litteris ad me in quibus (5) scribebant, quod vestem subductam pro hoc Patre mittant, et rogant, ut detur facultas utendi ea addendo rationes has et illas; petiit bonus Pater ne concederetur. Ego antequam determinavi discessi, ipse necessitate quadam occurrente vulpes excindi a veste, et fratribus pileos subduci iubet. Redeunte me accessit et necessitatem omnium fratrum talem intervenisse significavit nec fuisse alias pelles, quibus pilei hyemales subducerentur; vidi necessitatem monasterii aliunde provideri potuisse, paupertatis amorem potius hoc ipsi persuasisse.

Etiamsi particularis Ecclesia<sup>12</sup> curae illius pastoralis demandata

<sup>11</sup> Verbum subsequens est illegibile.

<sup>12</sup> Archidioecesis nempe Polocensis, anno 1618.

erat, tamen existimabat ipse omnium Ecclesiarum Ruthenarum sollicitudinem ipsi incumbere, praesertim in Dioecesi mea Metropolitana, quod mihi longe gratissimum fuit. Quocirca etiam dedi ipsi amplissimam potestatem in Dioecesi mea. Vidi enim hoc fuisse sacerdotibus et ecclesiis omnibus meae Dioeceseos salutare. Sed et ipsi sacerdotes bene hoc adverterunt, quod Vir Dei non quaerebat in hoc magnificari, sed quamplurimum benefacere. Propterea ad ipsum, qui propinquiores a me autem remotiores erant, libentissime confugiebant, et mihi gratias agebant.

Cum quodam tempore in locum quemdam hominibus minus notum discedere volebam recollectionis gratia ibique manere per annum, in Congregatione nostra religiosa,<sup>13</sup> praesentibus Superioribus multorum monasteriorum, ipsum qui vices meas subiret assignavi; acceptarunt omnes libentissime, sed et Vir Dei videns necessitatem, licet alioquin in sua Dioecesi gravatus, assensus est cupiens omnibus prodesse et iam Vilnam pro residentia huius anni venire debebat, nisi mors ista gloriosa ad coelum, ut confidimus, avocasset.

Praeter alia istud erat singulare in ipso et admiratione dignum: quod si aptus quis inveniat ad unum ineptus ordinarie vel non adeo aptus ad aliud; non enim omnia possumus omnes, quia immo aliqua videntur esse incompatibilia ex natura sua. Novimus speculativos non valere ad actibilia, et viceversa; qui habent felicem memoriam communiter non pollent iudicio (5v), non sunt prompti ad loquendum, qui excellunt in iscriptione, et econtra, qui sunt natura sua et longo usu abstracti ab externis non sunt faciles attendere ad iura et lites forenses, nec succedit ipsis etiamsi se applicant. Iste Vir Dei admirabilis fuit in omnibus: ad quod non videbatur aptus esse per naturam factus est aptus per gratiam; erat speculativus, meditationi insistens, lectioni librorum assidue deditus, amator cellae et, quod sequitur, vitae solitariae, idem aptissimus ad conversationem cum hominibus, ita ut ad hoc unum natus et a Deo assignatus esse videretur. Omnes currebant ad ipsum et ipse omnes paterne complectebatur; quilibet consolatus discedebat; alios ipse in domibus ipsorum visitabat. Catholicos et Schismaticos, Haereticos et omnes divinum quid reverebant in illo. Ad iura et lites forenses nullus dixisset vel minimam aptitudinem illum habiturum, quicumque noverat illum, et tamen et diligens fuit et peritiam iuris brevi tempore acquisivit tantam, ut iis daret consilium qualiter procedendum esset in iure, a quibus antea ipse accipiebat. Unde tot bona Ecclesiae et aliis vindicata iure vindicavit, de quo fusius in Inquisitione. Felicissimae memoriae et simul acerrimi iudicii, quod patet in eadem Inquisitione. Praedicator in ambona, lector et cantor excellentissimus in choro, et ista omnia cum gustu et affectu peragebat, et ab hominibus cum gustu et affectu tam cum praedicabat, quam cum legebat, vel canebat audiebatur. Revera nondum vidi alium in quo ista omnia reperirentur simul.

---

<sup>13</sup> Verosimiliter agitur de congregatione Ordinis in Ruta, habita an. 1623, diebus 28 Julii usque ad 5 Augusti.



Praesentatio Regia, quae vulgo apud nos Privilegium vocatur, procurata fuit per me, nesciente ipso, scilicet debebat esse Coadiutor nonagenarii Archiepiscopi Polocensis,<sup>14</sup> et sensibus fere totaliter destituti, cum iure successionis post mortem illius. Innotuit hoc ipsi prius quam ego aperui, affligebatur animo, certabat enim secum humilitas putans se omnino esse ineptum ad munus episcopale, ex altera parte obedientia, quam ipse toto corde colebat, suadebat ut se resignaret in manus Superioris; tacere ergo elegit quam prior compellere me. Sed notabatur extra (6) quae lucta fuit intra, quod adverti vel ipse vel ex aliorum relatione didici neque enim bene memini. Aperui ipsi Ecclesiam Polocensem ferme destitutam Pastore, multa inconvenientia, imo legi Dei contraria et absurda ibi fieri, regimen pastorale cessasse et Unionem propemodum sublatam esse; vix enim ex superficialiter Unitis aliquis reperiebatur, ex solide Unitis nullus, animas hominum infinitas omni auxilio humano destitutas misere perire, Dei esse voluntatem ut ipse suscipiat hoc onus. Quibus auditis tam verbis quam complicatione manuum, tandem prostratione in terram rogabat, obsecrabat ut liberaretur ab hoc onere. Se posse illi Archiepiscopatu inservire, si missus fuerit, etiam in hoc in quo nunc est statu, ad hanc autem dignitatem se omnino ineptum esse; non finivissemus, nisi dixissem aliter esse non posse, illum esse obligatum obedire ei quem credit vices Dei gerere; quievit, sed ut intellexi proposuit aliquibus Patribus spiritualibus, an salva obedientia posset fugere, et cogitabat se subducere clam nobis. Sed Pater ille erexit animum ipsius consternatum. Sub tempus ergo Congregationis nostrae Religionis,<sup>15</sup> in fine illius Congregationis, ego publice dirigens ad eum sermonem eum in Coadiutorem Archiepiscopatus Polocensis nominavi et Privilegium Regium in manus porrexi. Ipse non accepto Privilegio procidit in genua et cum lachrymis rogat ut liber sit. Tandem quando dixi hoc esse simpliciter necessarium ad gloriam divinam, et hoc iam immutari non posse, tacuit, Privilegium in manus accepit, nos autem gratias Deo egimus. Applicuit se postea totum huic muneris, et ecce inventa sunt in eo, quae in SS. Episcopis vigilantibus Pastoribus animarum inveniuntur.

Gaudebat quod ager Ruthenus ante aridus et sterilis irrorari coepit sanguine ex odio Sanctae Unionis et fidei catholicae a Schismaticis effuso. Primus post S.illum Senem, Auctorem renovationis Sanctae Unionis in Russia, Hypatium Metropolitam, de quo supra, fuit Antonius Hrecovicus Ord. S. Basilii, officialis meus Chioviensis. Hic anno 1618, dum esset in monasterio Vidubicensi, uno polonico (6v) miliari Chiovia, loco solitae residentiae suae, noctu ex lecto a Kosacis acceptus, ligatus, ad Boristenem ductus et, fracta securibus glacie in loco profundior esse videbatur Boristenis, submersus. Causam facti dum quaereret dicebant, quia « es Unitus, et fidem nostram subvertis ». Vestes, supellex ipsius, equi, foundationes, etiam nonnulla instrumenta publica

<sup>14</sup> Gedeonis Brolnickyj (1601-1618).

<sup>15</sup> Congregatio Novogrodovicensis an. 1617 (20-26. VII).



quae apud ipsum tamquam Officialem asservabantur, in praedam directa cessere et periere. Pseudometropolita Chioviae occupaverat et suae iurisdictioni subiecerat omnia, solum templum cathedrale Metropolitanum S. Sophiae, sive Sapientiae Aeternae, augustissimum quondam magnifice erectum, plumbo coopertum marmoribusque intus ornatum et stratum, nunc desolatum, mansit liberum ab ipsius iurisdictione. Ad hoc igitur, ut ibi laudes Deo decantarentur, misi quatuor monachos S. Basilii; hos omnes quatuor post Matutinum, quod ipso festo Nativitatis B. Virginis<sup>16</sup> decantarunt dum se disponunt ad celebrandum Sacrum, penes dictam ecclesiam Kosaci capiunt, ligant, sub vesperam compedibus ferreis stringunt, navibus imponunt et Trechtimiro, quod est praesidium Kosakorum in quo asservant ea quae sunt pretiosiora, secundo flumine Boristene trasmittunt ibique carceri mancipant, in quo sex septimanas cum exegissent ad generalem exercitus Kosakorum, ad locum ubi tunc residebat per idem flumen navi devchuntur, ibique post consultationem liberi dimittuntur cum tali mandato ne vel ipsi vel alius Uitorum audeat Kioviae habere publicum exercitium religionis.

Anno 1620 Antonius Butchovifius Ord. S. Basilii, Visitator nostri Episcopatus Praemisliensis ritus Graeci, venit in quamdam villam in qua erat ecclesia Ruthena, volebat in illa celebrare Matutinum; erat autem ipse dies Paschatis. Sacerdos loci illius celebrare non permittebat, et quia Visitatorem repellere non poterat, daemone instigante, arripit manus Visitatoris, frater autem ipsius securim bis in caput impingit, et Visitatorem in manibus fratris sacerdotis in tali sollemnitate occidit; (1) adde... et Sanctae Missae officium celebraretur. (7)

Anno 1621 Decanus Sarogrodensis,<sup>17</sup> Matthaeus nomine, vir singularis, fervens in promovenda Unione, et tanto maiori commendatione dignus, quo a nobis remotior, in finibus scilicet Moldaviae, inter obstinatos Schismaticos manens ipse et quatuor alii sacerdotes eiusdem oppidi Sarogrodensis, postridie festi Assumptionis B. Mariae Virginis a Kosacis, ad bellum quod imminabat ab Imperatore Turcarum illac transeuntibus, comperhensi, Decanusque interrogatus se et suos sacerdotes esse Unitos confessus est, capite plexus. Sed dum capite reliquo corpori modica parte cartilaginis adhaereret, quia putabant adhuc esse vivum, submerserunt. Alii sacerdotes in crastinum prout erant ligati reservati, et tandem a Praeside loci illius, postquam innotuerant ipsi ista, liberati, nec forte ab hominibus truculentis dimitterentur liberi, nisi scirent hunc Praesidem habere potuisse tantum virium ac ipsi.

Ista Servo Dei currenti alias in via Domini calcar addebant ad magis currendum; hinc appetitus ille martyrii crescebat in illo, quod ex diversis partibus audiebatur de Nostrorum persecutionibus, ver-

<sup>16</sup> Quattuor monachi Basiliani (Alexander, Ignatius, Cyrillus et Gedeon) missi mense Junio an. 1622 a Metropolita Kioviam (cfr. epist. Metropolitanae Josephi Rut-skyj de data 3. XI. 1622).

<sup>17</sup> De hoc eventu scripsit Metropolita e Vilna anno 1622 (25. VI) ad Rectorem Collegii Augustani Soc. Jesu (Augustae Vindellicorum), describens hoc sanguinosum facinus (ARCH. COLL. GRAEC., vol. I, foll. 360-361).

beribus, mortibus et odio furioso Kosakorum, accenso per Pseudo Episcopos contra nos.

Anno 1624 Schismatici Chiovienses Kosaci, Praetorem Chioviensem Supremum scilicet Magistratus illius civitatis et aliquot ex Magistratu comprehenderunt. Praetorem, virum sexagenarium, propterea quod dicebat se hunc qui residebat Chioviae metropolitam non agnoscere pro Metropolita, se habere alium qui vere talis esset, decollarunt.<sup>18</sup> Sacerdos ecclesiae S. Basilii propterea quia dicebat in Privilegio Regio, quod habuit pro illa ecclesia, positum erat quod debebat esse in Unione cum S. R. E. similiter decollatus.<sup>19</sup> Speramus hunc sacerdotem praeventum fuisse a misericordia divina, sicut et illum Praetorem, quod non in Schismate mortuus est, licet enim mecum intimam communionem non haberet; per aliquot personas, quae inde hic ad nos veniebant, dici mihi curavit, ut curam haberem ipsorum, sibi in hac disordinatione durum esse vivere; hoc nobis facit bonam spem de ipso. Propterea in loco decollationis ter quaesitus a Kosacis num esset Unitus, non negavit Unionem (7v), quam si expresse negasset, non fuisset occisus. Et licet ambigue loquebatur, dum enim interrogabatur num esset Unitus respondebat suam animam esse unitam cum Deo, tamen quia non negavit, bonam spem habemus de illo. Idem opinamur de morte Praetoris. Hoc certum quod Kosaci eos occiderint ex odio Unionis, ex eo quia putabant eos esse Unitos.

Ista omnia cor illud amore Dei aestuans vehementer stimulabant, propterea propter certam sibi a Schismaticis paratam et a se praevisam mortem discedebat Vitebscum.

### Miracula.

Quoad miracula ego evidenter hoc notavi quod post mortem Viri Dei notabiliter Schisma languere coepit quod nunc apparet. Kosaci acerimi propugnatores et propagatores Schismatis, quorum potentia formidabilis erat universo Regno, caesi et in ordinem redacti sunt; fuit autem istud opus magnae virtutis, ut sine singulari auxilio divino nunquam fieri posset; quod hinc colligi potest: Kosacorum tunc 100.000 scribebantur, instructa sclopetis, arcubus, et alio armorum genere. Tormenta etiam bellica et omnem apparatus belli semper in promptu habebant, ut quocumque vellent bellum movere possent. Tota ista turba inimicissima fidei catholicae, in hoc nullis Haereticis cedens, Schisma in illa provincia, Ucraina vocatur, et in adiacentibus ipsi propugnare gladio et sanguinis effusione et contra Regem et Rempubicam parati erant. Unitum et Iudaeum pro uno reputabant. Immo Iudaeos tollerabant, Unitum nec unum quidem. Pseudo Episcopos et inter alios Metropolitam suum peragere episcopalia in tota illa provincia vel potius provinciis, in quibus ultra 1000 Parrochiae numerantur, voluerunt, nul-

<sup>18</sup> Nomen Praetoris erat Theodorus Chodyka (cfr. D. DOROŠENKO, *Narys istorii Ukrainy*, vol. I, p. 214).

<sup>19</sup> Verosimiliter agitur de Joanne Juzefovyč (cfr. D. DOROŠENKO, o. c., p. 214).

lum alium admittentes; fecerint Confraternitatem Chioviae<sup>20</sup> et per alia loca constantem ex Ecclesiasticis et Saecularibus, in qua et Kosaci scripti erant. Quidquid in consilio huius novae Reipublicae concludebatur a Kosacis executioni mandabatur. Ad consilia quoque sua Pseudo Metropolitam et Ecclesiasticos, missos ab eo, admittebant. Hinc carceres, caedes et mortes tot sacerdotum (8). Iudicia sua iidem Kosaci per omnes civitates principales illarum regionum habebant, a quibus appellatio ad Generalem exercitus ipsorum. Si quis ipsorum detulit aliquem Nobilem alicui Kosaco, etiam illi, qui in bonis huius Nobilis, alioquin Domini sui manebat, intulisse iniuriam, mittebatur ad Dominum ipsius et debebat Nobilis totum id solvere, quod imperatum fuit a iudicibus Kosacorum, alioquin ipsi ex bonis ipsius executionem faciebant, cui nullus resistere poterat. Alios Nobiles, imo et Officiales Regios in domibus ipsorum occidebant. Unde tantus terror ab illis manavit in omnes, ut nec hiscere contra illos auderet quisque Nobilium. Tritum hoc ipsis in ore: « Deus in coelis et exercitus Zaporossensium in terris... ». Hoc inditum a Tartaris. Eo insolentiae devenerant ut cogitarent excutere iugum Regis, abstrahere illas provincias a corpore Regni, facere sibi Rempublicam propriam et vivere legibus suis. Nuntios suos ad Comitata generalia Regni mittebant, qui hoc non obscure insinuabant. Petebant enim ut omnes Episcopi Rutheni legitimi cum suo Metropolita tollantur, ipsorum autem Pseudo Episcopi cathedras ipsorum obtineant, ut ipsis Kosacis libere venationes et piscationes permittantur, etiam in bonis regalibus Reipublicae et Nobilium, ut praesidentiae Arcium et Civitatum in illis partibus Kosacis conferantur.

Haec commemorare iustum est, ut intelligatur in quanto periculo Regnum Poloniae a Kosacis illa tempestate versabatur. Delere illos penitus, esset Regno et toti christianitati damnosum; illi enim dicuntur esse perpetuum praesidium contra Tartaros, minuere numerum erat quidem salutare, sed impossibile, quia deberet tantus exercitus educere contra ipsos, qualis erat ipsorum; non erat ergo in promptu qua potentia vel quibus mediis hoc malum comprimeretur. Post sanguinem Archiepiscopi Josaphat a Schismaticis effusum, obtulit Deus exercituum occasiones et modos contra exercitum gigantum, dedit opportunitatem exercitui regio, alias modico, tunc quando illi minus sperabant, hinc inde vagabantur, alii autem adhuc in mari versabantur, adoriri exercitum (8v) illorum et prosternere, ut 10.000 in hoc conflictu ex Kosacis periisse dicantur.<sup>21</sup> Terror manavit in omnes, subdiderunt se, veniam petierunt, et obtinuerunt, datae conditiones ab exercitu victore, a victis acceptae et iuramento firmatae, in quibus in numero tali, qualis a Com-

<sup>20</sup> Confraternitas fundata est an. 1615, cui Halška Hulevyč, uxor Stephani Łozka multa bona immobilia donavit; mox fundata fuit penes Confraternitatem hanc schola, quae dein in Academiam s. d. Mohylovianam sese evolvit.

<sup>21</sup> Agitur de bello an. 1625 contra Cosacos, sub campiductore exercitus polonici Koniecpolski. Pugnabatur secunda medietate huius anni valde acriter penes Kruviv (october-november).



missariis Regiis assignatus est, et sub tali duce, qualis nunc datus est, permanere eos debere stabilitum.<sup>22</sup>

Successus tam felix a multis piis praetiosae morti huius magni Ruthenorum Praesulis adscribatur, et nunc adscribitur, et si tunc non cogitabatur, nunc quando conferimus unum cum alio, quod scilicet nec erat tanta potentia nostrorum, nec etiamsi esset, congruum videbatur irritare Kozakos tunc, quando a Turcis et Tartaris certius bellum quam pax expectabatur. Kozaci autem dicebantur esse unicum propugnaculum Regni adversus exercitus hostiles. Caesi sunt nihilominus; a Turcis et a Tartaris nihil mali supervenit. Immo ab exiguo exercitu nostrorum caesi Tartari et caede tali, qualis memoria nostra non fuit maior. Unde pacem illae regiones habent hucusque praeter spem humanam, quam a multis annis non habebant. Quinimmo vix annus fuit liber ab incursionibus Tartarorum et tot millia christianorum in duram servitutem a Tartaris abducebantur. Ista igitur considerando dico non hominum hoc fuisse opus, sed Dei qui mirabilis est in Sanctis suis. Dicunt et alii ubi consideraverunt ista. Non minori consideratione dignum est et istud, quod post mortem Servi Dei omnia infausta Kozacis superveniebant; aliquoties in mari a Turcis magna clade affecti et nec semel aspiravit fortuna etiamsi ingenti cum apparatu, maiori quam nunquam ante, expeditionem suscepissent navigiis in mare.

2. Sunt et alia signa labefactati Schismatis. Demiserunt multum de pristino furore suo, qui plane erat diabolicus. Scripta contra nos quae fuerunt virulenta cessarunt, visitant nostros et invitant ad se, ubi sumus in eadem civitate cum illis; inter omnes doctiores de articulis fidei controversis altum silentium, excepto Primatu Papae, sed et de hoc modestius (9) loquuntur quam nunquam antea, taedium universale disunionis et desiderium Unionis, quod non tantum proponunt in conventiculis suis, sed etiam publice loquuntur, ut uniantur nobiscum quibuscumque modis.<sup>23</sup> Denique illa bona, quae anno superiori facta sunt in Russia et hoc anno fiunt (de quibus ad S. Congregationem de Propaganda Fide scripsimus) ego, cui ista sunt bene nota, non haesitanter affirmo sanguinem huius Servi Dei operari. Scio enim et nullus melius me scit, ut arbitror, quod non scientia nostra, non industria, non labore, non diligentia fiunt ista quae antea non fiebant, licet a nobis et ab ipso Servo Dei unus plus omnibus nobis laboratum fuerit, nihilominus duram petram Schismatis emolire non potuimus; sanguini ipsius hoc reservatum est; testis est Polocia et Vitebscum, ubi ad mortem quaerebant eum et occiderunt; nunc quasi generali compunctione agnoscunt suam culpam et absolutionem petunt, ut fusius continetur in Inquisitione.

<sup>22</sup> Nota est haec conventio sub nomine « pax de Kurukiv » (lacus), quae conclusa est die 5. XI. 1625.

<sup>23</sup> Intelligendae sunt hic illae pertractationes inter Unitos et non-Unitos « de pacificanda Russia », quae incipiunt iam anno 1625; sed post aliquot annos conamina haec frustrata fuerunt (1629) interventu Cosacorum, Fructus tamen primarius harum pertractationum fuit conversio Meletii Smotryckyj, polemista Schismaticorum primarii (1627).

3. Ego etiam miser in spiritualibus meis necessitatibus et nonnullis temporalibus auxilium ipsius in me expertus sum, et nunc experior; quocirca assumpsi eum mihi in patronum et consuetudinem habeo singulis diebus invocandi cum aliis patronis meis.

4. Anno 1627, feria secunda intra octavam Corporis Christi, magnum incendium excitatum est in civitate Zamoscensi, maiori ex parte murata, praesidentia Ill.mi Zamoysci, Palatini tunc Chioviensis,<sup>24</sup> nunc Cancellarii Regni Poloniae. Ego una leuca distabam, quando apparuit nobis densus fumus. Postquam accessi ad civitatem, curribus relictis ad moenia civitatis, timebam enim ne tota civitas absumeretur, adii templum, ubi dum illis, qui erant mecum Religiosis indixi orationem, fere media hora post venit mihi in mentem quod ad invocationem Servi Dei extinctum est periculosum incendium in Collegio Polocensi, nisi ut ex curru adferatur particula lintei sanguinis huius Viri Dei tincti, allatam in altari explicavi, cereos quotquot erant accendi iussi, ad D. Palatinum misi, ut ipse commendet civitatem suam huic Viro Dei, cuius reliquiam me (9v) explicuisse in altari, dixi, confidere me non ulterius progressurum dictum incendium. Ipsi interim oravimus; mittebam non semel non bis, aliquoties et ignis in illo loco, in quo fuit constitit, ulterius non processit. Postea magno beneficio Dei imber densissimus grandine permixtus, etiamsi coelum erat serenum, decidit ita, ut rivi aquarum diffluerent per civitatem, quod etiam non parum iuvit ad extinguendum id quod iam arserat.<sup>25</sup>

5. Ill. mus Dux Zaslaviensis qualiter in sua aegritudine podagrica convaluit ad invocationem Viri Dei dictum est in Inquisitione.<sup>26</sup> Ego istud addo quod ex ore ipsius audiavi; nervum in pede ipsius fuisse contractum et sic non potuisse eum etiam dum liber erat a podagra incedere sine sustentatione duorum baculorum; nunc autem rectus suismet viribus sine adiumento ullius ambulare potest. Et sane dum essem apud ipsum ante unum mensem per integram hebdomadam raro sedentem eum vidi, immo tantum ad mensam, semper ambulantem; ad maiorem gloriam Dei et honorem Servi ipsius Josaphat vestes et calceamenta mutavit tam quoad colorem quam formam; qui enim latis vestibus et ocreis induebatur nunc omnia habet strictissima, praeterea rubri coloris omnia; et si quis inquirat causam huius mutationis, omnibus refert S. Ruthenum Josaphat ipsum beneficio Dei sanasse et sic in signum evidentioris beneficii se taliter incedere.

6. Excellentissimus Dux Czartoristius<sup>27</sup> quali beneficio, dum esset in extremis, a Deo praepotente per invocationem huius Servi ipsius dum

<sup>24</sup> Zamoyski Thomas, fil. Joannis, natus an. 1594. Anno 1618 nominatus est Palatinus Podoliae, ab anno vero 1619 erat Palatinus Kioviensis. Anno 1628 (13. VII) nominatus est Vicecancellarius Regni Poloniae, ab anno vero 1635 factus est Cancellarius. Obiit anno 1638 (8. I). (Cfr. pag. 76, nota 141).

<sup>25</sup> Cfr. hac de re Processum an. 1628, fol. 55v., p. 171.

<sup>26</sup> Agitur de Alexandro Zasławskyj ab Ostrog, filio Joannis (cfr. p. 76, nota 140). In Processu Polocensi an. 1628, fol. 55v.

<sup>27</sup> Czartoryskyj Georgius, fortasse filius etiam Georgii Czartoryskyj, principis de Klevanj. Alius Georgius his temporibus non habetur. Cum eius morte haec pars Czartoryscium extincta est (cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. VI, p. 219).

aspexisset ipsius imaginem a pariete pendentem accepit, chyrographum per manum ipsius totum scriptum, subscriptum et obsignatum testatur, quod in latinum ex polonico translatum, huic scripto meo includo. Testimonii huius tenor talis est.

GEORGIUS DUX CZARTORISTIUS. Notum facio de morbo meo quo me Dominus Deus gratia sua sacrosancta visitavit ita ut per tredecim hebdomadas pedem ex hypocausto non extulerim. Morbus is fuerat simul et semel vexabat me febris calore plane inaudito, dolor capitis, splenis pectoris, cordis et omnium membrorum (10), stranguria quoque et lapis. Cum iam desperarem de sanitate absoluta una solida devotione coram P. Valeriano Ord. S. Dominici, cum iam extreme male valerem et maxime pectoris angustiis laborarem, iussi me in aliam partem convertere, ubi immago B. Josaphat Concevitii, Archiepiscopi Polocensis, capiti meo impendebat. Revocatis mihi in mentem multis hominibus quibus ipsius S. Oratio profuerat, illosque sanaverat, eiusdem sanctis precibus me commendavi, et intra me promisi si vixero sepulchrum et corpus illius me visitaturum, prout etiam statim, illius credo intercessione, sensi praesens levamen in sanitate. Gratiis itaque Domino Deo et huic Sancto persolutis, nunc iam Dei gratia pristinae sanitati sum restitutus. Et hoc adimplere volo si Dominus Deus ulteriorem mihi concesserit incolumitatem. Quod totum in evidentius testimonium manu mea propria scripsi et subscripsi et quod rem verissimam scribam ita me Dominus Deus adiuvet. Datum Dubnae 2 Maii Anno Domini 1628.

Georgius Dux Czartoristius.      Loco + sigilli.

Denique Virum Dei pro fide catholica pro Ecclesia eius S. pro explicita firma et aperta confessione auctoritatis supremae Papae Romani in Universalem Ecclesiam Christi esse occisum omnes affirmant, et nullus in hoc amplissimo Regno Poloniae, a summo usque ad infimum, hucusque expertus est, qui contrarium dicat, cum quibus et ego idem sentio et affirmo. Sic me Deus adiuvet et eius Sanctissima Passio.

In quorum omnium indubitata fidem manu mea propria subscribo et sigillo Archiepiscopali communitio.

Josephus Velamin Rutski Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae *m. p.*  
Locus + sigilli



## ALIA DOCUMENTA BEATIFICATIONIS ANNI 1628

78.

Polock,...

*Attestatio de duobus miraculis ad sepulchrum S. Josaphat.*

ARCH. ABBATIAE GROTTAFERRATENSIS, S. *Giosafat* scr. XXIV, (copia).

Attestatio de duobus miraculis.<sup>1</sup>

Hodie ad me sedentem in confessionali accessere duae virgines matronae quae castitatem perpetuam Deo vovere et continuo fere in templo devotioni vacant, una Sophia Krzyżanowska, altera Elisabetha Sambonowiczowna<sup>2</sup> quarum prima asserit certissimo se per annum circiter passam fuisse vertiginem capitis terribilem ita ut etiam prae dolore et morbi vi nesciret quid loqueretur. Alterae digitus dexteræ maius, index dictus, putrescebat, sine ulla spe sanationis. Utraque igitur, tamquam humana ope destituta, voto adeundi sepulchrum huius gloriosi Martiris facto et expleto miraculose sanitatem recepit, sub conscientia haec verissima esse affirmavit.

Martinus Crasnodembski, Soc. Jesu<sup>3</sup>

79.

Vilna, 1. V. 1628.

*Suffraganeus Vilnensis, Tyszkiewicz, causam Beatificationis Servi Dei Josaphat S. Congregationi de Prop. Fide commendat.*

APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 69, fol. 325.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 192.

Ill.mi et Rev.mi Domini. D. Colendissimi.

Benedicat septentrio Domino in omni tempore, semper laus eius, quam ex corpore Josaphat Cuncevitii Polocensis Ruthenorum Archiepiscopi perfecit, in ore ipsius. Non enim solum misericordias Domini in aeternum cantant Rutheni catholici, quia beatificavit illorum aures ad audiendum, quae a saeculo audita non sunt et oculos ad videndum, sed etiam quia parata ad capiendum Deum corda tunc satiavit, cum apparuit gloria Domini in martyrio Vitebscensi.

Haec quoniam, Ill.mi Patres, supra Vos totius orbis patronos

<sup>1</sup> Transumptum huius attestationis, sine data tamen, inveni in Archivio Abbatiae Grottaferratensis, inter documenta Canonizationis S. Josaphat (R. P. Abbatibus Nicolai Contieri), quam hic Processui anni 1628 adiungimus, ad quem naturaliter spectat, prout patet ex depositione testium in folio 49 (p. 160).

<sup>2</sup> Depositio personalis alterutrae invenitur in Processu an. 1628, in fol. 49.

<sup>3</sup> Deposuit etiam prout testis in Processu anni 1628, sub nr. 55 (fol. 42v.p. 150).

hodie orta est, congratulamini nobis, quia granum frumenti Rutheni quod cecidit in terram et mortuum est, multum fecit fructum et quod condictum est in tenebris schismatis, in catholicae luce Ecclesiae praedicetis ut revelentur ex multis male erga S. R. E. affectis cordibus cogitationes pacis et non afflictionis.

Dum itaque decus proprium, bonum scilicet filium Josaphat, S. ae R. E. Russia nostra praesentat et nos maiorem natu fratrem, procul ab ultimis finibus pretium eiusdem expectamus et per Vos ipsos, Ill. mi Antistites, obtestamur, ut quia sanguine innocentium rubescit Oriens et a schismate segeti dominicae ingruit imber, Sanctum Domini ponite super nubes coeli et sit signum foederis perpetuae inter S. R. E. et septentrionem unionis, quod videat Dominus et recordetur foederis sempiterni, quod pactum sit inter se sponsamque suam et animas in medio Ecclesiae Catholicae vivere et psallere Domino cupientes. Quatenus fluminis favorum coelestium impetus virtutumque laetificet civitatem Ecclesiae Dei triumphantis sitque in militante meritis Sanctorum et multiplicatione unum ovile, unus pastor.

Me interim ac paratissima obsequia mea gratiae patrocinio Ill. marum ac Rev. marum D. num V. etiam atque etiam humillime commendo.

Vilnae, Mai 1. anno 1628.

Ill. marum D. num V. servus addictissimus

Georgius episcopus Methonensis suffraganeus Vilmensis (*mp*).

*retro*: Ill. mis et Rev. mis D. D. Sacrae de Propaganda Fide Congregationis Antistitibus. D. Colendissimis.

(L. S.)

## SO.

Cholm, 12. V. 1628.<sup>11</sup>

*Metropolita instruit Nuntium Varsaviensem de sua activitate in Volhinia datque informationem de duce Alexandro ab Ostrog Zaslavskyj (excerptum).*

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, *Codex familiae Santacroce*, vol. 10759, fol. 59.

Ill. me ac Rev. me Domine. Domine Colendissime.

Pro gratiis exhibitis Coadiutori meo,<sup>4</sup> dum esset Varsaviae in fine Januarii anni praesentis, Ill. mae ac Rev. mae Dominationi Vestrae gratias ago quas possum maximas. Per litteras fecit ille relationem, oretenus facere non potuit; fuit enim in longe distantes a praesenti mea residentia, in partes Polociam et Vitebscum cum aliis Commissariis a Sede Apostolica deputatus ad faciendum processum<sup>5</sup> vitae,

<sup>4</sup> Raphaëli Korsak.

<sup>5</sup> Processus absolutus est diebus 20. III - 1. IV 1628 Polociae et Vitebsci, praesente R. Korsak, ut causae Beatificationis Procuratore (cfr. Proc. an. 1628, p. 79 et sq.).

mortis et miraculorum beatæ memoriæ Archiepiscopi Polocensis, a Schismaticis pro fide catholica occisi.

Scribit mihi Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra ut mittam illa quæ mittere debui...

Ill.mæ ac Rev.mæ Dominationis Vestræ gratiæ et patrocínio singulari me nostraque omnia cum humillima subiectioe etiam atque etiam commendo.

Chelmae, 12 Maii 1628.

Ill.mæ ac Rev.mæ Dominationis Vestræ addictissimus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis

totiusque Russiæ (mp)

## 81.

Polock, 10. VI. 1628.

*A. Sielawa Processum Polociae confectum in causa Beatificationis Servi Dei Josaphat Romam transmittit Congregationemque petit, ut quamprimum aperiatur.*

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 69, fol. 317.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 194, b.

Ill.mi ac Rev.mi Domini. Domini Colendissimi.

Vita, mors et miracula Servi Dei Josaphat in conspectu populorum examinata et probata cum pietatis, innocentiae constantiaque catholicae effigie D.nibus V. Ill.mis atque adeo s. ac universalis iudicio Ecclesiae praesentantur.

Praesentissimum omnino Deus Opt. Max. hac schismatis errorumque tempestate remedium videtur obtulisse, innocentem Josaphat constantissimo martyrio decorans et coronans. Vepres scilicet et urticas hortum quaqueversus depraedantes cultura tolli necessum est et igni errores fidei morumque cura pastorum et morte expedit abrogari.

Ut proinde nil mirum sit millia animarum pium Josaphat praecessisse in vita dum ageret per eundem conversorum, millia concomitasse in morte dum occideretur poenitentiam ob necem eiusdem agentium, millia subsequi in coelis dum glorificatur, iuvamen ab eodem implorantium sentientiumque levamen.

Talem tantamque famam meritorum suorum nactus est Josaphat nostras apud nos, maiorem autem expectat apud universos per D.nes V. Ill.mas, primos dixerim praesentis causae motores et virtutum Josaphat defensores.

Quare cum toto archiepiscopatus Polocensis tractu atque adeo cum septentrione catholico universo D.nes V. Ill.mas obsecro obtestorque, ut potenti sua auctoritate apud S. D. N. acta inquisitionis ad S. Rituum Congregationem directa quamprimum aperiari faciant et examinari.

In quo quidem negotio pluribus agere non possum, ne solem af-



fectus erga Ruthenam Ecclesiam Vestri molestis precum nebulis videar obumbrare.

Vestrarum itaque partium erit, Ill.mi DD., praeconcepto in fidem catholicam Ruthenorum zelo hoc canonisationis negotium promoveri, res unionis e tenebris erutas in luce Ecclesiae collocare, sanguine meritis de Vobis ipsis et de ipsa, cuius augustissimum agitis senatum, S. R. E. coronare.

Cuius decori sempiterno Deus gloriosus D.nes V. Ill.mas quam diutissime servet incolumes.

Polociae, Junii 10. anno 1628.

D. Dominationum V. Ill.marum humillimus servitor  
Antonius Sielawa Archiepiscopus Polocensis (mp)

retro: Ill.mis et Rev.mis D. D. Antistitibus S. Congregationis de Propaganda Fide. Dominis Colendissimis.

(L. S.)

## 82.

Polock, 10. VI. 1628.

A. Sielawa Processum Beatificationis Servi Dei Josaphat Romam transmittens Card. Bandinum exorat, ut intercedat apud Pontificem, ut quam primum aperiatur et examinetur.

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 69, f. 316.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 194 a.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Russia protectoratus Ill.mae D. V. cliens sanguineis onusta spoliis et rubeis nobilis exuviis Romanum petiit asilum. Inquisitionem de vita, morte et miraculis Servi Dei Josaphat, S. Antecessoris mei, seu verius de communi septentrionis gaudio ac triumpho ad S. Rituum Congregationem per D. V. Ill.mam dirigit.

Ego vero mea ex parte D.ni V. Ill.mae humillime supplico quatenus secundum litteras S. Congregationis praedictam inquisitionem S. D. N. mediante D.ne V. Ill.ma quamprimum faciat aperiri ac iudicet nos ac discernat nostram communemque nobiscum Suae S., Apostolicae Sedis primatusque S. Petri causam. Dabit, opinor, S. D. N. id suo in viros catholicos zelo, sed et Ill.ma D.tio V. affectui erga nos proprio dabit, ut nec nostri laboris nos pudeat nec expectationis bonos poeniteat universos.

Quorum consolationi Deus Dominus D.nem V. Ill.mam quam diutissime servet incolumem.

Polociae, 10 Junii anno 1628.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis V. humillimus servitor  
Antonius Sielawa Archiep. Polocensis (mp)

retro: Ill.mo et Rev.mo D. D. Octavio Bandino sacri S. R. E. cardinalium collegii decano. Domino Colendissimo.

(L. S.)

## 83.

Polock, 10. VI. 1628.

A. Sielawa, Archiep. Polocensis, Processum de vita et morte S. Josaphat transmittendo, coram Secretario S. Congregationis de Prop. Fide sese excusat, quod regulae S. C. Rituum in processu hoc observatae non fuerunt.

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 69, f. 315r.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 196.

Perillustris et Rev.me Domine. Frater Colendissime.

Forma inquisitionis nuperrime ad nos directa<sup>6</sup> sane mihi videtur tanquam exacta via viaticum fuisse; uno enim circiter mense post absolutam inquisitionem reddita est. Non mirabitur proinde D.tio V. Rev.ma non servatum fuisse modum alias praescriptum, quem hactenus in nostra patria non vidimus.

Immo antiqui illius iam erit favoris excusare nos tanquam talium imperitos, quod eo tantum modo in inquisitione processerimus, quem mutua maturaque deliberatio subministraverat.

Porro copiam inquisitionis D.ni V. mittere non potui eo quod duas libras papiri impleat. Mittam tamen, si ita ordinaverit.

Me interim cum praesenti negotio D.ni V. Rev.mae ex corde offero.

Polociae, 10 Junii anno 1628.

Perillustris ac Rev.mae Dominationis V. addictissimus frater et servitor.

Antonius Sielawa Archiep. Polocensis (mp)

retro: Perill.ri et Rev.mo D. D. Francisco Ingolo S. de Propaganda Fide Congregationis secretario. Fratri Colendissimo.

(L. S.)

## 84.

Dritwa, 24 VI. 1628.

Janusius Skumin Tyszkiewicz Pontifici Urbano supplicat pro Beatificatione Josaphat nec non pro indulgentia suae capellae domesticae applicanda.

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 57, f. 100rv. (copia).

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 197.

Janusius Skumin Tyszkiewicz<sup>7</sup> palatinus Trocensis Urbano octavo Pontifici Maximo.

Sanguine fundatam crevisse et nunc crescere Ecclesiam Dei nemo

<sup>6</sup> Fortasse agitur de instructione, quam posuimus sub nr. 30 (p. 41).

<sup>7</sup> Janusius Skumin Tyszkiewicz (cfr. p. 115, nota 27), Capitaneus Braclaviensis

est, cui non constet. Tuae vero S. Beatitudini perquam notissimum est, qui vice Alti universimque Potentis in terris fungeris eque summo throni Sanctitatis Tuae probe videas, quantum in dies sub remotissimis Indiarum aliarumque ferarum gentium climatibus piorum nomen, cultum veri Dei fideique sinceritatem propagantium sanguine fundatur quantumque inde argumenti fidei christianae et Ecclesiae catholicae accrescat, cum purpureo martyrum rore irrigata iacta verbi Dei semes in centuplicem exuberet fructum. Intellexit probe S. V. his in partibus per sanguinem etiam crescere Ecclesiam Dei, cum relatum ei sit paucis abhinc annis venerabilem Josaphat Archiepiscopum Polocensem, dum in Unionis S. propagatione laborat atque ad gremium Ecclesiae catholicae per sacrilegum schisma desciscentes reducere satagit, ab iisdem immaniter necatum esse; quantum vero pii viri sanguis divinae bonitati acceptus sit, multis iisque evidentibus documentis iam testatum est, prout ex inquisitione coram quibus a S. V. id muneris demandatum fuerat, abunde liquet. Minime ambigo, quin S. V. per eosdem relatum iamque a sacra regia Poloniae Sveciaeque Maiestate Magnique Ducatus Lithuaniae spiritualibus et saecularibus proceribus submisit supplicatum sit, ut in Sanctorum martyrum hic catalogum ascribatur et asseratur.

Exigunt etiam a me bonae memoriae parentis mei Palatini Novogrodensis in S. Unionem merita. Requirit et eiusdem in hunc martyrem, quo confessore usus fuerat, affectus; me quoque impellit ardens propagandae s. huius vinculi et redunionis studium, ut qui profundius Graecis et Latinis veterum retro temporum revolutis annalibus norim et excerpterim, quae Romanae cum Graeca Ecclesiarum unio, quae eius in hanc praerogativa fuerit, quatenus meam etiam humillimam S. V. deferam supplicationem; advolvor igitur S. Beatitudinis V. pedibus humillimeque precor, ut nostrum omnium precibus clementer annuere et eum, quem ego ex speciali sacrae regiae Maiestatis DD. mei clementissimi mandato honoris et a Schismaticorum saevitia securitatis ergo in Archiepiscopatum Polocensem honorificentissime deduxeram, martyrii corona dignum alboque eius sanguine purpureo Beatorum inferre inque numerum Sanctorum coaptare dignetur. Quod votis totius Provinciae nostrae pro pietate Sua Sanctitatem V. daturum minime dubito eoque nomine Sanctitati V. iterum iterumque devotissime supplico.

Alterum est, B. et S. Pater DD. Clementissime: erecta a fundamentis Annunciationis Beatissimae Virginis Mariae ritus nostri Graeci capella ad templum ritus eiusdem SS. mae Trinitatis Vilnae, cui coenobium Ordinis S. Basilii Patrum adiacet, Servo Dei Josaphat tum vivente et coenobiarcham itidem agente, defunctos in fide catholica et Unione S. Ecclesiae parentes meos, anno vero praeterito uxorem meam eiusdem ritus et orthodoxae pietatis feminam deposui, meae

---

(an. 1628), Secretarius Magni Ducatus Lithuaniae, Palatinus Mstislaviensis ab an. 1621, dein ab an. 1626 (20. IV) Palatinus Trocensis, et denique ab anno 1640 (September) Palatinus Vilmensis, Obiit anno 1642 (27. V).



quoque humanitatis exuvias ibidem locaturus, dote etiam competenti (capellam) pro quotidianis SS. Liturgiae sacrificiis dotavi omnique apparatu sufficienter prospexi et quoad vivam locupletatus sum; S. Beatitudinem V. suppliciter oro, ut pro ornatus et devotionis complemento, maxime vero pro animarum ibi depositarum meaque, quando hinc migratura est, salute pro festo Annunciationis B.mae Deiparae et pro qualibet eiusdem festi solemnitate SS. Virginis indulgentiam plenariam perpetuam et pro altari privilegium clementer concedere dignetur. Qua humillima supplicatione mea S. V. oblata ardentiori fervore S. R. E. me unitum coadunatumque subiectum et devotum testor, eique me obliquo Tuaeque Beatitudinis clementiae et benedictioni me humillime commendo.

Datum Dritwae die 24. mensis Junii a. D. 1628.

## 85.

Cholm, 28. VI. 1628.

*Metrop. Velamin Rutskyj Cardinalem Bandini certiore facit de conclusione Processus super vita et morte Servi Dei Josaphat.*

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 69, f. 424.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 201.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Expedita est per Dei gratiam inquisitio in vitam, mortem et miracula Viri Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, a Schismaticis occisi, per Commissarios Apostolicos, quam inquisitionem iidem DD. Commissarii, si nondum miserunt, mittent.

Ill.mam ac Rev.mam D.nem V. obnixe rogamus, ut tam sancto negotio pro suo paterno in nos amore et pro solite zelo promovendae Unionis Ruthenorum patrocinari tam apud sacrum Collegium Ill.morum DD. Cardinalium S. R. E. quam apud Suam Sanctitatem D. N. dignetur.

Deus Ill.mam ac Rev.mam D.nem V. Ecclesiae suae sanctae et reipublicae christianae servet diutissime incolumem.

Chelmae, 28 Junii 1628.

Ill.mae ac Rev.mae D.nis V. humillimus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis

totiusque Russiae (mp)

retro: Ill.mo et Rev.mo D. Octavio Bandino S. R. E. cardinali. Amplissimo.

(L. S.)

## 86.

Cholm, 28. VI. 1628.

*Josephus Velamin Rutskyj Cardinalibus S. C. de Prop. Fide causam Beatificationis Josaphat commendat nomine suo et Coepiscoporum suorum.*

APF, *Scrit. rif. n. Congr. Generali*, vol. 69, f. 423.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, N. 12, p. 201.

Ill.mi ac Rev.mi D. S. Congregationis de Propaganda Fide Antistites Amplissimi.

Vineae novellae fructum vobis illius operariis offerimus triumphantibus de inimicis illius Schismaticis, qui dum illam demoliri in toto vel depascere in parte conantur, ipsis frementibus, et frementibus ecce speciosa in oculis Dei et hominum apparet.

Fructus hic ut populo Dei proponatur ad publicam utilitatem, procurare dignentur Ill.mae ac Rev.mae D.nes V. apud Custodem vineae. Josaphat Cuncevitus, Archiepiscopus Polocensis et vineae Ruthenae fructus, qui dum studet impendere se utilitati omnium, animose et laboriose propagando fidem catholicam ab hostibus illius Schismaticis immanissime occiditur.

Hic ut triumphet in perpetuum deluculentis istis hostibus, S. Congregationi de Propaganda Fide, cuius ipse fidelis minister extitit, prae aliis convenit intercedere apud Suam Sanctitatem D. N., ut iste strenuus miles Christi convenienti condecoretur praemio, quod licet ipsam per se promptissime facturam confidimus, tamen ne ex parte nostra desimus nobis, ego nomine fratrum meorum Coepiscoporum et totius Ecclesiae Ruthenae cum S. R. E. intime unitorum Ill.mas ac Rev.mas D.nes Vestras, ut hoc facere dignentur, etiam atque etiam rogamus.

Quorum patrocinio, curae et sollicitudini paternae nos nostraque omnia cum humillima nostrimet subiectione etiam atque etiam commendamus.

Chelmae, 28 Junii anno 1628.

Ill.marum ac Rev.marum D.num V. humillimus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae (mp)

retro: Ill.mis ac Rev.mis D. S. R. E. cardinalibus Congregationis de Prop. Fide antistitibus. Dominis Colendissimis.

(L. S.)

## 87.

Lublin, 5. VIII. 1628.

V. Rutskyj transmittit « attestationem » ad Processum Beatificationis S. Josaphat adiungendam, et negotium hoc Nuntio Apostolico commendat.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, *Codex familiae Santacroce*, vol. 10759, fol. 67.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.<sup>8</sup>

Miseram ad Comitata Regni ad manus Admodum Reverendi Domini Caroli Białozor, Custodis Vilmensis, ea quae pertinebant ad vi-

<sup>8</sup> Nuntius Apostolicus Varsaviae tunc temporis erat Antonius Santacroce (Sanctae Crucis), Episcopus Seleucia (16.4.1627 - 15.6.1630).

tam, mortem et miracula Viri Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis a Schismaticis occisi, quae ille Reverendus Dominus una cum meis ad Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram debebat detulisse; puto illum fecisse. Nunc hoc tantum restat ut Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra intercessione sua apud Suam Sanctitatem et apud quos visum fuerit hoc pium negotium adjuvare et promovere dignetur, ut etiamsi extraordinarie declaretur quo loco a Christianis et Catholicis haberi debet, quod ut facere dignetur Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra ego nomine totius Ecclesiae Ruthenae cum Sancta Romana Ecclesia unitae humillime obsecro. Haec et alia nonnulla fusius Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae proponet Rev.mus Raphael<sup>9</sup> Coadiutor meus. Interim me et promptissima obsequia mea gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae cum omni debita subiectione commendo.

Lublino, 5 Augusti 1628.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae (mp)

SS.

Cholm, 30. VIII. 1628.

*Metrop. Rutskyj Cardinali Francisco Barberini cuasam Beatificationis Josaphat, mediante missione P. M. Terleckyj, commendat.*

BIBL. VAT., *Barberinus lat.* 6648, f. 130r.

HOFMANN G.; *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 202.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Triennalem S. D. N. reddens obedientiam atque ad limina SS. Petri et Pauli Apostolorum P. Methodium Terlecki<sup>10</sup> Ord. S. Bas. meo

<sup>9</sup> Korsak.

<sup>10</sup> Terleckyj Methodius, OSBM, studuit Viennae ab an. 1626 (2. XI), iam ut praesbyter monachus; sub fine anni 1628 scribitur de illo: « anno superiori, absoluta logica, propter aetatis maturitatem, et ingenii tarditatem coepit audire casus conscientiae, controversias, et de scholastica theologia tractatum de iure et iustitia, in quibus lectionibus etiamnum pergit » (APF, *Visite, Collegii*, an. 1628, vol. 6, fol. 182). In patriam reversus (fortasse mense Julio an. 1628), missus est a Metropolita Rutskyj Romam (30.8.1628), ubi reddita obedientia nomine Metropolitae aliorumque Episcoporum nominatus est Missionarius in Croatiam. Sed anno 1629 nominationem obtinuit pro Episcopatu Chelmensi, qua de re Metropolita ad Nuntium scripsit rogans, ut S. C. de Propaganda Fide Methodium dimitteret, saltem ante Pascha an. 1630 (cfr. ARCH. MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, vol. 10759, fol. 117-120). Revera Methodius reversus est in patriam et Episcopatum Chelmensem obtinuit, quo officio fungebatur usque ad annum 1649, quo anno obiit (7. VI). De immunitatibus suae Ecclesiae nec non de educatione cleri et instructione religiosa populi multum curabat. Anno 1644 iterum Romam venit. Transiens Viennam ab Imperatore honoribus et hospitalitate cumulatus est. Item Romae plura obtinuit privilegia personalia nec non in favorem suae Ecclesiae Chelmensis (cfr. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 331-333).



et Coepiscoporum meorum nomine destinans D.ni V. Ill.mae meas etiam iussi litteras praesentare. Par enim fuerat et Sanctissimi Patris osculari pedes et Tuas, Ill.me D., potentissimi patroni manus.

Toto hoc anno, quae Deus gloriosus Ruthenae praestitit beneficia Ecclesiae, diversis credo D.nem V. Ill.mam occasionibus cognovisse. Omnium vero caput mihi esse videtur, quod inquisitio apostolica de vita et morte Servi Dei Josaphat iam peracta et ad S. D. N. transmissa ac D.ni V. Ill.mae recommendata fuerit. Ego tamen commodam hanc nactus occasionem illius properum examen vel iterato D.ni V. Ill.mae commendo humillimeque obsecro, ut si hucusque adhuc sub iudicem vocatur, eiusdem autoritate promotrice suum quamprimum exitum sortiatur.

Sane sanguis novi huius martyris tam fertilis est quam multiplex catholicorum Ruthenorum per dies in aristas surgentium semen. Quod quidem ex P. Nicolao, agente meo, D.nem V. Ill.mam uberius cognovisse credo. Sed nec P. Methodius in iisdem peregrinus, cuius personam et quae D.ni V. Ill.mae suggeret petita, eidem humillime commendo.

Exosculator interea manum D.nis V. Ill.mae et Deum gloriosum precor, ut eandem Ecclesiae suae Sanctae et reipublicae christianae felicem quam diutissime servet et incolumem.

Chelmae, die 30 Aug. anno 1628.

Ill.mae ac Rev.mae D.nis V. humillimus servitor  
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis  
totiusque Russiae (mp)

*retro*: Ill.mo et Rev.mo D. D. Francisco Barberino S. R. E. Cardinali Domino Colendissimo.

(L. S.)

## 89.

Roma, 24. XI. 1628.

*Processus Josaphat Martyris ad S. C. Rituum remittitur, decretante Sanctitate Sua in congr. de Prop. Fide.*

APF, *Acta*, v. 6, fol. 161rv, n. 3.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, 27. I. 1629.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 189, n. 5.

1628, Novembris 24

Referente Ill.mo D. Cardinali Bandino, SS.mus mandavit processum p. m. Josaphat Archiepiscopi Rutheni Uniti remitti ad Sac. Congregationem Rituum, ut in ea aperiatur, et diligenter consideretur, et deinde de illo Sanctitati Suae referatur.

*In copia Arch. S. C. Rituum, Memoriali: 27-1-1629, subscriptiotalis:*

Franciscus Ingolus Secretarius

## 90.

Roma, 2, XII. 1628.

*S. C. de Prop. Fide Archiepiscopo Polocensi, Sielawa, rescribit, Processum de Servo Dei Josaphat remissum fuisse ad S. C. Rituum et non obstante Decreto de non aperiendis processibus, quam primum aperietur.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, fol. 193rv.HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, v. III, 2, N. 12, p. 196.Antonio Archiepiscopo Polocensi.<sup>11</sup>

Sanctissimus D. N., qui maiora in dies humanitatis, et paternae dilectionis indicia erga Ruthenos Unitos ostendit, ad meam<sup>12</sup> in S. de Prop. Fide Congregatione relationem, iussit processum p. m. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis Rutheni Uniti, remitti ad S. Congregationem Rituum, ut in ea quam primum aperiat, diligenter examinetur, et demum Sanctitati Suae in eo contenta referantur. Quod cum ex speciali gratia factum sit (solent enim processus Beatificationum, et Canonisationum ex decreto B. Suae obsignati certo annorum curriculo conquiescere) Ampl. Tua peculiari efferris gaudio debebit, et in spem certam devenire huic aequae celerem, et optatum finem subsequendum. Interim Deus Opt. Max. Amplitudinem Tuam diu servet incolumem, et gratiae suae bonis cumulare dignetur.

Romae 2 Decembris 1628.

## 91.

Roma, 2. XII. 1628.

*S. C. de Prop. Fide Metrop. Kioviensem certiore facit de transmissione Processus remissorialis ad S. C. Rituum et de decisione eum aperiendi, non obstante decreto de Processibus non aperiendis ante certum tempus elapsum.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, fol. 193v-194.Archiepiscopo Chioviensi totius Russiae Metropolitae.<sup>13</sup>

Processum p. m. Josaphat Archiepiscopi Polocensis a Schismaticis ob primatus Ecclesiae Romanae defensionem interfecti ad S. Congregationem Rituum S. D. N. mitti iussit, in eaque aperiri, et diligenter considerari, ac demum de illo Sanctitati Suae referri mandavit; quo rescripto, cum S. C. de Propaganda Fide, quae pro memorati piissimi viri canonizatione instet, non modicam suscepit consolationem, Amplitudinem quoque Tuam et Episcopos omnes

<sup>11</sup> Cfr. pag. 20, nota 26.<sup>12</sup> Cardinalis Bandini Octavius, cfr. nr. 89, p. 304; cfr. etiam p. 18, nota 20.<sup>13</sup> Josephus Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis an. 1613-1637; cfr. de hoc Metropolitae pag. 5, nota 1.



Ruthenos unitos et praesertim Archiepiscopum Polocensem eodem contentos fore, et laetitia spirituali exultaturos confidimus. Gratia enim, quam Sanctitas Sua Ruthenae fecit Ecclesiae, et singularis, et praecipua censi debet, quia nonnisi post certum annorum curriculum Beatificationum, et Canonizationum processus, ex decreto Beatitudinis Suae, aperiri possunt. Quae post visionem praefati processus idem SS. mus D. N. iubebit, sedulo admonebimus Ampl. Tuam, cui cuncta fausta a Christo Domino deprecantes nostra officia pro Ecclesia Ruthena offerimus semper paratissima.

Romae, die 2 decembris 1628.

## 92.

Roma, 2. XII. 1628.

*S. C. de Prop. Fide Episcopo Methonensi, Georgio Tyszkiewicz, Commissario Apostolico in Processu Beatif. Servi Dei Josaphat rescribit de transmissione Processus dicti ad S. C. Rituum, et de decreto de eius aperature.*

APF, *Lettere latine*, vol. 1, fol. 194rv.

Episcopo Mettonensi Suffraganeo Episcopi Vilnensis.<sup>14</sup>

Relato in S. Congregatione de Prop. Fide processu p. m. Josaphat Archiepiscopi Polocensis a Schismaticorum rabie ob primatus Ecclesiae Romanae defensionem interempti, SS. mus D. N., cuius singularis et paterna benevolentia erga Ruthenos Unitos in dies augetur, statim illum in S. Congregatione Rituum aperiri, in eaque diligenter examinari, ac demum de illo Sanctitati Suae referri iussit, quod quidem cum factum sit ex speciali gratia (quoniam Sanctitas Sua sanxerat, ne processus Beatificationum, seu Canonizationum nisi post transactum certum annorum intervallum aperiantur), merito Ampl. Tua gauderi, et laetari debet, et Deum summis precibus exorare, ut optimo huiusce negotii principio celer, et optatus finis respondeat; ita sperant Ill. mi praefatae Congregationis de Propaganda Fide Patres, qui suum patrocinium tum in hoc, tum in aliis Ecclesiae Vilnensis negotiis paratissimum offerunt Amplitud. Tuae, cui res Ruthenorum Unitorum iterum commendantes, cuncta fausta, et foelicia a Christo Domino precantur.

Romae, die 2 decembris 1628.

## FINIS PRIMI VOLUMINIS

<sup>14</sup> De hoc Episcopo cfr. pag. 70, nota 126, et pag. 76, nota 139.



## « ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

---

### Ex Sectione prima « OPERA »

**Vol. I.** M. WOJNAR OSBM, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Velamin Rutzkyj instauratorum*, vol. I, Romae 1949; Pretium 1500 Lit. (= 3 dol. am.).

**Vol. II.** M. SOLOWIJ OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj Archiepiscopi Polocensis (1784-1809)*, Romae 1950; Pretium 1200 Lit. (= 2 dol. am.).

### Ex Sectione secunda « ANALECTA »

**Vol. I.** Fasc. 1: « *Analecta Ordinis S. Basilii M.* », Romae 1949, p. 208; Pretium fasc. 900 Lit. (= 2 dol. am.).

**Vol. I.** Fasc. 1 (Additamentum): « *Index Analectorum OSBM* » Series Ia, vol. I-VI, Romae 1949, p. 26; Pretium 90 Lit. (= 20 cent.).

**Vol. I.** Fasc. 2-3: « *Analecta Ordinis S. Basilii M.* », Romae 1950, p. 232; Pretium fasc. 1500 Lit. (= 3 dol. am.).

### Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ECCLESIAE UNITÆ... »

#### DOCUMENTA BIO-ET HAGIOGRAPHICA

**Vol. I.** *S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et canonizationis*, vol. I. (1623-1628); Pretium 2100 Lit. (= 4 doll. am.).

---